

ANTVERPIÆ,
Apud Viduam, & Hæredes Joannis Cnobbari M.DC.LI.

Ex Catalogo lib. PP. Eremit. Camaldul. Montis Regij p̃pe Varsaviã

MVNDI
TRIBVLATIO
EIVSQVE REMEDIA,
SCRIPTVRIS, PATRVM TESTIMONIIS EXEMPLISQVE CVRIOSE ILLVSTRATA.

TOMVS PRIMVS,
In quo doctè, utiliter, ac problematicè inquiritur An, quid, & unde Tribulatio.

CVI
INDEX EVANGELICVS
Singulis anni Dominicis, Sanctorum Festis, ac Quadragesimæ feriis luculentissimam præbet dicendi materiam.

Auctore Perillustri ac Reverendiss. D. Domino PAVLO ARESIO Dertonensium Episcopo.

Nunc primùm per R. P. PETRVM VVEMMERS *strictioris Observantiæ Carmelitam ex fonte translatus, summariis, quadruplicique Indice locupletatus.*



ANTVERPIÆ,
Apud Viduam & Hæredes IOANNIS CNOBBARI
M. DC. LI.

R.do ADMOD. AC AMPLISSIMO DOMINO,

D. IOANNI CHRYSOSTOMO VANDER STERREN

ECCLESIÆ S. MICHAELIS ANTVERPIÆ CANDIDI PRÆMONSTRATENSIS ORDINIS

ABBATI,

ET

VISITATORI AC VICARIO GENERALI DIGNISSIMO.



Egius Propheta David, Admod. Reverende, & Amplissime Domine, inter præclaras Spiritu sancto dictante prolatas sententias; hanc non minori admiratione, quàm mysterio plenam protulit dicens : *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.* Quæ, si litteraliter intelligatur, contradictionem implicare videbitur : si enim de die exquisierit, quomodo de nocte; cùm ubi nox sit, dies esse non posit. Rectè tamen dixisse comperiemus, si sensum mysticum attendamus. *In die,* inquit, *tribulationis*; ecce noctem diei junctam. Tanta siquidem afflictionis mœstitia oculos ejus offuscaverat, ut dies ista nox ei videretur : lumine igitur intellectus Deum cognoscere non valens, manus ad illum extendit, ac subitò reperit : unde subdit; *& non sum deceptus.* Pa-

ri modo mihi accidisse videtur, dum attentâ mente hoc geminum Tribulationis opus conspiciens, animo pervolverem, quis ejus potissimùm tenebras depellere, & in lucem prodire efficeret. Nec diu mens hæsit dubia, cùm siquidem in candido S. Norberti solo, gemini luminis, boni nominis, & ominis, non tantùm orbis oculo, Antverpiæ, inquam, lucem tribuentis, sed longè lateque splendore virtutum se diffundentis radios percepissem; tantô mens mea est illustrata fulgore, ut in obscura Tribulationis nocte, lucentes vestræ obortæ Stellæ, quasi geminâ luce Castoris, & Pollucis, omni dubitationis caligine sublatâ, ad securum portum me hilariter perduxerint. Nec credo (ut cum Dauide dicam) me fore deceptum. Non enim sub maligno Leonis sidere, sed sub benigno Iovis aspectu hoc opus proditurum confido. Fieri siquidem non potest, ut partus astris faventibus editus, de benigno eorum influxu non participet. Eô igitur humanitatis affectu quô cunctos excipere soles, hoc geminum Tribulationis opus se benignitati Vestræ committens, suscipe & fove: ut si quæ ex nomine illi adhæreret imperfectio, fulgore, & ardore vestro illustratum, securius, ac nitidius prodeat. Non enim tantummodò lucent Stellæ vestræ, sed ardent; quô fervore ut ego quoque succendi valeam, me affectu perpetuo devictum offero. Ex Carmelo nostro Antverpiensi cum felici anni Auspicio, 2. Ianuarij 1651.

Admod. R.da & Ampliss. Dom.
Vest. addictiss. cliens
Fr. PETRVS WEMMERS, Carmelita.

PRV-

PRUDENTI, AC BENIGNO

LECTORI.



EN tibi, benigne Lector, geminum prodit de tribulatione opus; si primum Tomum inspicias, naturam, essentiam, causas, ac remedia tribulationis abunde percipies. Si secundum, finem, quem tribulatio nostra intendere debet, reperies. Primarius hujus finis est Dei gloria, variè tamen adornata; amore, potentiâ, sapientiâ, misericordiâ, justitiâ, & providentiâ. Finis secundarius, est bonum nostrum honestum; tribulatio siquidem honorem, delectationem, utilitatem confert, & ad fidem, spem, amorem Dei, & proximi, ad scientiam, pietatem, ac fortitudinem acquirendam incitat. Quæ omnia Tomus secundus curiosè exhibet. Ne igitur hisce calamitosis temporibus remedia afflictioni desint; adeò accuratè ac diversimodè in hoc opere digesta sunt, ut nullus in mundo sit reperiendus, cui hoc tribulationis pharmacum, placere non possit. Vt meliùs quoque hujus operis utilitatem percipere possitis, Prologum ab Auctore operi suo præfixum hic annectere censui. Plutarchus in vita Antiphontis celebris oratoris mirabile quid refert; quòd Corinthum adveniens, in famosæ civitatis publico foro, officinam peregrinis nec unquam antea visis mercibus refertam, aperuerit: & medicinam omnibus salutarem exhibuerit. Cujus rei notitiam, ut cunctis patefaceret, magnis litteris foribus inscripsit; cunctis afflictis salutaris hîc venditur medicina. Ad novas ergo & insolitas merces curiositate alliciente, & necessitate instigante, cùm variæ sortis homines, afflicti, & desperabundi accurrerent; singulis non aliter succurrebat, quàm prudenti ac suavi eloquio, opportuna tradendo documenta, & congrua edisserendo remedia. De hac medicinæ specie sapiens locutus fuisse videtur dicens: Amicus fidelis medicamentum vitæ: *Non pharmaci alicujus, aut potionis amaræ, (non enim omnes hanc callent artem) sed prudentis consilij, admonitionis opportunæ, & suavissimæ consolationis. Hujus tam salutaris medicinæ, si unquam fuerit desiderata copia, hisce afflictis temporibus summoperè est expetenda: Cùm aliud non videamus quàm lachrymas, aliud non percipiamus quàm lamenta, & afflictorum suspiria; civitates, villæ, domus, tribulatione & miseriis scatent; bella continuò ingruentia, Pax minùs secura, terræ sterilitas, inundantia imbrium, & persecutiones mutuæ, quid aliud quàm tribulationem adferunt? Innumeras mentales afflictiones omitto, quæ omnia vitam nostram adeò conturbant, ut mors potiùs continua, quàm vita dici possit. Verum quidem est Antiphontem plurimos habere discipulos, quotus quisque est, qui*

se af-

se afflictos consolari non præsumat plurimi pro hac materia imprimuntur libri, quiq; alium præfigunt scopum, aliqua saltem afflictis remedia afferre non desinunt. Et meritò quidem, cùm enim tribulationis herba in tantum excreverit, ut vix ulla reperiatur familia, quæ illâ careat, oportet ubique congrua aßignare remedia: ut si non penitùs auferre, aliqualiter saltem eradicari, aut ex amara dulcis reddi poßit. His tamen omnibus positis, non semper singulis medicinæ prosunt, quinimò, frequentiora remedia, licet meliora, languenti stomacho, & palato infecto, displicent, dicentibus cum S. Propheta Iob; Audivi frequenter talia, consolatores onerosi vos estis. Vt his ergò inordinatis appetitibus aliqualiter succurram & tribulationis pondus quantum poßibile fuerit alleviare valeam, variis exquisitisq; modis hoc tribulationis remedium exhibere studui. Non tam tribulationi practicæ, quàm speculativæ attendi; non in cortice hæsi verborum, sed intimam medullam penetrare conatus; tribulationem per omnes partes distribui, plurima curiosa dubia, quæstionesq; resolvi. Nec tantùm voluntati, sed etiam intellectui, placere studui; quandoque à materia paululum discedendo, ut varietate cunctos allicerem; infirmis siquidem non solæ medicinæ, verùm etiam diversi cibi gustui convenientes tribuendi. Nec profectum denique spiritualem derelinquere volui, quin imò hic unicus operis scopus; unde singulis discursibus sua documenta quæ cunctis prodesse possunt adjunxi. Hæc ego ab Auctore ita compilata ad concionatorum utilitatem majoremq; commoditatem adeò exactè transtuli, ut ne in minimo quidem ab ejus sententia, aut proposito discesserim; sed eâ varietate, modo, & ordine digeßi, sicut ipse optimè disposuerat, quadruplicem insuper indicem ex opere collegi, (absque concionatorio, seu Evangelico indice ab Auctore confecto) quorum primus singulis materiis unicuique discursui aßignatis problematicè exhibet, Auctor siquidem eum in suis discursibus servat modum, ut in utramque partem materias singulis exhibeat. Documenta quoque unicuique pro consolatione applicanda ex toto opere pro majori commoditate in unum collegi, copiosos indices Scripturarum & rerum omnium exactè compegi. Si quid autem minùs eruditè, aut labenti calamo, vel typorum errore incorrectum, reperiatur, benignè corripiatur velim: non enim eô nitore quo desiderabam cuncta perfici potuerunt. Fruere igitur benigne Lector hoc egregio opere: invenies sanè materiam adeò copiosam, & huic tempori convenientem, ut toties quoties libuerit, diversas habere conciones, & de omni materia quæ in cœlo, & sub eo est, doctè, utiliter, & copiosè, differere valeas: vale plurimum, & laboris mei gratam habeto memoriam.

DISCUR-

VARIA DOCVMENTA,

Ac remedia afflictos consolandi, ex secundo Tomo hîc in unum collecta.

Pro tribulatione in genere.

Pro zelotypis & zelosis.

Pro afflictione proximi.

Pro pauperibus.

Pro abstinentia peccatorum.

Pro diffidentibus aut desperantibu

Pro patientia habenda.

Pro divinam providentiam negantibus.

ſimè patet. d. 34. p. 166. n. 39. & ſeq.

Pro impatientibus, & mumurantibus.

Tribulationes patienter ferendo, nos Deum amare probamus, ut variis probatur rationibus. d. 29. p. 46. n. 40.

Aliqui opera divina arguunt, non attendentes ejus providentiam, quâ cuncta gubernat, ut S. Scripturæ teſtimoniis exemplisque probatur. d. 36. p. 218. n. 38.

Si patienter hîc tribulationes ſuſtinuerimus, pœnarum debitarum remiſſionem, & regnum cælorum obtinebimus, probatur exemplo Mauritii Imperatoris. d. 38. p. 269. n. 40.

Non impatientiâ ſed patientiâ honor, & victoria acquirenda. d. 41. p. 342. n. 34. & ſeq.

Patientiæ ſcutum dexterâ tenendo ſemper vincemus, ut variis probatur rationibus. d. 50. p. 555. n. 33. & ſeq.

Pro ingratis redarguendis.

Deus tribulationes infligendo, multò minùs caſtigat, quàm meremur, & ad ſalutem noſtram illam dirigit, ideoque ſi grati ſimus cælum promerebimur ut probatur rationibus, & SS. PP. teſtimoniis. d. 37. p. 244. n. 38. & ſeq.

In tribulatione Deo gratiæ reddendæ, cùm ut benignus pater charitativè nos corrigat. d. 50. p. 556. n. 35. & ſeq.

Pro puſillanimis.

In tribulatione alacriter procedendum, quia Deum potentem habemus adjutorem, qui numquam nos deſeret, ut variis probatur rationibus. d. 32. p. 118. n. 38. & ſeq.

Vanum de tribulatione timorem expellendũ, cùm tribulatio non amara ſed dulcis eſſe probetur variis rationibus, & exemplis. d. 42. p. 369. n. 40. & ſeq.

Licet in principio tribulatio videatur intolerabilis, perſeverando tamen levis, & jucunda apparet. d. 49. p. 530. n. 29. & ſeq.

Pro divitibus.

Malum eſt ſignum tribulatione carere, in alia ſiquidem vita graviter timendum. d. 34. p. 170. n. 44.

In divitiis & deliciis vivere valde periculoſum eſt, cùm ſubitanea timeatur ruina. d. 35. p. 193. n. 40.

In proſperitate ad Deum recurrendum, ut afflictionis tempore ejus ſentiamus auxilium, ut variis probatur rationibus. d. 47. p. 486. n. 39.

In tribulatione gaudendum, quia ingens lucrum ex ea acquiritur, ut variis probatur rationibus & exemplis. d. 49. p. 531. n. 31. & ſeq.

Pro mala conſcientia.

Pati cum mala conſcientia miſerum eſt, ſed cum bona conſcientia honorificum eſt, ut probatur variis rationibus, & exemplis. d. 35. p. 193. n. 40. & ſeq.

Pro inimicis ſuperandis.

Victoria inimicorum in patienti toleratione conſiſtit, ut variis probatur rationibus & exemplis, d. 41. p. 342. n. 34. & ſeq.

Pro temerè judicantibus.

Sunt qui Deum potiùs emendare velint, quàm ſeipſos, ideoque cùm ipſi occaſionem neſciant, Deum in punitione errare putant. d. 36. p. 218. n. 38.

Pro nimia in hac vita ſecuritate.

Dei juſtitia meritò timenda, cùm ſeverè, & certiſſimè puniet, unde timor Dei nobis utiliſſimus, ut S. Scripturæ teſtimoniis exempliſque probatur. d. 38. p. 265. n. 33. & ſeq.

DE TRIBVLATIONE

EIVSQVE NATVRA, CAVSIS,

ET

EFFECTIBVS,

TOMVS SECVNDVS,

Ad quem finem tribulatio nostra dirigenda plurimis curiosis discursibus utilissimisque documentis ad concionatorum vota illustratus;

ET

INDICE EVANGELICO

In omnes anni Dominicas, Sanctorum Festa, ac Quadragesimæ ferias copiosissimè ditatus.

Auctore Perillustri ac Reverendiss. D. Domino PAVLO ARESIO Dertonensium Episcopo.

Nunc primùm per R. P. PETRVM VVEMMERS *strictioris Observantiæ Carmelitam ex fonte translatus, summariis indicibusque locupletatus.*



ANTVERPIÆ,

Apud Viduam & Hæredes IOANNIS CNOBBARI

M. DC. LI.

ELENCHVS
SECVNDI TOMI,
Materias singulas hoc opere contentas problematicè exhibens.

DIS-

DISCVRSVS PRIMVS.

De tribulatione frequenter sermonem instituere, non tædium, sed utilitatem adfert, cùm sit omnibus communis, & necessaria.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Medicinæ corporalis, & spiritualis, laudem exhibet: 4. primis n.

Duabus nostris infirmitatibus remedia assignans, earum indagationem non molestam, sed utilissimam esse, docet num. 5. 6.

Quomodo os nostrum claudendum, & aperiendum ut congruè loquamur, num. 7. 8. 9.

Concionator de tribulatione disserens optimè se populo accommodat; à num. 10. usque ad 14.

Qualiter potissimùm aures custodiendæ? 15. 16. 17.

Vtilitas tribulationis maxima; num. 18. 19.

De tribulatione discurrere, non tædium sed delectationem adfert; à num. 20. usque ad 29.

Honorificum insuper, & gloriosum est, ideo diabolus impedire nititur. num. 30. 31. 32.

Eccl. 38.4. *Deus medicinæ auctor.*

1. 

LTISSIMUS creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa: Summa majestas, cui omnis altitudo humilis, omnis dignitas vilis, omnis magnitudo parva, omnis sapientia ignorantia, omnis pulchritudo deformis, omnis potentia debilis, non dedignatur primum se exhibere medicinæ auctorem, & inventorem; teste Sapiente: vir autem prudens qui bonum à malo discernere novit, & justum uniuscujusque rei statuere pretium, haud parvi illam æstimat. A cælo ergò & à terra honorem recipit medicina; à cælo, cùm inde originem trahat, & rex cælorum auctor ejus reperiatur: à terra quoque, cùm homo prudens, qui inter res creatas dignissimus, illam æstimet. Summis ergo laudibus hæc medicinę scientia efferenda: non tantùm propter dignitatē subjecti, quod homo est, quàm propter excellentiam finis, quæ est sanitas, & vita. Non tantùm propter dignitatem illorum qui illam exercuerunt, ut fuerunt præclarissimi viri, Hypocrates, Galenus, Avicenna, aliique; quantùm quia reges eam

A cælo, & à terra honorata.

A præcipuis hominibus, & diis exercitata.

eam quoque amplexati sunt, ut Mithridates, Dionysius, Trismegistus. Non tantùm quia fabulosi dii hanc hominibus exhibuerũt, ut Apollo, Æsculapius, Mercurius; quantum quia cælestes spiritus, eandem hominibus applicuerunt, quorum unus Raphaël vocatur medicina Dei. Non tantùm propter summam auctoritatem, quâ regibus quoque, & principibus imperat, qui potiori curâ Medicis suis obedire student, quàm ut sibi à subditis obediatur; quantum propter mirabiles ejus effectus, quòd sola audeat cum terribilissima morte in arenam descendere, ipsamque oppugnando sæpissimè in fugam cõvertere, ac prædam injustam quasi faucibus ejus ereptam, ab innumeris morborum periculis, in libertatem asserere; Nunc impediendo ne morbi approximent, nunc illos à corporibus expellendo, ac eorum loco fideles socios, lætitiam, vigorem, ac fortitudinem substituendo; qui animum possessoris ad bona singula perfruenda, & commoditates amplexandas perficere solent.

Cur Deus particularis auctor medicinæ?

2. Non tantùm dico propter has plurimasque laudes, quas ipsi tribuere possemus, occasionem gloriandi habet medicina; quantùm quòd primum sui auctorem agnoscat Deum, & hominem prudentem sui pretii æstimatorem. Dicet fortè quispiam, quid hoc tanti faciendum? quid in universo existit orbe, quod Deũ non cognoscat auctorem? Non solùm cælos creavit, sed & terram fundavit: Non stellas solùm, sed & arbores formavit: Non Angelis tantùm, sed formicis, & culicibus vitam, & esse tribuit: quid mirum ergò si auctor medicinæ dicatur? Quomodo hęc laus ipsi propria, si reliquis communis est? Respondeo nulli dubium esse quin rerum omnium naturalium auctor sit ipse Deus; origo tamen artificialium, hominibus adscribi solet, sic musicę auctor Iubal, artis autem fabrilis in ære & ferro Tubalcain dicitur, sicque de cæteris. Medicina verò nónne ars nominanda? omninò, ijsdem igitur regulis subjacere deberet, atque ita non Deum, sed hominem auctorem agnoscere. Non tamen ita fieri testatur Sapiens, qui illam suprà omnes artes efferens, gloriatur Deum habere auctorem: *Altissimus enim creavit de terra medicamenta; & à Deo est omnis medela.* Eccli. 38. 4.

Cur vir prudens non abhorrebit illam?

3. Si ergo ita est, quid opus erat adjungere: *Vir prudens non abhorrebit illa.* Poterítne homo prudens respuere quidpiam, quod Deum agnoscit auctorem? Poterítne aliquid vili pendere, cui Deus non dedignatur se exhibere patrem? certè non poterit, si titulum prudentis retinere voluerit. Scire insuper debet, universa à Deo creata, bona esse,

non

non tamen omnia sibi utilia, sed aliqua potiùs respuenda, quàm amplectenda; talia sunt divitiæ, voluptates, honores, imò sæpius vita ipsa. Ergóne Medicina quoque respuēda erit? Nequaquam, quia, *vir prudens non abhorrebit illam.* Non dicit quòd illâ semper & ubique utetur, sic enim multas bonas operationes impediret, & superfluô affectu carnem mortalem nutriret; sed, *non abhorrebit illam.* Non contemnet, & respuet, sed consilia ejus recipiens, suo tempore uti studebit.

Si corporis medicina laudanda, quantò magis spiritualis.

4. Si talis corporis, qualis animæ medicina? Si tanti fiat scientia corporum infirmitati succurrere docens? quanti facienda animæ morbis remedia præstans? si libenter auscultemus, & admittamus ea, per quæ hæc vita mortalis paululum prolongari, & mors tandem secutura possit averti; quantò libentiùs aurem porrigemus ei, qui vitæ æternæ consequendæ iter demonstrat. Si nihil denique omittitur, quo infirmitas corporalis depelli valeat, quantò majori curâ animæ morbis succurrendum est? De his teste Ovidio ita agendum.

Ovidius de remedio amoris.

Vt corpus redimas ferrum patiaris & ignes,
Arida nec sitiens ora lavabis aquâ;
Vt valeas animo quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.

Hæc est præclarissima scientia non solùm, quia Deum auctorem & magistrum profitetur; verùm etiam, quia illum è cælo in terram detraxit, ut illam hîc exercendo alios edoceret: ita per prophetā suum divina prædixit Sapientia. *Spiritus Domini super me, ut mederer cōtritis corde misit me.* Isaiæ 6.11.

Duas infirmitates nos patimur?

5. Hujus insignis medici ego minimus servus, & imitator, huc adveni, ut plagas cordis vestri, ijs potissimùm medijs à supremo animarum medico mihi suggerendis, sanare ac perfectè curare possim. Sed quę plagę istę erunt? Duas infirmitates, sive plagas cor nostrum patitur; quarum una, est culpa, altera pœna; illa gravior, hæc levior, sed magis sentitur. Prima voluntaria, secunda involuntaria; prima gratiâ diuinâ nos privat, secunda quiete, & lætitiâ internâ; prima nos Deo displicere efficit, secunda ut nobismetipsis displiceamus facit; prima nos peccatores, secunda reddit afflictos; à prima non curamur, quia volumus, à secunda, quia non possumus. Licet autem hæ duæ plagæ disconveniant, in multis tamen conveniunt; quia culpa est occasio pœnæ, & pœna quandoque occasio culpæ, cùm ex impatientia nimia, in maledicta, blasphemias, & vindictam prorumpimus. Pro hac secunda plaga remedia vobis

Remedia pro infirmitate nostra hîc exhibentur.

congrua exhibere cupio, eamque sanando efficere, ut alteri plagæ (quæ culpa est) medelam pariter, & viam ad cælos præparet. Quia verò impossibile est applicare remedia, nisi priùs infirmitate penitùs cognitâ; hanc animę infirmitatem planè discutiendam proposui. Hæc verè plaga, de qua agimus, communi appellatione, pœna, afflictio, & tribulatio dicitur; unde ex ipso nomine non parùm adjutorii pro sanatione recipere poterimus.

De tribulatione agere nimis triste est.

Videor tamen quempiam audire dicentem, paucos pro hac materia me habiturum auditores; cùm hisce temporibus, non tristia, & mœsta, sed læta potiùs, & curiosa auditoribus annuntianda; quin imò si quis facetias, fabulas, aut risum moventia ingenioso dicendi modo proferre studeat, ad hunc multus populi confluxus. Quomodò ergò discursus de tribulatione, de pœnis, & afflictionibus, audire cupient; quapropter mutanda potiùs materia. Antequam reliqua consideremus, huic objectioni primò respondendum censeo; & in hoc primo discursu ostendere, quòd inter plurimas materias meritò hanc de tribulatione elegerim, quod non utilem solùm ac fructuosam, sed delectabilem, ac iucundam auditoribus futuram existimem.

Tribulationis materia omnibus commoda.

6. Primò ergò sciendum me hanc elegisse materiam, ut discursus singulos auditoribus accommodarem; hoc enim ex pręcipuis rethorices præceptis est, teste Aristotele, qui in libris de arte oratoria, de moribus & affectibus plurimarum gentium fusissimè tractat, ut oratores inde colligere noverint, qualiter sermonem suum instituere debeât; idem in tono vocis quandoque servandum. Carneades insignis orator quadam vice coràm populo disserens, vocem nimiùm attollebat; unde à principe illi mandatum fuit, ut vocem aliquantulum moderaret; at ille argutè respondit, *da modum*, cui princeps prudentiùs; *Modum habes auditores*: indicare volens oratorem se populo accommodare debere. Et meritò, si enim ego solus quempiam alloquens vocem extollerem sicut dum in cathedra coràm populo verba habeo, rectè me insipientem diceret; si autem in cathedra submissè loquerer, ut in confessionali, omnes me stolidum reputarent. Bene ergò dictum, *modum habes auditores*.

Horti ornamentū fons.

7. Si unquam hortum deliciarum intrastis, Auditores, in quo ut in paradiso terrestri, omnis generis oblectamenta; facillimè observare potuistis, præcipuum in eo ornamentum, fontem aliquem esse miro artificio aquas diffundentem, oculosq; intuentium oblectantem; qui per varios rivulos canalesq; deductus, virides

virides herbas humore fovet. Ne tamen nimiâ aquarum abundantiâ inundet, expers hortulanus illam pro opportunitate ita retinere, & distribuere novit, ut singulis suo tempore prodesse possit. Pari modo dicamus Ecclesiam esse hortum pulcherrimum: *Veni in hortum meum soror mea sponsa*: fons hunc hortum irrigans, sapientia divina; *Aqua sapientiæ salutaris potavit illum*; canalis per quem hæc aqua decurrit, os est justi; *vena vitæ os justi*; & alibi; *Os justi parturiet sapientiam.* Sed canalis iste num semper patere debet? Non, sed claustro opus est, quô nunc claudatur, nunc aperiatur; de quo ait Sapiens: *Ori tuo facito ostia, & seras.* Et David: *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Proprium iniquorum est, nullam ori admittere clausuram, ideò dicunt; *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster dominus est.* Mos stultorum est, os semper habere apertum: *Totum spiritum suum profert stultus*: Indeque quasi à flumine inundante, plurima proveniunt damna, teste S. Bernardo; *Alliga, moneo, sermonem tuum ne luxuriet: sit te restrictior, & ripis ipsius coerceatur, citò lutum colligit amnis inundans.* E contrà homo prudens, nec semper os clausum, nec semper apertum habet; sed iuxtà exigentiam, nunc loquitur, nunc silet; ut notat S. Gregorius Papa, ponderans verba Davidis; *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Sic ait: *Qui ergò ori suo poni non obstaculum, sed ostium petiit, apertè docuit, quòd per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari, quatenùs os discretum, & congruô tempore vox aperiat, & congruô taciturnitas claudat.*

Ecclesia hortus insignis.
Cantic. 5. 1.
Eccli. 15. 3.
Prov. 10. 11.
Prov. 10. 31.
Eccl 28. 28.
Psal. 140. 3.
Ori diligens custodia adhibenda.
Psal. 11, 5.
Prov. 29. 11
S. Bernard, de ordine vitæ.
S. Greg. 7. Moral. cap. ult. & 3. p. past.

8. Quæ autem debet esse clavis, os nostrum aperiens & claudens? Ratio, iuxta S. Chrysostomum: *Os nostrum, inquit, perpetuò custodiamus, rationem ei tamquam clavem adhibentes, alioquin ostium semper patens incursibus inimicorum, facilè ab eisdem deripietur, & tota domus solo adæquabitur.* Quod sine dubio rectè dixit: communis tamen hæc clavis est omnibus sensibus, & animæ potentiis, omnes siquidem ratione regi debent: sed si particularem ori desideras, quænam erit? Auris auscultantis, ni fallor; oporteret sumere exemplar auris illius cui loqui volumus, & ori nostro apponendo, conformiter ad illud loqui. Quis hoc asserit? Deus ipse per Ezechielem prophetam, dum varia enumerans munera, & gemmas pretiosas sponsæ datas, inter alias dicit se dedisse inaures duas, sed ubi has appendit? non alibi nisi in auribus, diceret unusquisque, in aliis quippè partibus non rectè convenirent; non tamen auribus,

Quomodo os claudēdum, & aperiendum?
S. Chrysost. in psal. 50.
Auris clavis oris.
Inaures ori apponendæ.

Ezec.16.12. ſed ori appendit; *Dedi* (inquit) *inaurem ſuper os tuum*; quàm hoc extraneum & admirabile! quid ornamentum auris in ore? voluítne illam larvatè incedere, aut adeò ſtolidam reputabat, ut non ſciret diſtinguere os ab auribus? per inaurem, inquit S. Hieronymus, litteraliter intelligitur annulus inſtar inauris accommodatus, quem mulieres iſtis temporibus fronti appendebant, indeq́ue ad os uſque pendebat; quod uſque ad ſua tempora moris fuiſſe aſſerit. Dicet fortè quiſpiam, cur ornamentum adeò antiquum à mulieribus derelictum? an hoc tempore mulieres minùs vanæ, quàm tempore Ezechielis & S. Hieronymi? certè non, ſed magis loquaces. Pulchra fuit antiquorum inventio, ut mulierum garrulitati occurrerent, gemmam pretioſam ori ſuperponere; cùm enim libenter comptæ incedant, ne illud ornamentum diſcomponerent, aut occultarent, maluerunt os clauſum tenere, & non loqui, quàm loquendo turbare, ſicq́ue voluntariè conſuetudinem illam amplectebantur. Noſtræ tamen mulieres non tantâ excellunt patientiâ, ut enim frenum illud ab ore deponerent, maluerunt ſe illo ornamento privare, quàm loquendi libertatem perdere.

Cur mulieres olim inaurem ori apponebant

9. Sed ſpiritualiter, & propoſito noſtro magis congruit, inaurem ſuper os ponere, idem eſſe ac clauſtrum ori apponere, ne plus æquo aperiatur vel claudatur, aut effundat loquelam inconvenientem. Nec aptius certè clauſtrum reperiri poterat, etenim inter os, & aurem talis proportio eſſe debet ut qualitas vocis ex aure auſcultantis dependeat, ſi alta vel ſubmiſſa eſſe debeat; multò verò magis qualitas locutionis, ſeu verborum, ita ut ornatum, & excellens os illud dicetur, quod alterius auditui ſe accommodare noverit, nec verba injurioſa vel adulatoria aut ſcandaloſa, protulerit. Si hoc modô, clauſtrum non rectè eſſet aperiēdum nullô modô loquendum foret teſte Sapiente; *Vbi auditus non eſt non effundas ſermonem*; ita ut omnia verba hac regulâ dirigi debeant; quod etiam propheta Iob indicat: *Nónne auris verba dijudicat?* Hoc clauſtrum in ore aliquorum, ex auro vel argento quandoque fit, qui numquam loquuntur niſi ſpe lucri, aut proprii commodi; tales ordinariè ſunt cauſidici alijq́ue ſimiles; quorum os, niſi clavi argenteâ vel aureâ aperiatur, clauſum remanet; ſi quis autem pretioſiorem adferat clavem, pro libitu ſuo aperire vel occludere poteſt. Quotidianâ hoc experientiâ patet, etenim ſi pauper quiſpiam roget aliquem, ut pro ſe cauſam dicere velit, aut defendere innocentiam, mille excuſationibus illum remittere ſtudebit, & niſi clavem

Os quod rectè loqui novit laudandum.

Eccli 32.6.

Iob 12. 11.

Qualeclauſtrum ori apponendum.

clavem portet auream vel argenteam, os semper clausum manebit. Cùm Demosthenes in causa quadam urgenti perorare deberet; adversarii timentes dicentis eloquentiam, os ejus argenteâ clavi occluserunt; quapropter cautè se excusans, summo gutturis dolore se laborare fingebat; unde quidam argutè illum carpendo dicebat: *Non anginam, sed argentaginam patitur Demosthenes:* Defluxus quidam argenteus guttur ejus impediverat, & nisi major clavis aurea illum removisset, numquam apertum fuisset. Tales olim erant concionatores quidam, de quibus Michæas ait: *Si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium.* Non tale os Deus vult habere sponsam suam, ideò in auri illud occlusit.

Michee 3 5

Concionator se populo accommodare debet.

10. Iuxtà hoc ergò præceptũ, concionator se populo accommodare debet, & illam eligere materiam, quam maximè conditioni eorum accommodam judicaverit. Dicet tamen quispiam, quomodò possibile erit cunctorum se accommodare necessitati? nimiùm diversi ad concionem confluunt; pauperes, divites, simplices, docti, senes, juvenes, viri, mulieres, &c. Verum quidem est, sed omnes in eo conveniunt, quòd aliquâ tribulatione sint oppressi, nullus ab hoc tributo liber; quòd si aliquô tempore illâ careret, recipere tamen potest; ideoque tempore pacis arma præparare pro futura necessitate, valdè utile; & in abundantia fructuum pro penuria reservare prudentissimum est. De tribulatione ergo sermonem instituendo, omnium me accommodabo necessitati. Nónne videtis quòd in mensa uniuscujusque divitis, sive pauperis, numquam panis desit? sunt multi alii cibi lautissimi, & exquisiti; sed nullus continuus, & quotidianus nisi panis; alii juxta temporum, appetituum, & occasionum diversitatem, sæpissimè mutantur, panis autem pro omni tempore, occasione, & appetitu, cuilibet semper apponitur. Dicamus ergo verbum Dei, seu predicationem Evangelicam, esse grande quoddam convivium: *Homo quidam fecit cænam magnam*; diversi in ea sunt cibi appositi; tot virtutes persuadendæ, tot vitia detestanda, tot bona promittenda, tot mala minitanda, tot sancti laudandi, tot mysteria proponenda: sed panis in hac mensa qualis erit? liceat mihi dicere, hunc esse tribulationem, sic illam vocat scriptura sacra; *sustentate eum pane tribulationis*: & David, *cibabis nos pane lachrymarum*, pane videlicet afflictionis, qui comestus lacrymas ciet. Semper ergò decet hunc panem in mensa esse, numquam inconvenienter de tribulatione sermo instituitur; sicut

Vti panis cibus communis, ita tribulatio.

Lucæ 14.16

3. Reg. 22. 17.

Psal. 79.6.

sicut etiam panis cibis omnibus communis; sic discursus de tribulatione omni materiæ congruit.

Quid gloriæ cælesti cum tribulatione? 11. At mihi quis obiiciet, quid gloriæ cælesti cum tribulatione? Nimis siccus & durus est panis iste, non confert lautioribus cibis; optimè tamen convenit, ad hanc siquidem gloriam, tribulatio viam sternit, Christus nos hac viâ præcessit; *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* (Lucæ 24.26) In monte Thabor, Christo se transfigurante, & convivium gloriæ Apostolis exhibente, panis tribulationis non defuit; quia, *Dicebant excessum ejus quem completurus erat in Ierusalem.* (Lucæ 9.31) Sicut enim parvulis mensæ assidentibus, & delicatioribus cibis se vescentibus, nutrix admonet, ut panem adjungant, pariter in transfiguratione, quia Apostoli in spiritualibus adhuc parvuli, ad fruitionem gloriæ solummodò attendebant; & particulariter Petrus nil aliud gustare volebat, dicens: *Bonum est nos hîc esse.* (Ibid. 33.) Reprehensi subitò fuerunt, ne oblivíscerentur panem tribulationis assumere, idcircò venit vox de cælo dicens; *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite;* (Ibid. 35.) quasi diceret, non tantùm ex gloria vultus ejus vos rapi sinatis, ut non attendatis ad verba quæ dicit; *Optimè illi convenit.* etenim si illa est dulcissimus cibus, cùm sit objectũ æternæ beatitudinis; hæc sunt panis, cùm loquãtur de tribulatione. In eũdem errorem filii Zebedæi inciderant, quandò primas sedes, & gloriam cælestem sine pane tribulationis appetebant; ideò à Christo subitò reprehensi; *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* (Marci 10. 38.) Quid de aliis cibis referam? si de virtute sermo fit, quis nescit eam tribulationi semper cõjunctam? *Omnes qui piè volũt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* (2. ad Tim. 3. 12.) Si de peccatis loquamur, hæc radices sunt tribulationis; *per peccatum mors.* (Ad Rom. 5. 12.) Si de pœnis futuræ vitæ, non possunt meliùs exprimi quàm exemplo præsentium tribulationum.

Tribulatio cunctis rebus convenit 12. Omnibus denique hic panis tribulationis optimè cõgruit, cunctísque communis est: quod rectè Propheta David intellexit, ut in Psalmo 48. demonstrat. Primò hîc notandum quomodò omnes ad exhortationem suam invitat; *Audite hæc omnes gentes,* (Psal. 48. 1.) attendite omnes, non paucis quippè hanc exhibere volo, sed omnes gentes auditores desidero. Itáne ambitiosus es, ô David, ut paucis auditoribus non sis contentus? non tibi sufficeret Ecclesia plena? vel flos nobilitatis? civitas integra? minimè, inquit, omnes gentes desidero: *Audite hæc omnes gentes.* *David omnes ad tribulationem invitat.* Sed attendere debes inter omnes gentes maximum fore strepitum, plurimi te audire non poterunt, quia non omnibus patebit accessus;

cessus; non ita erit, inquit, volo ab omnibus audiri: *Auribus percipite omnes qui habitatis orbem*; antipodes quoque, cùm ad omnes pertineat. Incipe ergo David omnes hîc adsunt; *Quique terrigenæ, & filii hominum*; attēdite benè, inquit, omnes desidero, filios terræ, & filios hominum. O qualis invitatio! De Diogene me legisse recordor, quòd dum semel Athenis concionem habere cuperet, in medio fori, clamasse, homines, homines; cumque omnes accurrerent, nec clamare desisteret, quidam dixit ecce adsunt; cui argutè & & philosophicè respondit; *Homines quæro non sterquilinia.* An ita David persistit clamando se homines desiderare, quia tales rari sunt? Nequaquam, imò ut hanc dubitationem excludat, inquit; *Quique terrigenæ, & filii hominum*; Sitis homines, aut filii terræ quomodocumque vocemini, omnes volo; sive agricolas qui terram colunt, sive nobiles de sua stirpe gloriantes. Nunc omnes adsunt incipe ô David, advertite benè omnes volo; *Simul in unum dives & pauper*; veniant omnes sine exceptione, quia omnibus necessarium; *Os meum*, inquit, *loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.* Scimus equidem per os tuum proloqui Spiritum Sanctum; verum, inquit, est; sed hic multò certius, quia res urgentissimas indicabo, sed quæ erunt? *Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.* Attendite, dicit David, quod enim dicam tanti refert, ut etiam mihi conveniat, propterea *Inclinabo* magnâ cum attentione, ut audiam quid Dominus per me loquatur; *Inclinabo*, ut congruè loquar.

Ibid.

Ibid. 2.

13. Advertistísne aliquando dum pulsator citharæ eam artificiosè sonare cupit, non sufficit manum cordis apponere, vult etiam aurem admovere, ut nè in minimo quidem discordet: sic videtur David velle dicere; *Inclinabo aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.* Dum Princeps civitatem quandam intrare cupit, solent viæ tapetibus ornari, & arcus triumphales erigi, ut majori honore recipiatur. Pariter oratores, cùm animis audientium insignem ac perutilem doctrinam infigere volunt, variis exhortationibus, & proœmiis viam præparant, attentionem solicitant, multisque exclamationibus auditores suspensos retinent. Ita David quanta in hoc psalmo præmittit, quamdiu suspensos auditores retinet? oportuit doctrinam fuisse excellentem, sicuti verè fuit, sed qualis hæc fuit? Tribulationis, in quā, doctrina fuit, sequitur enim, *Cur timebo in die mala?* Quod licet aliqui de die mortis intelligant,

Vt citharœdus instrumentum accommodat ita David prædicationem promovet.

Cur tanta præmittit David?

gant, in sensu tamen litterali de tribulatione intelligitur, quæ in scriptura sacra sub nomine diei mali figuratur teste Sapiente; Proverb. 15. 15. *Omnes dies pauperis mali*; & David inquit; Psal. 26. 5. *In die malorum protexit me*: & Jacob à Pharaone de vita Genes. 47. 9. sua interrogatus respondit; *Dies peregrinationis meæ parvi & mali.* Propter hanc ergò doctrinam omnes invitas? Ita, inquit, quia perutilis, & omnibus maximè necessaria.

Tribulationis doctrina summè necessaria.

14. Hæc tribulationis doctrina omnibus adeò utilis, & necessaria, ut dicere auderem non esse remedium efficacius, ut nos cõtra infestissimos tueamur inimicos. Atrendite & clarissimè vobis exhibebo. Nullos potentiores habemus inimicos, quàm sensus nostros, de quibus sponsa in Canticis: Cantic. 1. 5 *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*; hi sunt fenestræ per quas mors in animam intrat; Jeremiæ 9. 21. *Ascendit mors per fenestras nostras.* Sed scirétisne mihi indicare, quis sensus plus damni adferat? dicet fortè quispiam gustus, quia *plures occidit crapula, quàm gladius*; & per hunc peccatum originale mundum introivit. Alius oculum assignavit, quia, Threnor. 3. 51. *Oculus meus deprædatus est animam meam*; & quod oculus non videt cor non desiderat. Ego tamen judicarem plus nocumenti adferre auditum;

Auditus maximè nocivus animæ

ratio autem est, quia capacior; gustus paucos cibos appetit, & subitò satiatur; oculus plurima videt, nec satiatur; *Non saturatur oculus visu*: Ecclesiastæ 1. 8. suos tamen habet terminos, non videt absentia, nec longè dissita, aut incorporea, & si non saturetur, ad minùs impletur. Auditus verò multò capacior, nihil est quod sub objecto ipsius comprehendi non potest; præsentia, præterita, futura, distantia, vera, falsa, corporea, incorporea, &c. numquam satiatur, nec impletur; *Nec auris auditu impletur*; Ibid. sicque in infinitum procedit. Auditum minùs quàm alios sensus cohibere possumus; nullus enim te coget ad gustandum, oculum palpebris occludere licet, nec ullus te coget ad videndum; auditus verò magis est in potentia aliorum, quàm nostra, oportet te aliorum discretioni committere, ut audias non quæ tibi placent, sed quæ aliis dicere lubet. Per hanc portam intrant adulationes, elusiones, detractiones, injuriæ; persuasiones malorum, impedimenta bonorum, aliaque id genus. Quis nescit quantorum malorum lingua sit occasio. Sapiens maximè in illam invehitur, & tandem concludens ait, *utilis potiùs infernus, quàm illa.* Eccli. 28. 25 Sed quò cuncta ejus mala diriguntur? ad aurem; auris ergò pars periculosior in homine, indeque omnia nostra mala, ex suggestione serpentis; undè meritò exclamat

Omnia mala admittit.

S. Ephrem;

S. Ephrem tract. de lingua mala, & aliis vitiis.

S. Ephrem; *Magna est auris fenestra, per quam mors in mundum ingressa, cunctas devoravit gentes, ac nationes, & insatiabilis adhuc remanet.*

Aures magis custodiendæ.

15. Sicut ergò ad salutem corporalem servandam, nullum melius remedium, quàm os custodire, per quod intrant amici, & inimici; sic ad animæ salutem conservandam optimum est remedium aures diligenter custodire, quia principaliores sunt portæ animæ, per quas omnia bona & mala intrant. Quantò ergò utilior salus animæ quàm corporis, tantò magis debet custodiri auris quàm os; ac tantò magis à verbis injuriosis ac letiferis, defendi auris, quàm gustus à cibis amaris, & venenosis. Hoc exemplo suo Salvator nos edocuit, teste S. Ephrem, non enim renuit aperire os, & recipere fel, & acetum, quod crudeles inimici illi porrigebant; sed noluit adulationis verba admittere, quæ dæmones illi offerebant; nec fugit osculum Iudæ, in quo sciebat proditionem absconditam; sed fugit laudes spirituum infernalium. Quin imò totum corpus morti offerendo, noluit aures periculo insidiosæ locutionis exponere; Sic curiosè observat S. Ephrem suprà citatus: *Seipsum sponte morti obtulit Salvator; at sermonibus mendacii, aurem nequaquàm prebuit; os suum aperiens, acetum cum felle gustavit, qui scelestia verba auribus excipere recusavit; os proditori osculandum exhibuit; & deceptori responsum dare noluit;* summâ ergò diligentiâ aures nostræ custodiendæ.

Vbi suprà.

Quomodo aures custodiendæ.

16. Sed quo modo conservandæ? Mos erat antiquis luctatoribus, ita se ad luctam preparare, ut nullam invenirent adversarii occasionem eos arripiendi, & in terram projiciendi; referente quippè S. Gregorio se vestibus spoliabant, oleoque ungebant, nec sic contenti, barbam pilosque carnis radebant, ut adversarii illos retinere non possent. Adhuc tamen aures detectæ manebant, quæ facillimè apprehendi poterant; quale ergo remedium his apponebant? Plutarchus inquit, illos re aliquâ cooperuisse, quæ aures ita defendebat, ut apprehendi non possent. Pariter nobis agendum, luctatores etenim sumus contrà infernales spiritus dicente S. Paulo; *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & potestates tenebrarum harum.* Omnes ergò vestes nostræ abjiciendæ. *Omnis ex vobis qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus:* oleo nos inungere oportet; *Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos:* Capilli superfluorum affectuum rescindendi; *Dilata sicut Aquila calvitium tuum.* Sufficitne hoc?

Plutarchus, in libro de audiendis poëtis.

Ad Ephesios 6.12.

Lucæ 14.33

2. Corint. 1. 21.

Michææ 1. 16.

Non, quia aures remanent; insidiis inimicorum expositæ, quas defendere oportet. Sapiens optimum ad hoc præstat consilium suadens illis sepem spineam apponendam; ita ut qui offendere voluerit, prius remaneat læsus; *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire.* Sed quo modo? verísne spinis aures sepiendæ? certè non; qualibus ergò, tribulationis spinis; *Spinas, & tribulos germinabit tibi*; his auribus cinge, dum voluntariè de tribulatione loquentes admittis, dum verba aut sonus tribulationis in auribus tuis remanet, qui te attentum reddat, & dicat versari te in medio spinarum, & periculorum tribulationis; semen quippè quod inter spinas cadit nullum fructum reddit. Sed diaboli suggestiones quid aliud sunt quàm zizania, sicut enim verbum Dei est semen bonum, *semen est verbum Dei*; sic suggestio est semen malum, de quo dictum; *Inimicus ejus superseminavit zizania.* Si ergò aures spinis cinxeris, semen hoc supra illas cadet, & nullos malos peccati fructus producet.

Aures spinis tribulationis cingendæ.

Eccli. 28. 28.

Genesis. 3. 18.

Lucæ. 8. 11

Matt. 13. 25.

17. Philosophi insignem tradunt doctrinam, si nimirum sensus aliquis occupatur objecto sensibili, non ampliùs capax est alterius objecti extranei; quia, *intùs existens prohibet extraneum*; Si pupilla est coloris rubri, omnia apparebunt rubra; si palatum amaro humore infectum, omnia amara videbuntur. Qui igitur de tribulatione libenter & frequenter audit; quid ei adveniet? hærebunt in auribus ejus quasi quædam campanulæ, quæ semper sonabunt tribulationem; undè incapax remanebit incantationum, & deceptionum sirenum mundanarum, & suggestionum diabolicarum; sic testatur Deus in diversis scripturæ locis, dum Heli minatur; *Eccè ego faciam verbum in Israël, quod quicumq; audierint, tinnient ambæ aures ejus*; & in Jeremia idem quasi dicitur: *Eccè ego inducam afflictionem super locum istum, ita ut omnis qui audierit illam, tinnient aures ejus.* Erit sonitus in auribus ejus justitiæ divinæ, & miseriæ mundanæ, & per consequens non percipient suggestiones diabolicas. Sic Noëmi à pulchritudine laudata fuit, quæ tamen non penetrabat mentem ejus; *Nè vocetis me Noëmi, (id est pulchram) quia amaritudine replevit me Dominus.*

Libenter de tribulatione audiens, ab illa liberatur

1. Regum 3. 11.

Jeremiæ 19. 3.

Ruth 1. 20

18. Quid de utilitate referam, quam tribulatio adfert, dum benè illâ uti noverimus? Magna est differentia inter civem & peregrinum in una civitate; hic nullius rei expers, si aliquid ei accidat, nescit quò recurrere, aut quempiam in auxilium vocare; licet quoque pecuniâ abundet, se adjuvare nescit:

Tribulationis ingens utilitas.

ſcit. Civis verò in omni caſu invenire novit remedia, ſcit quò recurrat, de omnibus providere poteſt. Qui tribulationem ignorat, quaſi peregrinus eſt, neſcit quomodò ſe geret, ſi aliqua illi afflictio obveniat, cadit ſubitò animo, & remanet confuſus; qui autem expers & civis eſt, ſtatim remedia omnibus adhibere novit, ideoque S. Petrus omnes adhortabatur di-

1. Petri 4. 12. cens ne eſſent peregrini: *chariſſimi, nolite peregrinari in fervore qui ad tentationem vobis ſit, quaſi novi aliquid vobis contingat.* Videlicet fratres mei nolite vos in his afflictionibus gerere ut peregrinos; nec videantur vobis res novæ, sed ut cives noveritis illis benè uti, & opportuna adhibere remedia. S. Paulus quoque ſcribens Epheſiis, qui jam pro Chriſto pati inceperant, lætatur illos non eſſe ampliùs peregri-

Ad Epheſios 2, 19. nos: *Iam non eſtis hoſpites, & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuprà fundamentum Apoſtolorum & prophetarum*: quaſi diceret, ut petra malleis percuſſi eſtis, ut poſſitis in pulcherrimo cæli ædificio conſtitui; ideoque poteſtis vos cives vocare.

19. Dices fortaſſis, hoc verificari quidem in eo qui patitur tribulationem, ſed non in eo qui de ea loquentes auſcultat; imò dico ego etiam in iſtis. Duobus modis quis in mundi cognitione optimè verſatus eſſe poteſt; primò eundo per mundum, ſecundò, ſtudendo Geographiæ; quô modô ſine expenſis, ſine periculis, ſine labore, per diverſas mundi partes proficiſcens, melius novit patriæ ſitum, ac diſpoſitionem, quàm ipſimet habitatores. Sic duobus modis poteſt quis in tribulatione eſſe optimè verſatus; primò patiendo, ſecundò diſcurrendo. Ad hunc ſecundum modum, vos omnes invito, ita ut abſque incommodo, abſque periculo, abſque ullo dolore in tribulatione exerceri poteritis; ut ſi fortè adveniat, ſciatis quomodò vos gerere debeatis. Sic Chriſtus diſcipulis ſuis multas tribulationes prædicens; poſtea ſubjunxit: *Hæc dixi vobis, ut cùm venerit hora eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* Quid ad hæc dicetis, quod non indigeatis ſimili doctrinâ? hoc in veritate aſſerere non poteſtis; in nullo ſiquidem minùs vos exercere noſtis, quàm quô modô tribulationem ſufferetis. Quid agitis afflicti? murmuratis, & conquerimini? peregrini eſtis in tribulatione, erratis, non hæc eſt via remedia conquirendi; Quid facitis, ad homines recurritis? eſt officina exhauſta, miraculum erit, ſi aliquam medicinam vobis congruam reperiatis. Impatientes eſtis? contrarium iter tenetis, verum remedium eſt

Duobus modis poteſt quis in mundi & tribulationis cognitione exerceri.

Joan. 16. 4.

Quomodo tribulatio ſufferenda?

dare se orationi, mortificationi, SS. Sacramentis, & eleëmosynis; hæc modò breviter vobis exhibita, alibi latiùs perscrutabimur.

SECVNDA PARS.

Varietas ciborum, non solus panis delectat.

20. SI quispiam multos invitaret amicos ad lautissimum convivium, postea verò non aliud nisi panem apponeret; ipsi autem famelici, & cupidi saturari optimis cibis, peterent deferri lautiores cibos; responderetque ipsis, alacriter ex pane comedite, ille enim optimus cibus, optimi nutrimenti, nec ullum vobis malum adferens, nec alios à me expectate cibos. Credo hunc ab omnibus stultum reputandum, & invitati à mensa surgentes, unusquisque domum repeteret, dicendo se panibus domi abundare; & diversos cibos comedere solitos. Pariter timendum mihi accidere posse; vos omnes invito ad verbum Dei audiendum, quasi ad lautissimum animæ convivium: sed qualem vobis cibum proponam? doctrinam tribulationis, cibum solidum, utilem, bonum, & verum; qui tamen alius non est nisi panis, ut in principio diximus; quis autem hoc solô cibô contentus erit? ut pane illo vescar (dicet aliquis) non opus est me venire ad Ecclesiam, satis enim domi abundo; non aliud quippè percipio, nisi lamentationes uxoris, filiorum, & servorum. Vellem (inquit alius) aliquid jucundi percipere, de historiis, subtilem sacræ scripturæ explanationem, pulchram enarrationem, varietatem denique ciborum expeterem: Idem enim cibus semper comestus licet lautissimus, nauseam parit. Quòd si concionator, ut diximus, se populo accommodare debet, necesse est ut delectet, hoc enim omnes desiderant; non autem de tribulatione sēper verba facere, quæ materia tristis, & mœsta. Hæ ergo sunt objectiones, & difficultates quas cōtra hāc materiam habetis: Sed bonâ vestrâ veniâ, hisce libenter satisfaciā.

Tribulationis materia tædiosa.

Varietas delectat.

Concionatores, non delectare verbis, sed compungere debent.

21. Duos insignes committitis errores vos qui ista dicitis; primò quòd putetis concionatorem attendere debere ut auditores delectet; ac discursus suos ita disponere, ut omnium gustui arrideant. Non est hoc officium prędicatoris evangelici; quin imò omninò contrarium increpare, reprehendere, minari debet, efficere ut timeant, & lacrymentur. Maximus verò abusus oppositum tenere, verba quippè Sapientis sunt pungentes stimuli; *verba sapientum sicut stimuli.* In quem locum scribens S. Jeronymus, inquit: *Si cujus sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non*

Ecclesiastæ 12. 11.

S. Ieron. lib. 2. in Isaiam.

non est sermo sapientis; & alibi *Ille est Doctor Ecclesiasticus qui lacrymas non risum movet; qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem.* Quasi diceret, qui de tribulatione concionatur, verus est prædicator. Ad Nepotianum autem sic scribit; *Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur, lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint.* Ut autem alios patres idem docentes omittam; solùm S. Joannem Chrysostomum adducam, qui hoc abusu Ecclesiam Dei planè destructam inquit: *Hoc Ecclesias Dei subvertit, quoniam vos sermonem quæritis audire compunctionis, sed qui delectare sono valeat, & non segniter & ærumnosè vestras sequimur concupiscentias, cùm sit opus eas excidere.* Meritò quoque hoc verbo *excidere* utitur, quia sic oportet eradicare.

S. Ieron. in Epist. ad Nepotian.

Chrysost. Homil. 38. ad popul. Antiochenum.

22. Agricola dum tenerum ac fœcundum ramum silvestri arbori inserere cupit; primò utitur ferrô, præscindendo ramos, & truncum aperiendo; unde cuidam hujus mysterii ignaro videri potest, quòd se nimis crudeliter adversùs arborem illam gerat; cùm tamen cuncta faciat propter bonum melius, ut disponatur ad melius recipiendum insitum ramum, novosque demum fructus producendos. Sic Concionatoribus, qui cordibus auditorum inserere debent pretiosissimum fructum verbi divini, de quo S. Jacobus Apostolus; *Suscipite insitum verbum quod potest salvare animas vestras:* Primò ferrô reprehensionis utendum; rami carnalium desideriorum præscindendi; & quasi inimicus sine ullo respectu auferre, quod hanc sanctam insitionem impedire posset; ut fructus dignos vitæ æternæ efficiat.

Concionatores, ut Agricolæ sunt.

Iacobi 1. 21

23. Quod verò ait, concionatorem se debere conformare populo; verum est, intelligendo quoad necessitatem, non quoad delectationem; quando hæc non convenit illi; maxima quippè differentia est inter coquum, seu Cauponem, & medicum; ille præparat cibos gustui aptos, dulcia propinat vina, & si opus sit, variis mediis illa accommodat, ut gratiori sapore recreent, non respiciendo si stomachum vel caput offendant, utrum morbos excitent. Medicus vice versâ cibos infirmo præparat, sed quales? qui ipsi placent? non, sed qui saluti aptiores; si sint amari nihil refert, si gustui, & saluti simul prodesse possint, benè quidem; si non, cedat gustus saluti corporali. Qualis ergò debet esse concionator? Ut caupo, solummodo gustum & saporem in cibis requirens? minimè, quia væ illis qui in concionibus suis facetias aut novitates leviori modo exhibere student, ut populi frequen-

Quomodo concionator se populo accomodare debet?

Concionator ut medicus, non ut coquus esse debet.

quentiam concitent; de iis quippè S. Paulus ait; *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei:* quasi diceret, adulter delectationem, non verba quærit; sic multis sufficit populo placere, non curantes fructum vel utilitatem audientium; altera lectio rectè habet *cauponantes verbum Dei.* Ut medicus ergò debet esse concionator, Deo per Isaiam docente: *Evangelizare pauperibus misit me, ut mederer contritis corde;* Nota *ut mederer*, quod est officium medici. Idem Sapiens sine metaphorâ eleganter exprimit; *cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia, cum timido de bello, cum impio de pietate.* Hoc tamen erit loqui directè contra voluntatem illorum, nihil refert, quia est juxtà illorum necessitatem & indigentiam, ideò tali modo perage.

2. Corint. 2. 17.

Lucæ. 4. 18

Isaiæ. 61. 1.

Eccli. 37. 12.

Sermo tribulationis non dolorem, sed gaudium parit.

24. Dicamus melius, & refutemus secundum errorem, non enim, tristitiam, sed gaudium & consolationem parit sermo de tribulatione. Si amicus quispiam in longinquas proficiscens regiones, pernavigans maria, pertransiés montes, post multum temporis domum revertatur: non videtur aliud posse dicere, aut enarrare amicis, quàm pericula, tribulationes, afflictiones; in illo mari magnam sustinuimus tempestatem, & quasi periculum submersionis incurrimus; in alia parte nos Turcæ, & pyratæ insequebantur; illo die pæne in scopulum impegimus, in altero victus defuit; nihil denique aliud amicis enarrare videtur, nec amici aliud interrogare possunt; quod Sapiens pariter testatur. *Qui navigant mare enarrant pericula ejus.* Sed nil aliud in mari est nisi tribulatio, & pericula? Non, inquit Propheta David: *Ipsi viderunt mirabilia ejus in profundo.* Nónne diversæ videntur regiones, nónne varia animalium genera, aliaque mirabilia? cur ergò dicimus enarrare solummodò periculâ, quia in periculis præteritis, & tribulationibus enarrandis, maximum videmur sentire gaudium; undè Poëta de periculis loquens inquit: *Hæc olim meminisse juvabit.*

Eccli. 43. 26.

Psal. 106. 24.

25. Dices fortassis, verum esse de tribulationibus & periculis præteritis posse loqui, consolationem adferre, quia memoria eorum felici statu præsentium conditur; undè David dicebat: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Non tamen ita est de præsentibus; quin imò dico ego multò plus; sicut enim qui extra tribulationes est libenter de iis loquitur, & alios loquentes auscultat, ut statum prosperum præsentem magis æstimet; sic qui tribulationibus opprimitur,

De præsentibus ac præteritis loqui æquè bonum

Psal. 89. 15

mitur, nihil aliud eloqui, vel audire potest, quàm de suis miseriis, & calamitatibus. Nónne clarè videtis dum infirmum variis languoribus oppressum visitatis, vos de nullo alio sermonem instituere, quàm de ejus doloribus? nunc de occasione infirmitatis, nunc de remediis adhibendis, nunc de similibus morbis sermo fit. Si tamen de tribulatione præsenti loqui dolorem adfert, cur infirmum de hac alloquimini? cur afflictionem afflicto additis? Quinimò dicetis, ita consolationem adferimus; si enim coram eo de rebus lætis ageremus, de festis, & nuptiis, accresceret dolor; ostenderemus quippè nos non compati ejus doloribus, & cum repræsentatione gaudiorũ quibus privatur, dolor augeretur. Idipsum Sapiens sentiebat, idcircò scriptum reliquit; *Musica in luctu importuna narratio*; est res molesta, & odiosa, exhibere lætitiam ei, qui variis calamitatibus affligitur. Ita ut de tribulatione præsenti loqui consolationem adferat ei, qui patitur.

Eccli. 21.6

De futura tribulatione loqui utile est.

26. Quid verò de tribulatione futura dicemus? Hoc, inquies, odiosum, & molestum erit; parit enim dolorem ante tempus, omnemque lætitiam præsentem conturbat: si hoc verum est, cur tantâ curiositate ab Astrologis inquiritis quid vobis futurum erit? cur libenter auditis aliquem vobis futura prædicentem? fortè dicetis, vos libenter audire felicia prosperitates & dignitates præordinatas; non autem mala, infirmitates, tribulationes; oportet ergò Astrologo insinuare dum nativitatem vestram describit, ut felicia, & bona nuntiet, mala omittat: placerétne vobis talis Astrologus? Certè non; quare? quia scire volumus, quid nobis accidet, quidquid illud sit, malum & bonum; parùm quippè nobis prodesset, si Astrologus mala non prædiceret, & postea evenirent: quin imò, gaudemus illa scire, ut nos ab iis defendere, aut saltem præcavere, vel melius tolerare possemus. Ecce qualiter confiteamur, nos libenter audire mala futura. Si ergò mercedem tribuis illi, qui tibi prædicit futura licet incerta, & fallacia, ideoque meritò prohibita; quomodò non malles potiùs audire unum tibi sine ulla prætensione mercedis, futura certa prædicentem omniaque sua auctoritatibus sacræ scripturæ confirmantem? imò quod plus est, modum tibi quô effugere, aut remedia adhibere debes, ut sine damno patiaris ostendentem?

Futura libẽter cognoscimus licet mala.

27. Hoc autem verum esse inde colligere potes, quod proprium Spiritui Sancto sit consolari; Paracletus quippè aliud non est quàm consolator; unde

Spiritus S. propriè consolator.

de sancta Ecclesia canit:

Veni Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium;

In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.

Nõ ampliùs dicere poterat. Sed quomodo credis consolabatur S. Paulum qui plus omnibus laboravit; qui undique periculis circumdatus fuit; *Nocte & die*, inquit, *in profundo maris fui, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in falsis fratribus*; qui ultrà proprias tribulationes, aliorum quoque sentiebat; dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non uror?* fortè nullâ consolatione indigebat? Qualiter ergò creditis Spiritum S. illum fuisse consolatum? audite quid dicat: *Spiritus S. per omnes civitates mihi protestatur dicens, quòd tribulationes, & vincula Ierosolymis me manent.* Spiritus S. magnus ille consolator, hospes adeò benignus, qui totus est dulcedo, totus amor, mihi semper prædicit, & protestatur, quòd maximæ tribulationes me expectent Ierosolymis. Hoc autem adeò frequens est, ut in omnibus civitatibus quò advenio, dum ex itinere defessus, optimâ refectione, & consolatione indigeo; tunc Spiritus S. hoc pietatis officium exequitur. Hæccine erat consolatio? Ita, maxima erat; scire quippè mala imminentia, summoperè desiderabile; ac etiam consolationem adferebat rectè disposito ut S. Paulus erat.

2. Corint. 11. 26.

Ibid. 29.

Act. Apost. 20. 23.

28. Loqui ergò de tribulatione præsenti, præterita, & futura, semper oblectat. Ulteriùs quoque progrediendo dicere audeo quòd summoperè delectet de tribulatione loqui eo modo, quô nos intendimus; nimirum in abstracto, non determinando tempus, nec locum, nec personas. Hoc verum esse, experientiâ patet in repræsentatione comœdiarum; qualiter homines ad illas accurrunt, quali attentione percipiunt; sed inter has quæ magis æstimatur? sine dubio tragœdia; hæc de quo agit? de tribulatione, de traditione, occisione, rebusque mœstis lacrymas excitantibus, quæ autem majorem conciliat tristitiam, pulchrior dicitur, magis oblectat, majusque pretium soluitur, ut illa videri possit. Quid hoc sibi vult? nisi quòd audire tristia quæ planctum movent, nõ parvã delectationẽ pariat? nullus ergò dicere poterit, hanc materiam quam prę manibus habeo, non esse delectabilem. Dicet rursum aliquis, sit delectabilis prout vult; ad minus negari non potest, quòd frequenter eandem audire materiam nauseam pariat; sicuti

De tribulatione in genere loqui delectat.

cibus

cibus licet optimus frequenter comestus, nauseat. Hoc rectè diceres, si tibi tribulationem eodem semper modo adferrem, sed tot diversæ erunt materiæ, & condimenta hujus tribulationis, ut semper alium cibum te gustare æstimes. Eodem modô quô expers coquus ex eodem animali plurimas diversas dapes accommodare novit; modò coquendo & variis rebus condiendo, modò assando, nunc hoc, nunc alio modo præparando.

Tribulationem diverso modo percipere non tædiosum.

29. Insignis Romanorum exercitus Dux, Titus Quintius Flaminius, videns milites suos timore perculsos, quia adversariorum exercitus multitudine gentium, & diversitate armorum præcellebat; ut ab animis eorum hunc vanum timorem propelleret dixit: A pauco tempore ab amico invitatus ad cænam, cùm mensæ assedissem, vidi eam omnis generis ciborum refertam; miratus unde illo tempore, terrâ undique nive coopertâ, tantam ciborum diversitatem reperire potuisset; respondit, non esse carnium diversitatem, sed omnes ex eodem animali procedere, in modo tamen præparandi, & condiendi varietatem apparere. Pariter vobis dico milites, licet audiatis tot esse militum diversitates, omnes tamen sunt unius generis homines à vobis nullo modo timendi. Quo exemplo ego quoque utendo, vobis demonstrabo, quòd licet semper de tribulatione agemus; tot tamen diversis modis de ea discurremus, & tantis condimentis eam præparabimus, ut videantur semper novi cibi. Nec solùm diversitas ciborum vobis gustabit, verùm etiam curiosa de ea tam diversimodè ratiocinatio, & diversis vicibus repræsentatio. Habet insuper tantam tribulatio cum diversis materiis connexionem, ut sine dubio aliquam semper secum attrahat.

Cibi diversimodè cocti, alii apparet, ita tribulatio variè proposita.

30. Quid ultrà in hac materia desiderari potest? fortè illam gloriosam & honoratam esse; ut habeat tres conditiones boni, utilis, delectabilis, & honesti? Et talis reverà est, ita ut qui de alia materia, quàm de tribulatione discurrit, ipsi quasi injuriam facit. Etenim si equiti, aut nobili cuidam ætate maturo in donum aliquot afferres nuces, aut poculum lactis; nónne meritò se derisum reputaret? certissimè ita: quia pueriliter cum ipso ageres his donis puerilibus. Plurimum tamen se honorari putaret, si ipsi gladium, lãceam, aut equum offerres: his enim militaribus donis, ostenderes illum esse generosum, qui similibus honorificè uti novisset. Pari modo qui vobis dulcia & læta profert, quid aliud facit,

De tribulatione loqui gloriosum, & honorificum.

cit, quàm lac offerre more infantum? Qui autem de tribulatione sermonem instituit, vobis arma ministrat ad inimicum debellandum, & instar nobilis honorat. Non mea hæc adinventio sed S. Pauli, qui Corinthiis de rebus dulcibus locutus, postea sic scribit; *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam*; quasi diceret, ignoscite mihi, ô Corinthi, si ut infantibus vobis locutus fuero, dando vobis lac, quia vestra culpa fuit, unde dicit; *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, adhuc enim carnales estis.* Perfectis autem, qualem doctrinam ministrabat? de tribulatione, passione, & cruce; *Sapientiam*, inquit, *loquimur inter perfectos*. Qualis autem hæc Sapientia est, & in quo consistit? in cruce, in passione; *Dei Sapientiam, in mysterio, quæ abscondita est.* Illa est, quæ abscondita est in mysterio redemptionis, in cruce, & passione Salvatoris.

1. Corint. 3.2.

Ibid.

1. Corint. 2.6.

31. Ex historiis prophanis probationem adducere poterimus; in vita Alexandri Magni refertur, dum ipso adhuc infante, legati Regis Persarum in aula patris ejus advenissent; loquendo illis, non puerilia, aut lusus tractavit, sed generosa, de bello, & gubernatione Regni: unde animum ejus ad sublimia aspirantem subitò agnoverunt; eaque indicia esse insignium victoriarum postea adeptarum augurati sunt. Non tantùm ergo conveniens, utile, ac delectabile, verùm etiam honorificum, & gloriosum est de tribulatione sermonem instituere. Quid tamen sibi vult quod communiter involuntariè hunc sermonem audiamus? Cur de lætitia, honoribus, & festivis gaudiis libenter sermones auscultamus? Hanc diversitatis rationem nulli potius tribuere possem, quàm illusioni dæmonis; qui materiam adeò utilem, & necessariam ex memoria & ore nostro penitùs aufert, ut vanitatibus dediti, in illis tempus nostrum consumamus. Nónne meministis, quòd Salvatori nostro ut illum ad peccandum disponeret; *Ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum?* Non ipsi tribulationes, sed gloriam, & excellentiam mundi exhibebat; dum autē Moysi & Eliæ Christus in monte apparebat, loquebantur ei de cruce, & tribulatione; dæmones quoque à Christo fugati, laudes ejus prędicabant.

Cur illibenter de tribulatione audimus?

Matt. 4. 8.

32. Deceptio ergo hæc diabolica est; ideoque rectè dicebat Propheta Isaias; *Populé meus qui te beatum dicunt, te seducunt:* perdere te volunt, & in ultimam adducere ruinam. Intelligitísne hoc divites, & potentes? multos habetis adulatores, qui vos beatificant, & magnificant divitias vestras, & potentiam; dicunt

Diabolus impedit ne de tribulatione audiamus.

Isaiæ 3.12.

dicunt non debere vos agnoscere aliquem superiorem; *te seducunt, te seducunt.* Intelligísne ô mulier, qui tibi applaudunt, & blandiuntur, & verbis, ac vanis versibus ad cælum usque efferunt, quasi non esses mortalis? *te seducunt, te seducunt.* Intelligísne ô juvenis, qui divitias, & pulchritudinem tuam prædicant, & omnes actiones, ac verba tua mirificè extollunt? *te seducunt, te seducunt.* Intelligísne tu qui profiteris vitã spirituale͂, qui te dicunt bonum, & sanctum, nec indigere pœnitentiâ, sed potiùs te alios docere debere? *te seducunt, te seducunt.* Intelligisne ô ambitiose, qui te suprà omnes extollunt, omnique honore dignum æstimant, qui te laudibus suis inflant? *te seducunt, te seducunt.* Sunt esca dulcis hæc verba, sub qua deceptionis hamus absconditus; esca, quæ semper prędam capit. Ubi ponitur viscus in ramis, & distenduntur retia, ordinariè fit præda; non quòd infallibiliter sequatur, quandoque enim in vanum extenduntur; Isaias autem non dicit te volunt decipere, sed te decipiunt; hæc quippè esca adeò dulcis, & delectabilis, ut nullus sit quantumvis magnus qui non se decipi permittat. Si ergò *qui te beatum dicunt, te se ducunt;* qui te miserum indicabit, qui discooperiet tribulationes & calamitates tuas, verum dicet; oculosque tuos aperiet, & te ab illusione immunem reddet. Hoc itaque discursu, cognoscere potuistis deceptionem diabolicam esse illibenter audire discursus de tribulatione; à qua vos absolutos demonstrabitis, si libenter sequentes discursus vobis exhibitos perlegere & audire non gravemini.

Laudes humanæ multos seducunt.

DISCURSUS SECUNDUS

Si tribulatio sit vera, & realis, vel imaginaria? & quomodo ad cælestem patriam tribulatione carentem anhelare debeamus.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Verbo Domini melius quàm Amphionis musicâ omnia fabricata esse, ostendit num. 1. 2.

Subjectum hujus operis vera, & realis tribulatio est, quam Stoicorum tamen argumentis refellere nititur. à num. 3. usque ad 8.

Nullam sensibilem tribulationem in homine esse probare conatur, à num. 9. usque ad 20.

Veram tamen tribulationem esse ostendit. num. 21. 22. 23. 24. 25.

Stoicorum argumenta refellit à num. 26. usque ad 31.

Nos cælestia tribulatione carentia concupiscere debere docet num. 32. 33. 34.

Pulchrum esset nos instar Amphionis fabricare posse.

1. ARs insignis ac nobilissima, sine dubio, benigne Lector, esset, de qua verificari posset, quod de excellenti quodam musico, Amphione dicto, olim fabulata est cæca gentilitas; illum nimirum muros civitatis magnę Thebarum, sine cæmento, sine malleo, absque eo quòd manus calce fædaret, aut humeros gravi lapidum pondere supponendo læderet, vel ad eosdem deferendos, & aptandos loco se moveret: non aliis utens cordis, quàm musici instrumenti, non alio labore, quàm cantu & sono, quibus post se lapides grandes traheret, destinatos muros aptè composuisse. Quasi lapides tanto intellectu, & spiritu abundarent, ut sonum musicæ percipientes, hoc efficerent motibus, quod velox saltator pedibus perficere solet; sicque Amphionis voci obedientes, si cuperet ut sub terra ad fundamenta descenderent, voce dimissâ hoc ipsis insinuando, obtemperabant; si in alto collocare vellet, vocem attollendo id efficiebant; si inter se compositos vellet, vocem cantui accommodans, ipsi se mutuò complectebantur. O qualis musicæ virtus, ô qualis lapidum obedientia!

Insignis musicæ virtus.

2. Sic ergo fabulata est gentilitas', occasione fortè desumptâ ex libro Josue, ubi legitur muros

Unde gentiles hoc fingere potuêrunt?

muros Jerechuntinos ad sonitum tubarum sacerdotalium subitò corruisse; ideoque argumentati sunt, non debere incredibile apparere, si sonitu musicæ iterum reædificati fuissent. Vel fortè per lapides homines rudes intelligebant; per musicam sermocinationem prudentem, & dulcem; per murorum fabricationem, eosdem homines sub communibus legibus, & civitate, reductos. Quomodocumque hoc sit, multò meliùs nos dicere possumus, virtutem altissima ædificia extruendi, concedi debere suavissimæ musicæ divinæ vocis; non solùm quia hac ex nihilo fabricavit Deus vastissimam mundi molem; sed quia hæc verba in ore ministrorum suorum posita, virtutem habent fabricandi & destruendi mirabilia, & altissima ædificia. Hoc in Jeremia Propheta clarissimè patet; *Ecce dedi verba mea in ore tuo*, dicit Deus Jeremiæ; ad quem finem? ut sis fabricator; *ut evellas, & destruas, & disperdes, & dissipes, & ædifices & plantes.* Ut hanc malè erectam fabricam destruas, & aliam de novo ædifices; ubi Domine sunt instrumenta, lapides, cementum, aliaque necessaria? *Ecce dedi verba mea in ore tuo*; non aliud queras quàm verba mea, illa quippe tibi omnia suppeditabunt.

Virtus fabricandi soli Deo adscribenda.

Jeremiæ 1. 9.

3. In hoc ergo omnes prædicatores conveniunt, quòd sint fabricatores, licet singuli non eidem fabricæ intendant, sed diversæ, secundùm diversitatem virtutum, quas in anima audientium fabricare intendunt. Alii templa ad devotionem erigunt; alii ampla charitatis palatia; alii propugnacula spei, alii cavernas subterraneas ob humilitatem; alii loca longè prospiciendi. Sed ego quid facere intendo? fortissimam, & altissimam turrim patientiæ. Primum ergo quod fabricator intendere debet; si velit ædificium fortiter subsistere, maximè dum turrim erigere, ejusque firma constituère fundamenta cupit, ut illa suprà solidam petram firmet; ne illi ædificio accidat, quod stulto fabricatori in Evangelio accidisse S. Mattheus refert; quod *ædificavit domum suam super arenam, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruèrunt in domum illam, & fuit ruina illius magna.* Qualis modò erit petra firma & solida, supra quam ædificium nostrum erigemus? S. Paulus inquit, fundamentum ædificii spiritualis esse debere Christum; *fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*: & optimè dicit loquendo de petra fundamentali, quæ in fundamento ponenda: nos verò non de illa loquimur, sed de loco seu solo

Concionatores sunt diversi fabricatores.

Fundamenta firma jacienda.

Matt. 7. 25.

1. Corint. 3. 11.

solo in quo fundari debet; quod secundùm Philosophos vocatur subjectum, idque verum, reale, & solidum esse debet, ne fictè loqui videamur. Peripateticorum princeps Aristoteles docet primum quæsitum in omni materia esse debere de existentia subjecti; si enim hoc non apertè existeret vana esset ulterior inquisitio. Quod ergo subjectum nostrum supra quod hæc fabrica erigenda? tribulatio, antè omnia ergò inquirendum, & benè considerandum, si illa quid solidū & reale in mūdo sit; aut certè quid imaginarium & mente apprehensum, quod hoc discursu inquirere statuimus, examinando rationes utriusque partis, ut veritatem reperiamus.

Fundamentum verum & reale esse debet.

An tribulatio quid fictum, aut reale?

4. Sed quid, dicet aliquis? ergóne dubium esse potest, tribulationem in mundo esse? & si nullum sit dubium, quid inquisitione opus? De oratore quodam legitur, dum pulcherrimam orationem in laudem Herculis composuisset, Lacędemonius quidam subridendo dixit, quis est qui illum vituperet? Inferre volens superfluum esse laudare eum, quem nemo laude indignum judicasset. Pariter dicere possemus, quid probatione opus, si nullus adeò ignavus aut felix, qui tribulationem neget? si sit clarius sole, sensibilius igne, certius omni re quæ manu tangitur, nec minùs certum illis, quæ per fidem habemus? Si tamen fuisset aliquis, qui illam negaret, prout plurimi Sapientes illam non admiserunt, quid diceres? Non extra rationem fore illam probare. Sic modò rectè dicendum, quia integra præcipuorum Philosophorum Schola, Stoici dicti, inter quos viri aliàs non indocti, illam negarunt.

Stoici tribulationem negarunt.

5. Princeps horum, & caput, fuit magnus ille Zeno, tanti ab Atheniensibus propter Sapientiam, & vitæ integritatem æstimatus, ut ipsi licet extraneo, claves civitatis committerent; & publico decreto ordinarent, ut expensis communibus ipsi statua erigeretur. Inter hos Chrisippus, à Cicerone tanto in honore habitus, ut ad ipsum, in Græciam usque filium Philosophiâ imbuendum mitteret. Inter hos Cato Uticensis, de quo latinæ eloquentiæ princeps asserebat, non potuisse esse meliorem, nec fortiorem, nec temperantiorem, nec justiorem ipso. Inter hos Seneca moralium Philosophorum primicerus, qui propter doctrinæ excellentiam, à S. Jeronymo inter scriptores ecclesiasticos annumeratus. Inter hos Epictetus, qui parvo suo libello adeò salutaria dedit pręcepta, ut S. Carolus Borromęus maximi illum faceret, ac in primis juventutis annis, semper eum

Stoicorum præclari viri.

eum manibus terens, non modicum inde perciperet fructum. Licet quoque conditionis esset servilis, tanto tamen in honore habitus, ut quispiam lucernam ejus tanto auri pondo emerit, quantum ponderabat. Fuit denique hæc schola Philosophorum insignibus viris decorata, qui omnes tribulationem in mundo esse negabant.

Tribulatio nil reale, sed imaginariũ.

6. Dicebant enim aliud non esse bonum, quàm virtutem, nec aliud esse malum, quàm vitium: paupertatem autem, infirmitatem, injuriam, dedecus, mortem ipsam, [illegible] nomine tribulationis comprehensa res indifferentes asserebant, nullo modo timendas, nec fugiendas, solummodo ignavis, ac ignorantibus timorem incutientes; cùm tantùm videantur esse larvæ in somnis apparentes. Ad hoc probandum adducit Seneca versum illum Virgilii, quem summoperè laudat; *Terribiles visu formæ, letumq; laborq;* notat quoque ipsum non dixisse, *esse terribiles*, sed *visu*; videri, nempè, non esse. Quin imò ulteriùs procedentes dicebant, hominem sapientem, qui res singulas indicat prout sunt, & non prout apparent, semper felicem esse, ac omnibus bonis abundare; licet enim videatur deformis, esse tamen pulcherrimum; licet nulla possideat, esse ditissimum; licet sit servus, regem tamen esse; licet denique præscindatur ferro, comburatur igne, laceretur à bestiis, beatissimum esse.

Seneca cap. 104.

Sapiens in omnibus beatus.

Stoicorum circa hæc motiva.

7. Sed quid adducere poterat hos viros alioquin sapientes ad hęc extraordinaria eloquenda? Primò, futuræ vitę ignoratio, in qua pręmia bonis, & supplicia malis sunt destinata. Cùm enim ex una parte ipsis irrationabile videretur heroicas virtutes bonorum, suo præmio, ac scelera iniquorum pœnâ debitâ privata manere; nescientes hæc futuro judicio reservari; modum excogitabant, quô in hac vita hæc ipsis retribui possent. Ex altera verò parte videntes bonos in hac vita pessimè quandoq; excipi, contemptos, & afflictos esse; malos vice versâ, ducere vitam delitiis plenam, à mundo favoribus & honoribus decorari; in eam devenêre sententiam, ut nec hos, nec illos, bonos vel malos esse dicerent; quin imò malos in medio delitiarum, voluptatum, & dignitatum, infelices; bonos verò in omni fortuna prospera, sive adversa, felices esse. Adjungit insuper Seneca, ut veritas hujus rei innotescat (nulla videlicet bona esse, quæ vulgus æstimat, nec mala quæ timet) voluisse Deum ut bonis mala, & malis hæc bona contingerent: *Hoc est propositum*, inquit, *Deo, quod Sapienti viro, ostendere hæc, quæ vulgus appetit, quæ re-* for-

Nulla verà bona in mundo sunt.

Seneca libro cur bonis viris mala accidant.

formidat, nec bona esse, nec mala. Apparebunt autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit, & mala esse, si malis tantùm erogaverit. Detestabilis erit cæcitas, si nemo oculos perdiderit, nisi cui eruendi sunt. Ejusdem opinionis Hesiodum fuisse credo, dum Iovem in vase quodam omnia bona conclusa habuisse finxit; quod cùm Pandoræ servandum tradidisset, illa curiositate victa vas aperiens, cuncta ad cælos evolarunt, nullo alio, nisi solâ spe, in vasis extremitate hærente. In quo se credere ostendit nullum verum bonum in mundo esse, & consequenter nullum malum; cùm (ut Philosophi ajunt) *contrariorum eadem sit ratio:* Ex uno contrario licet alterum inferre, & multò magis ex habitu privationem. Fictionis hujus occasionem fortè, ex sacra scriptura accepit, in qua de prima nostra matre Eva dicitur quòd curiositate victa, ex pomo vetito comedens, mundum possessis bonis, & justitiâ originali privavit.

Hesiodus in Theoganice.

8. Arbitrabantur ulteriùs hi Philosophi corpus nostrum, non esse partem hominis, sed tantùm vestimentum, aut habitationem ejus, & totum esse hominis in animo consistere; prout Plato quoque sentiebat. Cùm ergo nihil istorum, quæ tribulatio vocantur, offendat animum, nisi sola culpa, vel peccatum, idque non ab alio quàm à nobis dependeat; concludebant, hominem non de aliquo conqueri debere, nec aliquem illi posse injuriam inferre. Huic opinioni S. Joannes Chrysostomus subscribere videtur, dum in præclara homilia; quod *nemo læditur nisi à seipso,* inter cetera dicit; *Cùm ergo ea quæ extrinsecùs sunt, damnum, aut amißio, aut afflictio ulla supervenit, non læditur homo; quia omne bonum ejus in animi virtute consistit.* Hæc ergò fuerunt Stoicorum fundamenta; in quorum favore, ut veritas meliùs elucescat, particulares quasdam rationes adiungemus.

Secundum Stoicos corpus vestis est hominis.

Nemo læditur nisi à seipso. S. Chrysost. tom. 5. homil. 9.

9. Quid ergò dicitis vos omnes, quibus Stoicorum opinio extranea videtur? varias esse tribulationes in mundo? Si ita esset, vel hæ pertinerent ad sensus, vel ad intellectum; vel ad corpus, vel ad animam; aut ad illam partem, quæ nobis bestiisque communis; vel ad illam, quâ Angelis similes reddimur. Si primæ parti, ergò tribulatio erit nobis bestiisque communis. Sed quis umquam audivit, animalia irrationabilia tribulationem pati? possunt quidem dici lassa, & infirma, sed tribulatione afflicta numquam. Quinimo in Evangelio pro exemplo vitæ commodissimæ proponuntur; *respicite volatilia cæli,* inquit Salvator, *quoniam non serunt, neque metunt,*

Nulla tribulatio in homine esse potest.

Matt. 6. 26.

metunt; ut illorum exemplo non turbemur pro victu conquirendo. Amplius dico, pone sensus in homine, & aufer ipsi discursum, seu ratiocinationem, & nesciet quid sit tribulatio. Quando indicare vis duos esse semper simul, dicis ubi unus est, ibi pariter alter erit; sic stoliditas quæ aufert rationem, & relinquit sensus; & lætitia quæ excludit tribulationem, ita simul unitæ sunt, ut ubi una sit, ibi pariter altera erit. Vis scire ubi stolidus? ubi lætitia, *cor stultorum ubi* [illegible] : scitis ubi risus, & gau[illegible] ? ubi stulti; *risus abundat in ore stultorum*. Tribulatio ergò ad sensus non pertinet.

Non est in sensibus.

Ecclesiastæ 7.5.

10. Adjungamus insuper, quòd licet ad sensus pertineret, non tamen dicendum, ad hominem pertinere; non solùm quia illam non pateretur ut homo, sed ut animal; verùm etiam quia plus esset lucrum quàm damnum. Dum aliquis bono pretio possessionem suam vendit, non dicit se illam perdidisse; quia licet illâ privetur, æquivalentem tamen, aut potiorem solutionem acquisivit. Sed quis nescit majoris pretii esse bona animæ quàm corporis? qui ergò perdendo bona corporis, animæ bona acquirit, non debet conqueri, nec dicere quod perdiderit, & quod affligatur, sed quòd acquisiverit. Quid tribulatio efficit? Aufert aliqua bona corporis, sed auget bona animæ; fortitudinem à corpore ablatam, animæ tribuit, dicente Apostolo gentium; *Cùm infirmor, tunc potens sum*; iuventutem & sanitatem quam corpori aufert, animæ largitur; quia *licet is qui foris est noster homo corrumpatur*, dicebat S. Paulus; *tamen is qui intus est renovatur de die in diem*; Consolationes quas corpori aufert, animæ donat; *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis; ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Et dices hæc esse perdita? esse tribulationes? Non, non; sunt lucra, sunt prosperitates, sunt gaudia.

Tribulatio damnum corporis, lucrum animæ

2. Corint. 12. 10.

2. Corint. 4. 16.

2. Corint. 1. 5.

11. Dices fortasse tribulationes non pertinere ad corpus, sed ad animam, ad partem rationalem, & intellectivam, ad illam quæ bona à malis discernere novit; sed dicere omitto, quòd cùm nos in hac parte assimulemur Angelis, sequeretur illos quoque tribulationibus suppositos, quod falsum est. In anima nostra duæ sunt potentiæ, intellectiva, & volitiva; ad quam dicetis tribulationem pertinere? fortè ad intellectum? sed tunc esset scientia, vel ignorantia, quia harum tantummodo intellectus est capax; sed ignorantia esse non potest, cùm, ut antè diximus, lætitiam adferat: multò minus scientia esse potest, quia res desiderata jam

Vtrum tribulatio ad animam pertineat?

Utrum in intellectu vel voluntate?

obtenta lætitiam adfert. Sed quid magis ab hominibus desiderandum, quàm scientia; *omnes homines scire desiderant*, dicit Aristoteles. Ubi ergò erit hæc tribulatio? in voluntate? sed in hac minùs quàm in alia, cùm ad hanc pertineant actus virtutum, & vitiorum, volendi & nolendi. Tribulatio ergò erit in actibus virtutum? minimè, hi siquidem hominem beatum reddunt; an in actibus vitiorum? nec in his erit, sequimur quippe vitia propter delectationem quam adferunt. Voluntas denique est domina suorum actuum, & talis ut nullam possit pati violentiam; aget ergò semper quod volet, & per consequens tribulatio ad illam non pertinebit.

Tribulatio sentiri debet.

12. Dico insuper, quis nescit conditionem hanc tribulationi necessariam, ut sentiatur? percute lapidem quantum velis, & omnem injuriam exhibe, non dicetur afflictus, quia non sentit. Tyrannus crudelissimus Tiberius, dum multos occideret, non sufficiebat illos occidere, sed volebat ut sentirent se mori, ideoque dicebat; *sentiat se mori*. Diogenem morti proximum interrogabant amici ubi sepeliri vellet, at ille inquit; ponite me in medio campi; cui amici, corvi te comedent; volo, inquit, baculum habere vicinum, ut illos abigere possim; deliras subjunxerunt Diogenes, mortuus eris, quomodò te defendes? non senties morsus; si non sentiam, inquit, quid refert si me devorent? sensus ergo tribulationi necessarius. Hoc benè intellexit Isaias, qui ut acerbitatem tormentorum Salvatoris nostri exponeret, dixit: *Desideravimus eum virum dolorum, & scientem infirmitatem*; non sufficiebat dicere *virum dolorum*, sed adjungere volebat, illum scire infirmitatem; non stupidum videlicet, aut insensibilem, sed qui optimè noverat do[illegible]os patiebatur, & consequ[illegible]er per illos summè affligebatur. Si ergò probavero tribulationes non sentiri, certissimè vincam. Attendite.

Christus maximè passionem sentiebat. *Isaiæ 53. 2.*

Ut elementa in propria sphæra non gravant, sic tribulatio.

13. Philosophi dicunt, quod elementa in propria sphæra non gravent, idque experientiâ patere probant. Qui in mari sub aquis natant, montes aquarum corpori impositos non sentiunt; quid hoc sibi vult? aqua illa in loco naturali est, ideoque non gravat. Clarius adhuc exemplum est in hauriente aquã de puteo, quamdiu hydria sub aquis est, nihil ponderis sentis in elevando; licet enim sit plena aquis, quia tamen in loco naturali est, non ponderat: subitò autem, ac ex aquis elevatur, pondus illius sentis, quia extra centrum elevatur. Suppositâ ergò veritate hujus opinionis, sequetur

sequetur tribulationem quoque nullum adferre pondus, nec afflictionem in proprio loco, quem pro centro agnoscit. Sed quis ejus proprius locus? non alius quàm cor hominis; unde enim cognoscitur aliquid centrum alicujus esse? Quando eò concurrit absque aliquo impulsu, aut incitatione, bene argumentamur illud esse centrum illius, & locum naturalem in quo requiescit: sic ex seipso lapis inferiùs descendit, & ignis in altum elevatur. Ut ergò ho- [illegible] afflictus, ut congeries calamitatum efficiatur, quid opus erit? An vires extrinsecè impellentes? absque eo quòd ullus vim inferat, aut manum admoveat, spontè ad eum tribulationes concurrunt. Propheta Daniel vidit, quòd dividebatur lapis de monte; sed quorsùm se præcipitabat? ad locum naturalem, quis fuit iste? pedes statuæ illius magnæ; vocatur autem, *lapis sine manibus*; an fortè alii lapides manus habent? credo dicere voluisse, non fuisse manu divisum, nec motum, nec deorsùm præcipitatum, sed gravitate naturali deorsùm adactum. Ut significaret quòd ad delendam summam Nabuchonodosoris, & sequentium Imperatorum, potentiam, non magnâ fortitudine, aut labore opus esset, sed quod instar lapidum ad proprium centrum, sic tribulationes & ruinæ eò tendebant.

Cor hominis, centrum tribulationis

Quomodo lapis de monte præcisus.
Danielis 2. 34.

14. Clariorem adhuc vobis experientiam exhibeo, quis cognoscere cupiens an in loco quodam aqua sit, fossam effodit, quam aqua, si ibi sit (cùm semper deorsum tendat) subitò implet. Pariter homini accidit, ad quem vix nato, confestim miseriæ confluunt, ut impleant. Audi Prophetam Job hoc egregiè docentem; *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*; Sed quis illas adducit? *Repletur*, inquit Job, à quibus? non externo opus est adjutorio, tribulationes quippè & miseriæ, ex seipsis eò confluunt, ut ad locum naturalem, ut illum repleant. Nec sine mysterio fortè dictum, *repletur*, & non *impletur*; quasi diceret, non unâ solâ vice, sed multis vicibus repletur; & licet exhaurias, est tamen ut puteus aquarum viventium; unde quantò plus haurias, tantò plus reinfluit. Valles dum pluit, aquâ replentur, eò siquidem ut ad locum naturalem aqua decurrit, cùm humiles sint, & infimæ. Cor humanum quid esse existimas? vallis est, quò naturaliter omnes aquæ tribulationum accurrunt, sic David inquit, *Ascensiones in corde suo disposuit*, sed quid cor est? vallis quò aqua lacrymarum naturaliter decurrit, *in valle lacrymarum.* Philosophus quidam interrogatus quid essent civitates?

Sicut aqua ad fossã, ita tribulatio ad hominem confluit.

Job 14. 1.

Non aggravant hominem.
Psal. 83. 6.

prudenter respondit, domicilia tribulationũ; quot domos vides, tot habitationes tribulationum te videre existima. Non sunt istę peregrinæ, sed incolæ, & cives, in domo propria sunt ut in loco naturali, & centro; ergò dici non potest ibi gravare.

15. Si ita est, quid sibi vult homines adeò conqueri, se esse afflictos? Ad hoc meliùs respondere non possum, quàm hoc ex

Imaginatio maximam vim habet.

propria imaginatione fieri. Maximam vim habet imaginatio, de hac Galenus, & Avicenna mirabilia referunt. Fuit qui se imaginabatur esse vas vitreum, ideoque fugiebat quæque obvia, ne rumperetur. Alius semper inclinatus incedebat, fingens se portare cælum ut alter Atlas. Fuit denique qui imaginabatur se granum milii esse, & ne à gallinis comederetur, illas plus quàm Leonem fugiebat. Ne autem hæc incredibilia appareant, exemplum in sacris litteris habemus de Nabuchodonosore, qui in feram silvestrem commutatus videbatur, ut Prophetia Danielis refert; non tamen fuit vera, & realis mutatio, sed imaginaria; imaginando quippè se bestiam, ut talis vivebat, sicque necesse fuit, ab hominum consortio ejici, & cum bestiis con-

Tribulatio imaginatio quædam.

versari. Hæc imaginatio hodiè plus quàm umquam in hominibus dominatur, tot enim se conqueruntur afflictos, qui revera non sunt, sed sibi videntur, nec aliud patiuntur, quàm imaginationem falsam.

16. Quandoque evenit, quempiam sanum, ac benè dispositum, sine ulla infirmitate, imaginari se infirmum esse; qui statim in lectum se recipiens, de febri conqueritur, videtur ingenti calore aduri, inclamat medicum, accurrunt servi, se jam jam moriturum exclamat; adveniente tandem medico, infirmum intuente ac pulsum contingente, nec adeò m[illegible]lem reperiente, subride[illegible]quit; non aliud in te malum reperio, nisi imaginationem turbatam. Pariter iis accidit, qui se afflictos conqueruntur, videntur præ nimia tristitia morti proximos; aliud tamen non subest, quàm imaginatio turbata. *Imaginatio multos decipit.* Dices fortassis, stultos hoc errore decipi; & dicere auderem, etiam sapientissimos: David numquid vir sapiens? & tamen dicit hoc sibi accidisse; *Concaluit cor meum intra me*, inquit; ingen- Psal. 38. 4.
tem sentio calorem, timeo ne febris incipiat, quia *in meditatione mea exardescet ignis*: videbatur totaliter exuri; quid fecisti David? recurri subitò ad medicum, ad Deum meum; quid illi dixisti? ut mihi horam mortis indicaret; *Locutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meũ*: Domine pessimè me sentio, indica,

Ibid. 6. dica, quæso, si mori debeam: *Eccè mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tamquam nihilum ante te:* Vix aliquid vitæ meæ restat, ad extrema redactus videor. Oh quantum malum, sed quid fuisse credis? non aliud quàm imaginationem, ut ipsemet confitetur; *verumtamen in*
Ibid. 7. *imagine pertransit homo, sed & frustrà conturbatur.* Video, inquit, non aliud quàm imaginationem fuisse quæ me conturbabat, & hoc commune omnibus; ideò non dicit, *pertransivi*, sed [illegible]*t homo.* Omnis homo imaginationem patitur, illud quippè *in imagine pertransit*, ut gravissimi auctores exponunt, aliud non significat, quàm imaginariam vitam ducit, judicat cuncta juxta imaginationem suam.

Præclarum dictum Seleuci.

17. De Seleuco rege potentissimo, ab omnibus felicissimo æstimato memoriæ proditum est; dum coronam regalem suspiceret, ingemuisse, ac dixisse; si omnes cognoscerent quantæ tribulationes sub hac corona latent, nullus eam à terra levare vellet; ipse se miserrimum, sed omnes alii eum felicissimum reputabant. Cui tamen credendum? multis potiùs quàm uni, in propria siquidem causa unusquisque errare potest. Pauperes, divites felices æstimant, & hi seipsos infelices, & pauperes magis contentos: milites, mercatores felices reputant, & rustici milites meliores opinantur: sicq; de omnibus; singuli quippè alios status beatiores æstimant. Sed quid sibi vult illos non convenire? quia omnes secundùm imaginationem procedunt, & non secundùm veritatem, ita ut tribulatio aliud non sit, quàm malum imaginatum, aut sensuum deceptio.

Singuli alterum beatiorē æstimant.

Tribulatio umbra est.

18. Nónne deciperetur, qui umbram quid reale, aut verum putaret? Ita certè, aliud quippè non est, nisi privatio lucis, & non ens; quamvis lux vicina, illam aliquid esse, apparere faciat: & qui de illa ut de re vera, & reali, aliquid speraret lucri, aut illum timeret, (ut de Cane Esopi refertur, qui propter umbram carnis in aqua apparentem veram partem carnis amisit quam ore tenebat) deciperetur; credens se quid solidi manu tenere, cùm nil nisi ventum manu stringeret. Sapiens æquali bilance umbram, & ventum ponderare videtur; *Quasi*

Vmbræ sæpe fallunt.

Eccli. 34. 2 *qui apprehendit umbram, & persequitur ventum; sic & qui attendit ad visa mendacia.* In libris Iudicum legimus, quòd cùm Abimelech cum numeroso exercitu de monte descenderet, & timeret adversarium Gaal, quem ad eum descendere videbat, dixit ei Zebul; *Vmbras montium vides quasi capita hominum, & hoc errore deciperis.* Sed quod nos tribula- Judic. 9. 36.

bula-

bulationem vocamus, quid aliud est quàm umbra? Dum scriptura sacra maximam afflictionem indicare cupit, nomine umbræ illam exprimit; Sic Da-
Psal.43.20 vid inquit, *cooperuit nos umbra*
Psal.22.4. *mortis*, &, *si ambulavero in medio*
Isaiæ 9.2. *umbra mortis* : Sic Isaias: *Ambulantibus in regione umbræ mortis*;
Lucæ 1,79 Sic Zacharias, *Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent*. Et aliis diversis locis. Quin imò Sapienti nimiùm videbatur calamitates vitæ præsentis umbras vocare, idcircò illas
Sapien.2.5 transitum umbræ dixit: *Umbra enim transitus est tempus nostrum.* Qui ergò tribulationem timet, fugit, aut æstimat; timet, fugit, & æstimat umbram: de quibus
Psal.13.5. inquit David; *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor*: & Pro-
Job 15.21. pheta Job, *cùm pax sit, semper insidias suspicatur*. De Ægyptiis in-
Sapient. 17.18. quit Sapiens; *Deficientes faciebant illos præ timore*: ab imaginatione ergò, aut deceptione omnis timor procedit, quàm homines de tribulatione conceperunt.

Plurimi se afflictos fingunt. 19. Nimiùm hoc exaggeravi; quia major pars non se afflictos reputant, sed fingunt; non decipiuntur, sed alios decipere volunt. Si quis conquereretur se siti mori cùm haberet limpidissimum fontem vicinum, & non biberet, quid diceretis? absque dubio illum non sitire, sed fingere. Tribulatio quid est? sitis. De hac siti conquerebatur Da-
vid; *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Psal.62.2. Anima mea sitivit te ô Deus meus; nec anima solùm, verùm etiam multis modis caro mea; sed quomodò caro potest Deum sitire? Deus numquid totus Spiritus est? Sitis carnis, nónne corporalis est? quomodo ergò re spirituali satiari potest? si satiari non potest, quomodo ergò sitit? Respondet S. Augustinus, per hanc S.August. super Psalm. sitim intelligi necessitates, & miserias corporales; *Quàm multipliciter*, inquit, *laborat, tam multipliciter sitit.* Sed quis fo[illegible]m-nem sitim nostram exti[illegible] potest? Non alius quàm Deus ipse; *Apud te est fons vitæ: si quis si-* Psal.35.10. *tit, veniat ad me & bibat.* Deus Joannis 7. 37. quoq; nos invitat dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, &* Matt.11. 28. *onerati estis, & ego reficiam vos*: undè S. Paulus vocat eum, *Deus to-* 2. Corint. 1.3. *tius consolationis.* Sed tu qui te dicis adeò sitire, quid facis? cur non recurris ad fontem istum? cur non accedis ad latus Salvatoris? cur longiùs discedis? cur refugis aquam bibere gratis oblatam? signum est te non sitire, si autem conquereris, fingis, & vis videri quod non es.

20. Ampliùs dico, non tantùm non es afflictus, sed adeò commodè dispositus, ut videaris meliùs esse non posse. *Tribulatio omnibus bona est.* Qui locum mutare non vult, benè se esse fatetur, nec meliorem desiderare. Tales sunt illi qui se af-

flictos

flictos lamentantur; accipias miserrimum hominem totius mundi, interroges ipsum si velit conditionem mutare; si ab his miseriis liberari & mori cupiat; dicet, aliud mihi remedium adfer; sed quare? nónne mors tribulationum,& calamitatum finis? cur ergò voluntariè eam non amplecteris? Sanctus Paulus dum de tribulationibus suis loqui incipit, numquam finit; Dic ergo S. Paule, vis mori,& liberari ab his?quid

2. Corint. 5. 4. dicis? *Nolumus expoliari, sed supervestiri.* Displicet mihi hanc vitam relinquere, & carnem deponere, signum ergò est, te ibi benè esse. Hanc igitur assertionem concludamus, cum majori probatione, quàm adducere possumus, quæ est auctoritas

Nemo ab ea liberari desiderat. nostri Salvatoris. Quis enim ignorat, si tribulatio in mundo sit, erit in paupertate, in planctu, in persecutionibus; sed quid de his Salvator loquitur? tantum abest ut illam tribulationem nominet, ut etiam beatitudinem vocet, audi eum dicentem; *Beati pauperes spiritu, beati qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur*: Quis ergò illa tribulationem dicet? Eccè si rationes desunt,& auctoritates, ut dicamus non esse tribulationes in

Tribulationem in mundo esse certissimum est. mundo? Quid nos igitur modò dicemus?

21. Si à meo voto hæc veritas dependeret, forsitan me decipi permitterem,ut quasi mentiendo,negarem tribulationem in mundo esse: Sive autem ego dicam vel non dicam,nihil mutabitur in re. Dicamus ergò quod verum est; est tribulatio, est tribulatio, nimia certè est tribulatio in mundo: an hoc probari desideras?si experientia vobis non sufficit,audite:Nulla est scientia,quæ suo testimonio hoc non approbet, & confirmet, ad Grammaticam usque; hæc enim singulis nomen imponens, ex nomine naturam quandoque colligit: quin imò in sacra scriptura sæpè nomen pro reipsa usurpatur,ut in psalmo: *Nomen eorum delesti in æternum*; nomen solum ô David? Psal. 9. 6.
hoc parum erit,de nomine meo faciant quod illis placeat, dum personam non tangant. Sed nomen pro substantia & persona ipsa ponitur: sic Isaias; *Eccè nomen Domini venit de longinquo*; Isaiæ 30. 27.
Nomina ergò incedere possunt? Sed idem est ac dicere, Dominus venit de longinquo. Hoc modo loquendi scriptura sacra utitur, propter magnam cognationem,quæ est inter nomen,& nominatum,ita ut si nomen alicujus rei non reperiatur, nec res ipsa reperiri dicitur.v.g. Latinè & ciceronianè loquendo non reperies nomen bombardæ aut sclopeti,signum ergò est illo tempore non fuisse illa instrumenta. Sicque de aliis

multis. Si tribulationis ergo nomen non reperiretur, poſſemus dicere nec ipſam inveniri. Sed de ipſa in Grammatica plura nomina reperiuntur; v. g. *Anguſtia*, *adverſitas*, *tribulatio*, *dolor*, *ærumna*, *afflictio*, *infortunium*, *pœna*. Quid ſibi vult tot nomina, de una re ſola? quia adeò multiplex eſt, ut non ſufficiat unum ſolum nomen, & homines illam ſemper in ore habentes, invenerunt diverſa vocabula, ne unum ſemper nominando, tædium, afferret.

Singulæ ſciētiæ tribulationē docent.

22. Rhetorica idem docet, ejus ſiquidem officium eſt perſuadere, & diſſuadere: ad quem finem utitur tribus bonis, honeſto, utili, & delectabili; & tribus malis, damno, injuriâ, & dedecore; quæ aliud non ſunt quàm tribulatio. Logica docet hominem in prędicamento ſubſtantiæ eſſe, & qualitatum contrariarum ſuſceptivum; ſi ergò diverſis, & contrariis ſubeſt, his inter ſe pugnantibus, non poteſt in pace quieſcere, ſicque tribulationibus appetitur. Docet pariter, *contrariorum eandem eſſe diſciplinam*, qui enim unum cognoſcit, alterum quoque cognoſcere debet; ſcit autem hominem eſſe capacem gaudii & voluptatis ergò & contrariorũ, tribulationis, afflictionis, *&c.* Detegit quoque Logica deceptiones, ſophiſmata, æquivocationes, quæ ſine tribulatione non audiuntur, aut probantur. Phyſica demonſtrat hominem ex elementis contrariis compoſitum, & per conſequens corruptioni obnoxium, variiſque paſſionibus ſubditum, inter quas eſt privatio, quæ eſt tribulatio.

23. Scientia animæ, docet objecta ſenſitiva excedentia virtutem potentiarum, graviter lædere ſenſus, quod aliud non eſt quàm tribulatio. Metaphyſica integrum prędicamentum eſſe dicit, quod vocatur Paſſio, quaſi diceret exercitum tribulationis. Moralis ſcientia oſtendit virtutes verſari circà duos quaſi polos, voluptatem & tribulationem; ideò Epictetus Philoſophus hæc duo principia compendiosè dedit: *Suſtine, & abſtine*: Suſtine videlicet tribulationem, & abſtine à voluptate. Scientia legalis diverſis delictis pœnas conſtituit, quæ ſunt tribulationes. Aſtrologia docet reperiri influxus malignos qui tribulationem cauſant. Muſica in cantu ſuo admittit ſuſpirationes, & notas mœſti ſoni, ut ſe confòrmet perſonis afflictis. Theologia in Deo cognoſcit juſtitiam, quòd puniat malefactores, tribulationibus & pœnis. Sacra denique Scriptura, in omni ferè diſcurſu tribulationem immiſcet: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*: *& qui piè volunt vivere in Chriſto perſecutionem patientur.* aliiſque

Sacra Scriptura tribulationem ubique indicat.

Actor. 14. 21.

2. Ad Timot. 3. 12.

aliisque locis. Sed quid tot probationes adducere? Cùm Diogenes Philosophum quempiam audiret multis rationibus probantem non esse motum, non aliis rationibus eum confutavit, quàm continuò se vertendo: in vanum reputans verba facere ubi facta probarent. Sed quid clarius in mundo refulget, quàm tribulationem esse? Qui hoc negat, carceres, & hospitalia visitet; audiat quid homines in plateis aliisque locis loquantur, & aliud vox percipiet, quàm tribulationem. Non solùm ergò tribulationes in mundo sunt, sed non videtur aliud esse.

Insignis conjectura Philosophi.

24. Philosophus antiquus Stesicorus dictus, dũ civitatem quandam intraret peregrinus, respiciens undique, vidit plurima diversoria; unde cum multitudine civium discurrens, jactabat se plus in civitate versatum quàm illi; quibus hoc extraneum apparens, & incredibile, probaturum, se respondit, hoc modo; quis vestrûm vult sibi permitti velari oculos & duci per civitatem, ut interrogatus dicere noverit, in quo loco, & antequam domum sit? cumque nullus hoc facturum præsumeret; se hoc facturum spopondit: velatis igitur oculis ad varia civitatis loca perductus, rogatus tandem ubinam esset, respondit, è regione diversorii; quia in civitate illa tot erant diversoria, quòd vix umquàm decipi poterat. Quod ipse in una civitate fecit, auderem ego in toto mundo facere, nam velatis oculis in quamcumque mundi partem adductus, scire possem sine ullo errore ubi fuissem: & quid dicerem? sum in loco tribulationis, & inter homines afflictos. Si in mari fuissem, benè dicerem in loco tribulationis me esse, quia, *Qui navigant mare, enarrant pericula ejus.* Si in terra, in loco tribulationis essem, de hac quippè dictum; *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Si inter homines, in loco tribulationis, quia *inimici hominis domestici ejus:* per omnia denique loca securè tribulationes reperirem. Quod evidenter probat Salomon, qui ante me totum mundum perlustravit, & in omnibus reperit tribulationem. Investigavi, inquit, primò delicias, & voluptates, undè in voce tubæ, & sonitu tympani tribulatio expulsa est, sed quid ibi invenisti? vanitatem, & afflictionem spiritus, verti me posteà ad bona stabilia, ad divitias, argentum, & aurum, quid ibi fuit? vanitas, & afflictio. Constitui me inter cantores, & cantatrices, suspicatus nullam ibi tribulationem posse reperiri, & tamen eò usque me persecuta est. Dedi me studiis & Sapientiæ rerum naturalium, sed nec ibi tribulationem effugere

Tribulationes ubique in mundo sunt.

Eccli. 43. 26.

Genes. 3. 18.

Matt. 10. 36.

Ecclesiastæ 2.

Probatur hoc à Salomone.

Ecclesiastę 2,12. potui; *vidi* denique *in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Quasi diceret, in omnibus reperi falsa bona, & vera mala, *afflictionem* ecce verum malum; *vanitatem*, eccè falsum bonum.

Tribulatio in omni re invenienda.

25. Eja ergò auditores discamus unâ vice aliorum exemplo, quia Salomon ipsemet probavit, & aliud in omnibus mundi bonis non invenit, quàm vanitatem, & tribulationem. Credamus ipsi, quia nec tu majorem ipso habere poteris commoditatem, cùm Rex fuerit potentissimus; nec accuratiùs aut ingeniosiùs investigare, cùm fuerit Sapientissimus. Addiscamus, inquã, non quærere felicitatem hujus mundi; non credas te forè beatum, aut avarum, si accumules ingentes thesauros; majores quippè fuerunt Salomonis, & tamen in iis nil nisi tribulationem reperit. Non credas te forè felicem, aut ambitiosum, si illam dignitatem obtineas; major siquidem fuit dignitas Salomonis, & in illa nil præter afflictionem reperit. Non concipias ô homo sensualis, te fore in Paradiso, si ad intentum finem perveneris, quia majores commoditates, & voluptates habuit Salomon, & aliud non reperit, nisi afflictionem. Depone denique, ô mundane, fallaciam vultus tui, quia aliud non est mundus, quàm tribulatio; & discas audire pauperes dum lamentantur, & eleëmosinas poscunt.

SECUNDA PARS.

Rationibus contrariis respondendũ.

26. VT Victoriam contra inimicum obtineamus, non sufficit illum lædere, sed oportet se defendere ab illius invasione: non aliter in disputationibus accidit, quæ sunt aggressiones pacificæ, & concertationes ingenii; non sufficit adversarium rationibus convincere, sed necesse est ab illius argumentis se defendere, ipsis respondendo. Non sufficit ergò conclusionem nostram, quòd tribulatio in mundo sit, efficacibus rationibus, & testimoniis probasse, sed oportet rationes contrarias soluere. Quid ergò dicitis, qui negatis tribulationem in mundo esse? multos Philosophos sic credidisse? sed quid hoc mirabile, cùm nihil reperiatur adeò impossibile, & irrationale, quod ab aliquo Philosopho dictum non fuerit, teste Marco Tullio; Anaxagoras dixit nivem esse nigram; Protagoras, quòd cuncta quæ homo imaginabatur essent vera; Academici, quòd nihil esset certum; Alii ignem esse humidum, aliaque multa.

Stoici plurima falsa asseruerunt.

27. Quid dicitis? Philosophos hoc asserentes, Stoicos fuisse, viros doctissimos? Sed aliis multis erroribus innodati

dati fuerunt : dixerunt enim omnia peccata esse paria, teste Marco Tullio, ita ut occidere gallum sine necessitate, tantum erat ac occidere hominem; omnia quoque fato, & necessitati supposita, etiam Deus ipse; licitum esse, imò laudabile occidere seipsum; mundum nunc mori, nunc reviviscere : Nemini compatiendum, nemini ignoscendum: Non esse Sapienti licitum irasci, amare, timere, opinionem mutare, & mille alios errores. Omitto illos lumine fidei fuisse privatos, unde non mirum quòd in multos errores inciderint; & quòd non tantùm negaverint tribulationem, quãtum dixerint, non esse vera mala, nec timenda, in quo à veritate non longè recesserunt. S. Chrysostomus aliud dicere non intendit, quàm tribulationes non lędere hominem in virtutibus, quę vera sũt ejus bona, reliqua autẽ parvi sunt faciẽda.

Sunt tribulationes ad corpus & animam pertinentes.

28. Quid dicitis? rationibus probari posse tribulationes non esse, cùm nec ad partem hominis sensitivam, nec ad rationalem pertinere possint, alioquin animalia, & Angeli iis essent subjecti. Respondeo esse tribulationes ad sensus pertinentes, quales sunt infirmitates, dolores, fames, sitis, *&c.* Esse insuper tribulationes ad partem intellectivam sive rationalem pertinentes; quales sunt internæ molestiæ, cogitationes, rancores, scrupuli, mutationes conceptuum, & desideriorum. Animalia tamen non rectè dicuntur tribulata, licet enim patiantur infirmitates, & dolores, non hîc tamẽ considerandũ esse cõtra illorũ voluntatẽ, ut in hominibus, quæ est conditio necessariò requisita ad tribulationẽ, ut infrà dicemus. Angeli verò non possunt dici tribulati, cùm sint perpetuò felices & beati, nec aliquid eis molestiæ accidat. Quid dicitis? tribulationem non posse pertinere ad intellectum, quia ignorantia aufert dolorem, & sapientia est desiderabilis? Quin imò dico ego una, & altera illi tribulationem adfert. Ignorantia, quia privat eum propriâ perfectione; scientia, quia cognoscere facit tristia, & molesta : unde dicebat Sapiens: *Qui addit scientiam, addit & laborem.* Quid dicitis? non posse pertinere ad voluntatem? Quin imò dicam ego, ad hanc plus quàm ad alias potentias, cùm enim plurima desideret quæ obtinere non potest, dolore afficitur, & afflicta remanet: licet quoque aliud non fuisset, quàm quòd propriè amor ipsi conveniat, qui ut mors amarus est, & sẽper tribulationes, & angustias adfert, hoc ei sufficeret.

Scientia, & ignorantia tribulationem adferunt.

Ecclesiastæ 1.18.

Elementa in proprio centro gravant.

29. Quid dicitis? tribulationes in homine ut in centro esse, ac proinde nullam adferre

molestiam, aut gravamen? Respondeo falsum esse elementa in loco naturali non gravare; sic docet Aristoteles, sic experientia demonstrat, sic ratio approbat. Aristoteles quippè docet utres aëre plenos magis ponderare in aëre, quam vacuos utres: aër ergo in propria sphæra gravat. Nos quoque dum terram calcamus numquid est in proprio centro? & tamen à nostro pondere premitur, & aggravatur: si quoque in vase fictili aquam portamus, nónne hæc est in proprio centro, cùm sit supra terram, & sub aëre? Quomodò ergò pondus illius sentimus? Naves quoque in mari nónne sunt in proprio elemēto aquę? Aquâ ergo in naves influente ponderare nō deberet, neque per consequens illas submergere. Nec mihi respondeas dum navem intrat, extrà centrum exire, nullum siquidem elementum ex seipso proprium relinquit centrum, ut aliò eat, nisi esset ad impediendum vacuum; & tamen ultrò in navem influit. Si deniq; elementa alias qualitates non perdunt in proprio loco, & aqua refrigerat, & inhumidat magis in loco naturali quàm alibi, cur non æquè ponderabit? Si ergò gravare non videtur, est quia sustinetur ab aliis partibus aquæ, quæ suæ divisioni resistunt, sicque pondus non sentitur. Sed has disputationes scholis relinquendo; respondeo verum non esse omnes tribulationes homini naturales non esse, cùm omnes ex sua natura non proveniant, & si peccatis subjectus non esset, nullâ tribulatione premeretur. Quantum verò ad illas quæ naturales dici possunt, ut sunt infirmitates & mors; respondeo, illas quoque tribulationes adferre; dicuntur enim naturales, non quia nascuntur cum homine, aut sunt à natura ejus desideratæ, sed quia habet naturalem capacitatem, & aptitudinem ad illas; nec hoc tam ex perfectione ejus, quàm ex imperfectione procedit. Adjungamus insuper, quod licet essent qualitates naturales, dum perfectionibus naturalibus & multum desideratis privant, quales sunt sanitas, & vita, meritò nomen tribulationis recipiunt. Quod etiam aliquando naturale, & conforme est uni parti corporis obest alteri; v.g. calor prodest stomacho, sed capiti obest; & quod sensum delectat, displicet rationi, sicque homo patitur, & tribulatur.

Aristotel. lib. 4. de cælo; & sect. 25. probl. 13.

Non omnes tribulationes homini naturales.

30. Quid dicitis? Tribulationes omnes imaginationes esse? sed has imaginationes pati, & sufferre, magna afflictio esset. Dum insuper causæ sunt reales, effectus reales esse debent: Sed causæ nostrarum tribulationum, sæpissimè sunt reales, quia

Tribulationes ex causa reali, sunt reales.

quia ignis qui ardet, & torquet; ferrum quod præscindit, calor qui febrim causat, realis est, ergò dolor inde ortus realis esse debet. Licet quoque scriptura sacra quandoque imaginationes vocat ideò est, quia sæpissimè tales sunt; & præcipuè in comparatione ad æterna bona, vel æterna mala futuræ vitæ, meritò tales appellantur. Quid dicitis? tribulationes non esse aliud quàm umbras? Sed nescitis quòd licet umbra in se nihil sit, ratione corporis tamen, salutifera, aut nociva est. Taxus extra Italiam lignum adeò est venenosum, ut etiam umbrâ occidat, qui in illa requiescit: E contrà tam salutifera est umbra fraxini, ut Serpentes ad illam accedere non valeant, undè dormientes in ea, à serpentibus securi sunt. Multùm ergo refert, si umbra ab hoc vel illo corpore proveniat. Sed quorum umbras credetis tribulationes esse? Maximè pestiferæ arboris totius mundi, peccati nempè, & mortis: ideoque vocata *umbra mortis*. Cur ergò hęc umbra non timenda, & fugienda? Nullus hoc negare poterit, nisi pariter neget utilem esse ac salutiferam umbram Salvatoris nostri & arboris vitæ, de qua sponsa dicebat: *Sub umbra illius quam desideraveram sedi.*

Vmbra ratione corporis nociva, sic tribulatio.

Cantic. 2. 3.

Cur afflicti, non confugiant ad Deum?

31. Quid dicitis? quòd non recurramus, ad Deum fontem vivum, qui omnem sitim extinguere posset? verum est, sed hæc deceptio diabolica, qua sperant (licet falsò) commodiora media in mundi officina reperire. Quid dicitis quòd fugiamus calamitates & mortem præsentem? verum est, sed quia timemus pejora post mortem, aut mors ipsa displicet, quæ est maxima tribulatio omnium. Quid denique dicitis, Christum vocare beatitudines, quas nos tribulationes vocamus? Respondet S. Augustinus illas esse beatitudines in spe, non in re; qui enim hîc fuerit pauper spiritu, erit beatus in cælo. Dicamus quoque in hac vita beatitudines esse, sed gratiâ Dei, quæ tales servis suis tribuit: non quia in se non sint tribulationes, cùm tales appareant illis, qui effectus mirabiles gratiæ divinæ non recipiunt. Concludamus ergò nimis verum esse, & nimis clarum, tribulationes in mundo esse. Locus igitur in quo fundamentum turris nostræ jacere volumus firmus & stabilis est, ita ut securè, & alacriter ædificium erigere possimus.

Verissimæ sunt tribulationes in mundo.

32. Quod ergo documentum hinc haurire possumus? Primò, quòd procuremus civitatem aliquam ingredi, ubi tribulationes non sint. Sed ubi hæc erit, cùm totus mundus sit plenus? extra mundum fortè? Ita extra mun-

mundum in cælis, illa Jerusalem celestis quæ est patria nostra, libera ab omni afflictione, & calamitate, quò tribulatio nulla intrat, ad illam charissimi suspiremus. Pulcherrimus in quibusdam civitatibus mos est, ubi principes cupiunt quietè, sine strepitu vivere, non permittere extraneis ut arma in civitatem deferant, sed illa in portis relinquant. Talem dicamus hanc patriam esse cœlestem, arma nostra sunt tribulationes, regnum quippe cœlorum vi occupatur; *Regnum cœlorum vim patitur*: arma verò quibus hoc oppugnatur, sunt mortificationes & tribulationes; ideoque *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Sed his armis paradisum intrabimus? minimè, omnia siquidem in portis relinquenda; nulla in hanc felicem civitatem intrat tribulatio, nulla paupertas, nulla infirmitas, non dolor, non lachrymæ; Deus ipse arma recipit, & ad portas civitatis appendit teste S. Ioanne; *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, & mors ultrà non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultrà; quæ prima abierunt.* Sed quid Deus de sanctorum lacrymis efficiet? portis felicis civitatis pro ornamento appendet; non meministis vos legere, *portæ nitent margaritis.* Sed quales margaritæ sunt istæ? ex mari fortè desumptæ? minimè, sed sunt lacrymæ sanctorum ad æternam memoriam & gloriam ibi conservatæ.

Ad cœlum à tribulatione liberũ suspirandum.

Matth. 11. 12.

Actor. 14. 21.

Apoc. 21. 4.

33. In figura fabricæ templi hoc præfiguratum fuit, de quo dicitur; *malleus, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* Quia extra templum accommodabant lapides sine strepitu, & intrà templum illos accommodabant. Nec alio modo lapides cœlestis Ierusalem, quę dici potest templum Dei, recipiunt ictus mallei; tribulationes namque & afflictiones dantur in hac vita, ut in futura vita fruamur pace, & felicitate perpetuâ. De igne referunt rerum naturalium Scriptores, quod separet res dissimiles; ponantur ad ignem in vase diversa metalla gravius ad fundum tendet, leviori supra natante, sicque separantur; pariter eveniet in extremo judicio, adveniet judex igne cinctus, *ignis in conspectu ejus exardescet*; Quid autem efficiet hic ignis? mirabilem separationem. In hoc mundo sunt confusa mala & bona, tribulationes, & consolationes; Ignis ille, separabit omnia, & bonos omnes, ac consolationes ad cœlum remittet; mali verò, ac tribulationes, & pœnas ad infernũ descendent. Non est civitas pacis infernus, non relinquuntur arma in portis, sed à condemnatis conferuntur, dicente Ezechiele: *descenderunt*

3. Reg. 6. 7.

Hic sunt tribulationes, in alia vita quies.

Psal. 92. 3.

In inferno continua tribulatio.

Ezech. 32. 27.

derunt ad infernum cum armis suis: acquirent infernum peccatis suis, & ab istis eousque comitabuntur; commiserunt scelera multa, & pœnæ, ac tribulationes eorum numquam derelinquent eos. Quis ergò in hac vita non vellet pati, ut effugiat miserias futuras, ac vitâ æternâ feliciter perfruatur? Si tantum faciamus, & sufferamus, ut prolongemus ad aliquot dies hujus vitæ miserias, quantò plus facere deberemus, pro ęterna & beata vita? *Si tanta cura inest hominibus*, inquit S. Augustinus, *ut tardius moriantur; quantâ curâ agendum est ut numquam moriantur? quotidiè quæruntur in isto sæculo dies boni, ubi non reperiuntur, & nemo vult sic vivere, ut illuc perveniat, ubi inveniuntur.* Ad illam ergò beatam patriam, in qua boni, & beati dies reperiuntur, suspiremus, & aspiremus, illamque totis viribus assequi procuremus.

S.Aug. ser. 39. de temp.

Hic patiendum, ut in æternum vivamus.

34. Interim tamen quò illuc adveniamus, recurramus ad Spiritum sanctum, qui verus est fons & consolator afflictorum, qui solus sitim nostram extinguere potest: de eo nempè dicit Salvator; *Qui credit in me flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Aquæ quę bibũtur duplices sũt, aliæ elemẽtares, & simplices, & hæ palatũ nostrũ decipiunt, nec sitim extinguunt; subitò quippè ac epotæ fuerint, in alios humores mutantur. Aliæ minerales & mirabilis virtutis medicinalis, quæ non solùm sitim extinguunt, verùm etiam salutem tribuunt, & fortitudinem: retinentes suum vigorem, prout intraverunt corpus ita exeunt. Talis mihi videtur esse differentia inter consolationes terrenas, & cælestes; istæ sunt aquæ simplices, insipidæ, virtute tantùm sitis delectationem afferentes, & potatæ perdunt vigorem, & subitò transeunt; quin imò in humores melãcholicos propter pœnitentiam; aut in sanguineos, propter indignationem; aut in flegmaticos propter dissolutionem mutantur. Consolationes autem Spiritus Sancti, numquàm perdunt vigorem, semper consolantur, semper delectant. Nec tãtùm sitim extinguunt, verùm etiam infirmitates auferunt, ac aliis communicari possunt: teste Apostolo; *Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Quod mihi videtur esse illud quod Salvator dicebat, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Videlicet non corrumpetur hæc aqua sicut altera in ventre ejus qui bibit illam, sed manebit eadem; & talis exibit, qualis intravit, etiam de ventre suo ad consolationem aliorum. Procuremus ergò abundantiam hujus aquæ, quia

Joan. 7. 38.

Qualis diversitas aquarum mineralium, & simplicium.

Talis consolationum hujus vitæ, & æternæ.

2. Corint. 1. 4.

Joan. 7. 38.

tali modo in hac vita, & futura consolationibus abundabimus, quod Deus nobis concedat, Amen.

DISCVRSVS TERTIVS.

Si homo in mundo reperiatur qui tribulationi non subjaceat? multaque adferuntur documenta, & remedia afflictos consolandi.

SVMMARIUM DISCVRSVS.

VNiversa in homine ut in mundo esse ostendit num. 1. 2. 3.

Posse dari hominem omni tribulatione carentem, multis argumentis probare conatur. à num. 4. *usque ad* 12.

Nec bonus, nec malus, nec dives, nec pauper à tribulatione exemptus. à num. 13. *usque ad* 27.

Melius justè, quàm injustè, & pro Deo potius, quàm pro diabolo, aut mundo patiendum. num. 28. 29. 30.

Neminem hîc esse felicem, argumentis contrariis respondendo probatur. à num. 31. *usque ad* 36.

Ex communi tribulatione maximam provenire consolationem exhibet. num. 37. 38. 39. 40.

Nemini invidendum, quia cunctis sua tribulatio adest. num. 41. 42.

Homo parvus est mundus.

1. Ntiqua non minùs quàm vulgaris, & communis sẽtentia est, hominem tantis mirabilibus plenum, ut meritò vocari possit parvus mundus. Etenim ut verum dicam, quid in hac grandi machina quam mundum appellamus reperiri potest, quod proportionaliter loquendo, in homine non invenitur? Cælum & terra duæ principaliores partes mundi sunt; *in principio creavit Deus cælum & terram*; & duæ sunt in homine partes principales; anima ut cælum, & corpus quasi terra; de quibus S. Paulus loquens inquit: *Primus homo*, corpus nempè, *de terra terrenus*; *secundus homo*, anima videlicet quæ pòst creata fuit, *de cælo cælestis.* Si enim incorruptibile est cælum, & anima immortalis est; si figurâ sphæricâ cælum prǫditum, anima per actus suos in seipsam se reflectit; si cælum cir-

Genes. 1. 1.

1. Corint. 15. 47.

Anima cælum hujus mundi.

circulariter movetur, & anima à causa ad effectum, & ab effectu ad causam circulariter discurrit: Concludit omnia cælum, & anima cognitione propriâ, universa in se recludit: Cælum ab intelligentia, seu Angelo dirigitur, & movetur, & anima ab Angelo custode dirigitur, & custoditur: Sol, Luna, & Stellæ sunt in cælo; & Sol intellectus, Luna voluntatis, & Stellæ specierum intelligibilium, & idearum in memoria, sunt in anima.

Corpus est globus terrestris.

2. Terra quoque rectè dicitur corpus, non solùm quia quantum ad substantiam de terra est; sed propter alias proportiones. A duris marmoribus ut tantis columnis sustinetur terra; & eccè ossa non minùs corpus sustinent quàm marmora. Currunt per terram flumina, & mare illam circumdat; & varii humores per corpus diffluũt, & sanguis in magna copia, quasi mare illud circumdat. Ex herbis vestitur, & ornatur terra; & capillis vestitur & ornatur corpus. Diversæ animalium species sunt in terra; sic varietas sensuum, & appetituum in corpore. Terra varia producit, & germinat; & anima in corpore varia producit. O quàm admirabilis proportio! Illud quoque mirandum, quòd sicut post creationem cæli, & terræ, formata est lux, quę amoroso nexu simul illa conjungeret, sic vita in homine simul animam, & corpus nectit: ideoque meritò lux vocatur; *Quare misero data est lux?* id est vita, nam homo mortuus luce privatus dicitur. Antequã lux formata esset dicitur; *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erãt super faciem abyssi:* quis nescit corpus sine vita esse privatũ sẽsibus, obscurũ, & deforme? in mundo aër suaviter spirat, quæ res omnes reficit, & recreat; sic hominem flatus, respirando reficit, & in vita tenet.

Vita hominis ut lux in mundo. Job 3. 20. Genesis 1. 2.

Cuncta in homine sicut in mundo.

3. Ignis in mundo continuô nutrimentô indiget; & calor naturalis hominis continuô nutrimentô foveri debet. In mundo est qui illum regit, & gubernat; in homine ratio cuncta disponit. Diversæ civitates habitatoribus plenæ in mundo reperiuntur; & diversæ potentiæ ac habitus vitiorum & virtutum sunt in homine: sicut etiam nox & dies sunt in mundo; sic somnus, & vigilia sunt in homine. Pluviæ mundanæ, sunt defluxus, sic lacrymæ in homine: Nix in mundo, canities in homine: terræ motus in mundo, tussis in homine; nubes in mundo, ignorantia in homine: fulgura, & tempestates in mundo, sunt indignationes, minæ, & vindictæ in homine. Per quatuor stationes transiens mundus, florescit in vere, flagrat in æstate, fructificat in autumno,

gelat in hieme; sic per quatuor ætates homo transiens, ludit in pueritia, servit in inventute, fructificat in ætate matura, incanescit in senectute. Boni & mali inter se pugnantes sunt in mundo, & appetitus boni, & mali inter se repugnantes sunt in homine. In mundo denique est homo imago Dei, in homine est Deus, cujus homo imago. Si mundus quoque propter hominem factus, & homo propter Deum creatus. Mundo huic dominatur homo, & homini dominatur Deus. O quàm mundus, & homo mirabilis! Cùm ergò viderimus mundum hunc tribulationibus non carere, videamus utrum idipsum de mundo parvo dicendum sit; ita ut non reperiatur in eo homo qui tribulationibus careat: vel ex toto felicitate præditus, cùm reverà tam pro una quàm pro altera parte rationes non paucas, ac urgentes adducere possimus.

Vt mundus vicissitudini subjectus, sic homo tribulationi.

Videtur posse dari homo ex omni parte beatus.

4. Ut probemus ergò hominem dari posse omni tribulatione carentem; prima ratio esse poterit, quòd sicut plurimi omni gustu & delectatione privati imò contrà propriam inclinationem vivere reperiuntur; ita omni delectatione affluentem dare necesse est. Insignis est differentia inter homines, & Deũ auctorem naturæ. Illi si inimicos habeant, frequenter ab eis opprimuntur; sæpè audimus talis occisus est; & si rationem quæras, respondetur, quia solus erat, inimici aggressi sunt, nec potuit se defendere. Deus autem non vult in natura dominari inimicitias, aut favores; sed ut pugnetur æqualiter; utque virtus cujusque manifesta fiat. Hoc clarè probat Sapiens. *Sic intuere in omnia opera altißimi; duo contra duo, & unum contra unum:* quasi diceret noli credere Deum in regno naturæ permissurum, ut favoribus procedatur; non, quia cuncta benè sunt ordinata, & ponderata; contra duos oppugnatores, adducuntur duo defensores; & contra unum, unus solus. Ex hac doctrina collegerunt Philosophi hanc propositionem; *si datur unum contrarium in rerum natura, debet dari & alterum:* si calidum reperiatur, necessariò frigidum debet esse; si humidum, etiam siccum; si æstas, etiam hiems: si altum, etiam humile. Ex hoc principio nos quoque argumentari possemus, debere esse homines felices & beatos, ac infelices & afflictos: quandoquidem unum contrarium reperiatur, nempè infelices.

Eccli. 33. 15.

Si datur unũ contrarium, alterum dari oportet.

Deus vires suggerit ad implenda præcepta; mundus nõ.

5. Aliam quoque differentiam inter Deum & mundum adjungamus: mundus præmia proponit, mandata exhibet, sed non dat media consequendi, nec vires implendi. Saül ingentia

tia promittebat prǫmia & dona ei qui occidisset Goliath; sed vires non suppeditabat. Nabuchodonosor vult exponi somnium suum, sed non dat scientiam, nec somnium enarrat. Mundus suadet tibi vindictam sumere, sed non assignat vires, aut modum faciendi. Si verò Deum nostrum consideremus, sive ut auctorem naturæ, sive ut datorem gratiæ; si aliqua proponat præmia consequenda, media suggerit; si aliquid præcipiat, vires adjungit; si cælum consequendum proponit, media subministrat, gratiam nimirum; unde David dicit: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Vult nos diabolum superare, & devincere, sed vires suppeditat ut victoriam obtinere possimus; juxta dictum Apostolicum, *Non patietur vos tentari, supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Ad propositum igitur nostrum; Deus ut auctor naturæ proposuit hominibus beatitudinem naturalem, & cordibus nostris ardentissimum beatitudinis desiderium impressit; providit ergò media, & vires consequendi; unde poterit homo esse beatus, beatitudine naturali; sed qui dicit beatitudinem, excludit omnem tribulationem, ergò poterit esse homo sine tribulatione in mundo.

Psal. 83. 12

1. Corint. 10. 13.

Potest dari homo naturaliter beatus.

6. Ampliùs dico majorem partem hominum talem esse; quis enim ignorat plures esse bonos, quàm malos in mundo: illos autem sine tribulatione esse, extra omne dubium est, teste Jeremiâ Prophetâ: *Quare via impiorum prosperatur*; & ne putemus illum de paucis loqui, subdit; *benè est omnibus qui iniquè agunt*; & ante illum David idē dixerat; *Mei autem pæne moti sunt pedes, pacem peccatorum videns*: per pacem autem in sacra scriptura omnia bona intelliguntur. Nec hoc mirandum, à quibus enim essent afflicti, à Deo? non, quia illos dereliquit; *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum*; Imò videtur illos adjuvare, ut compleant desideria sua; *Tradidit eos in desideria cordis eorum.* A mundo fortè? Non, quia illis abblanditur; dicente Christo Apostolis suis; *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret:* A diabolo? ille eos quantum potest, consolari nititur. Aucupes ave captâ quæ illis in captione aliarum inservire potest, illam quidem aviario includunt, ne fugiat; sed procurant ne quid ipsi desit, ut abundet potu, ac cibô, fruatur suo tempore puriore aëre, ne nimium patiatur calorem, vel frigus, vel alia incommoda. Pariter diaboli qui aucupes à Jeremia vocantur; *Insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros:* peccatores exci-

Ieremiæ 12. 1.

Psal. 72. 2.

Psal. 80. 13.

Ad Roman. 1. 24.

Ioan. 15. 19

Mali ex omniparte videntur beati.

Ierem. 5. 26.

Proverb.7. 23. cipiunt, qui aves vocantur; *Velut si avis festinat ad laqueum*; Quid his faciunt diaboli? In aviario ponunt; *In domibus carcerum absconditi sunt*: procurant ut
Isaiæ 42. 22. commodè, & benè ibi sint; *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*; quare? ut alios decipiant. Sic hoc testatur Propheta David, qui illorum felicitatem describens ait; *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*: non laborant, nec patiuntur ut alii homines; & quid sequitur? *Ideò populus meus convertetur illuc, & dies pleni invenientur in illis.* Populus meus illos adeò hilares considerans, accurret ad illos, *Et dies pleni invenientur in eis.* Particula &, pro conjunctione causali *ut* ponitur; & sensus est, ut ipsi quoque fruantur plenis diebus, id est, ut consolationibus, & gaudiis abundent. Ideò dicebat David parum abfuisse, quin ipse quoque eò curreret; *mei autem pæne moti sunt pedes, pæne effusi sunt gressus mei.*

Proverb. 2. 14.

Psal. 72. 5.

Ibid. 6.

Ubi supra.

Mors malorū felicissima videtur.

7. Dices, in morte luent, deciperis, quia mors illorum non infelicior vitâ; Cæsar Dictator dicebat mortem subitaneam meliorem, magisque desiderabilem, cùm non esset tantis infirmitatibus, & calamitatibus obnoxia, & timor mortis minor esset. Talis solet esse mors malorum teste S. Job, *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*: quasi diceret, felicissimè navigarunt, & subitò portum apprehenderunt; sine infirmitate, sine dolore ex hac vita discedunt. Idem quoque asserebat Propheta David; *Non est respectus morti eorum*; non aspiciunt videlicet à longè mortem, appropinquat antequam opinentur. Fruuntur denique paradiso in hac vita, ut insinuare videbatur Abraham diviti Epuloni, opponendo bona, quibus in hac vita fruitus fuerat, bonis quibus Lazarus modò fruebatur. *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

Iob 21, 13.

Psal. 72, 4.

Lucæ 16. 25.

Divites ab omni infortunio liberi videntur.

8. Sed licet non omnes mali in hac vita essent beati, & sine tribulatione, ad minùs divitibus hoc concedendum. Ut aliquis vulneretur, non sufficit quod sagitta sit contra illum emissa, sed debet penetrare carnem ejus; & si impediatur scutô oppositô aut murô, ne ipsum tangat, est quasi non fuisset emissa. Divites ab omni casu fortunæ sunt liberi, quia murum fortissimum sibi habent oppositum, qui illos ab omni læsione defendet. Scitis qualis sit murus? divitiæ, teste Sapiente; *Substantia divitis, urbs fortitudinis ejus*, quibus circumdatus, nihil timet. Ingens exoritur fames, sed quos affligit? pauperes, divites quippè opibus suis defen-

Proverb. 10, 15.

fenduntur, abundant pecuniâ ut faciant sibi ministrari necessaria, licet ex India advehenda
Divitiæ sunt arma divitum. forent. Intentatur ipsis lis, pecuniæ sufficiunt, ut subvertant judices, & falsos testes concitent; inimici assultant, pecuniis defensores asciscunt qui vitam pro illis statuunt. Nec divitiæ solùm ab omni malo eos liberant, sed omnibus bonis re-
Eccles. 10. 19. plent: *pecuniæ*, inquit Sapiens, *obediunt omnia*. Qui ergò divitiis suis uti noverit, omnia feliciter consequetur; unde benè ait Sa-
Eccli. 31. 8. piens: *Beatus dives qui post aurum non abiit*; qui non se facit servum, sed Dominum auri, ut sciat uti in tempore suo.

Reges & principes videntur feliciores. 9. Si divites dici possunt felices, quid dicemus de principibus & regibus, qui dominantur divitibus? Lac est liquor adeò delicatus, & dulcis, quia ex hominis nutrimento, optimum, & magis excellens, convertitur in sanguinem; & purior ac melior sanguis convertitur in lac. Sic de principibus dici potest, quòd sint flos lactis suavissimi; quia divites exsugunt sanguinem pauperum, & optima quęque ab iis eripere conantur; de optimis verò rebus divitum, offeruntur regibus & principibus munera. Sauli in regem Israël electo dicebat Samuël;
1. Reg. 9. 20. *Cujus erũt optima quæq; Israël? nónne tibi? & omni domui patris tui?* non solùm dixit, habebis meliora, sed inter meliora, optima, cùm sis Rex Israël. Ut optimum denique bonum, est regnum desiderandum, & quasi æstimatum fuit, pro eo justitiam conculcandam fore, dicente Euripide; *Si violandum est jus, regnandi causâ violandum est, in cæteris pietatem colas*. Placeat divinæ majestati, ut dictum illud à multis hodie non usurpetur, sub falsô prætextu rationis status.

10. Si Divites & principes in hoc mundo videntur beati, quid dicemus de bonis? Nónne felix æstimandus, qui in potestate sua teneret sigillum principis, ut subscriberet omni supplicationi, & memoriali cui vellet? hic certè ut regni Dominus haberi posset. *Si mali videntur felices, quid de bonis dicendum?* Sed si tantum est bonum in potestate habere sigillum principis terreni, quid erit tenere sigillum Regis cælorum? Hoc habet justus, quinimò cartam albam habet manu principis subsignatam, ut scribat in ea quod placuerit. Ita testatur Isaias, qui ut legatus Regis cælestis illam dedit: *Dicite justo quoniam bene*; sed quæ bona illi tribuuntur? An delitiæ, gaudia, divitiæ, honores, virtutes? Est Isaiæ 3. 10
subscriptio generalis, ut accipiat omnia quæ ipsi placent, & obveniunt; scire cupis quid ipsi eveniet in vita? bonum, quid in morte? bonum, quid in negotiis? bonum, quid in litibus? bonum: *dicite justo quoniam benè*; di- *Iusto omnia bona eveniunt.*

dicite

cite liberè justo, quoniam omnia ipsi benè evenient. Si ergò semper illi benè eveniet, numquam potest illi mali quidpiam accidere. Beatus ergò erit sine ulla tribulatione, & quod majus est, nullus ista bona impedire potest.

11. Flumen aut torrens ex humili scaturiens origine, faciliter impediri potest, nullo impetu inundat, facillimè dirigitur; sed si ex altis rupibus inferiùs descendat, non est qui ei possit resistere, & cursum reprimere. Mundi delectationes, & gustus quid sunt? torrentes ex terra scaturientes, aggeribus facillimè comprimuntur, favor principis torrés ingens, sed mala lingua, aut suspicio falsa, est agger sufficiens ut illum reprimat. Divitiæ torrens inundans, sed origo humilis, pauca desiderantur, ut impediantur, aut planè destruantur: fidejussio malè facta, lis malè instituta, aut perdita, cessio cujusdam debitoris, & mille alii casus sufficiunt ut cursum earum impediant. Sanitas torrens copiosus, inordinatus tamen appetitus, aut parva indispositio illam aufert. Consolationes autem justorum, quid sunt? torrentes & flumina ex montibus cælorum descendentes, ideoque nec impediri, nec retineri possunt: Ita ajebat David; *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Torrens ex domo Dei & cælesti paradiso descendens, cogita si impediri possit? *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis,* dicebat Salvator discipulis. Justi ergò nullâ tribulatione premuntur, aut si premantur, ita consolationibus immixti sunt, ut non debeant æstimari; sunt ergò omninò dicendi beati.

Mundi bona facillimè tolluntur.

Iustorum bona perpetua sunt. Psal, 35.99.

Ioan.16.22.

12. Quis denique meliùs scire poterit illis, qui se afflictos dicunt? videte ergò si verum non sit, multos esse felices, & sine tribulatione; quantumcumque enim homines sint ad conquerendum promptissimi, & occultare velint commoditates suas; multi tamen veritate urgente coacti sunt felicitatem suam cõfiteri. Sic Scilla Dictator nomini proprio, adjecit nomen felicis, & Cæsar Augustus Deos precabatur, ut filio suo tribuerent fortitudinem Scipionis, benevolentiam Pompei, & felicitatem propriam. Valerius Maximus de aliquibus refert, illos voluisse mori, ne fortuna anticipando, illos felicitate & commoditate privaret, sicque tribulationis amaritudinem experiri cogerentur. Stoici quoque se felices reputabant, dum sapientiam possidere poterant. Si autem his qui se beatos existimabant, fidem adhibere nolumus; nec iis quoque fides adhibenda, qui se miseros & afflictos

Plurimi hic videntur beati.

Valer.Max. lib.2.cap.6.

ctos credunt. Quod si alicui tertio credere velimus, inveniemus populum integrum beatum vocatum: quia, *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt:* abundantia videlicet bonorum tēporalium, ut dicebat David. Quid amplius? fuit qui tribulationem appeteret, & undique conquireret, nec invenire poterat. Policrates tyrānus Samii, unus ex illis fuit; qui ut probaret quid esset afflictio, gemmam pretiosissimam sibique charissimam, projecit in mare, sed antequàm dolor perditionis illi perfectè accideret, piscatores quidam eam in ore piscis reperientes illi denuò obtulerunt. Somnia quoque ipsi felicitatem augurare videbantur; somniabat quippè se à diis servitum esse, & Iovem illum lavare, ac Apollinem ungere.

Psal. 143. 15.

Quidam tribulationem invenire non potuerunt.

Nullus à tribulatione exemptus.

13. Fortissima sunt hæc argumenta, illísne tamen ut devicti cedere debemus? Minimè, consolemur invicem ô tribulati, cùm *solatium sit miseris, socios habere pœnarum*; non fuit, non est, non erit quisquam à tributo tribulationis exemptus; *Omninò nullus*, inquit S. Joann. Chrysost. *Inveniri potest, à tristitia, & mœrore liber, sicut enim immortalis homo non potest inveniri, ita neque absq; tristitia.* Qui sub maligno sidere natus est, inquiunt Astrologi, impossibile est ut non participet maligni influxus. Peccata quales stellæ? malignæ, quia apparentiam alicujus boni, utilis, aut delectabilis habent; sed malignæ sunt, cùm mille damna, ac mala adferant. Una ex illis stellis, inquit S. Joannes, cecidit Absynthium vocata. Mirabile certè nomen, an comeduntur stellæ, vel crescunt in terra, sicut herba Absinthium vocata? voluítne significare fuisse stellam solo nomine, sed effectu non aliud quàm amaritudinem? vel peccatum esse stellam malignam propter culpam, & Absinthium amarum propter pœnam; unde dicebat Jeremias; *vide quia malum* propter culpam, *& amarum est* propter pœnam, *dereliquisse te Dominum Deum tuum.* Vel quia in se continet malum cæli & terræ; ut stella est durabilis in perpetuum; ut herba semper crescit, & multiplicatur. Stella denique maligna, & amari influxus est peccatum, sub quo ascendente nascitur omnis homo.

Chrysost. homil. 67. ad pag.

Peccata sunt stellæ malignæ.

Apoc. 8. 11.

Ieremiæ 2. 19.

14. Astrologi punctum nativitatis considerant, non quia punctus conceptionis minoris momenti est, sed quia occultior. Nos in nativitate & conceptione malignas habemus stellas; in conceptione; *in iniquitatibus conceptus sum* unusquisque cum Propheta David dicere potest. In nativitate, quia *nemo mundus à sordibus, neque infans unius diei,* inquit S. Job secundùm lectio-

Omnes sub malignis stellis nati.

Psal. 50. 7.

lectionem S. Ambrosii, & versionem Septuaginta interpretum: & S. Paulus, *Eramus naturâ filii iræ.* Constellationem illam maledictam S. Propheta Job considerans, inquit; *pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo.* Non dicit, in qua ego cõceptus sum, sed in qua conceptus est homo; ut ostendat hanc maledictionem non esse illi propriam, sed communem omnibus hominibus. Verum quidem est Adamum & Evam non sub hac maledictione formatos, imò sub felicissima gratiâ divinâ, sed pertranseundo illam, contraxerunt mille maledictiones; quid ergò de nobis erit qui hanc malignam constellationem pro ascendente habemus? Sola beata Virgo ejusq; filius benedictus, huic non fuerunt subjecti, non tamen planè ab influxu maligno liberi, quantum ad pœnam & tribulationem, sic Deo disponente propter nostrum exemplum, & bonum universale.

Ad Ephesios 2. 3.

Job 3. 3.

Natura idem indicare videtur.

15. Natura ipsa hoc se scire demonstrat, in ventre quippè matris infantem ita accommodat, ut cognoscere faciat illum flagellis, & tormentis destinatum. Antiquitus dum patroni servos ita excipere vellent, ut resistere non possent, sed ad verbera firmiter permanere; caput intrà genua ponebant, manusque pedibus conjungebant: Hac figurâ rectè infans in carcere ventris materni jacet: *Habet caput inter genua & manus ad pedes*, inquit Aristoteles, Hyppocrates, ac Plinius; quasi diceret natura, ecce aptè dispositus ad verbera, & percussiones sustinendas, ad aliud quippè nihil mundum intrat. Quòd si mihi objicias naturam non respexisse ad illam consuetudinem, quæ ab hominibus introducta fuit; respondeo verum esse, sed interim quod homines non potuerunt meliorem invenire modum, ad ligandum servos ut commodiùs percutere possent; signum est hominem ita nasci, aptè dispositum & destinatum flagris, juxta dictum Davidicum, *Quoniam ego in flagella paratus sum.*

Aristotel. lib. 7. hist. animal.

Psal. 37. 18.

Ex parentibus nostra felicitas dependet.

16. Ex parentibus quoque magna pars felicitatis filiorum dependet, & multò magis fortassis quàm ex constellationibus, quæ sæpius sunt Astrologorum fictiones; qui ex rustico nascitur, dici potest nasci ad laborem, ad terram arandam, cum ligone in manu. Nos omnes de nobilitate nostra gloriari debemus, sumus omnes filii agricolarum, nascimur cum ligone in manu, vel potiùs dicamus cum cruce in humeris, quia patri nostro dictum fuit; *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Zacharias quoque id ipsum rectè intelligebat, licet enim esset

Genesis 3. 19.

Pro-

Propheta, se rusticum profitebatur, quia filius erat Adami; quarè sic inquit; *Homo Agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* Et Septuaginta interpretes legunt; *Quoniam homo genitus sum ego.* Valet ergò consequentia, es homo? ergò agricola, destinatus ad laborem, hæc est propriè ars nostra.

Zachar. 13. 5.

Ars patiendi unicuique propria.

17. In aliis opificiis non potest se homo solus exercere, sine adjutorio aliorum. Vis esse doctor? bibliopolis & libris opus habes, & magistris qui te doceant, *&c.* Faber lignarius indiget agricolâ ut ligna adferat; fabro ferrario ut instrumenta conficiat, ad scindendum, & perficiendum opus. Sicque de aliis, unaquæque ars indiget aliâ in adjutorium. Solummodo ars patiendi, sive tribulationis, non indiget auxilio, nec instrumenta extra se quærere debet; unusquisque instrumenta necessaria domi suæ habet. Dum Salvator noster discipulos ad patiendum hortaretur, dixit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Tolle, inquit, crucem tuam, non debes illam quęrere extra te, nec in domo alterius, aut petere mutuò, vel emere, quia habes in domo tua; non dicit fac illam humeris imponi ab aliquo, sed accipias tu illam; ita ut habeas crucem, eamque accipere possis; non ergò externo indiges auxilio, ut artem tribulationis exercere valeas.

Matt. 16. 24.

Vnusquisque propriam crucē habet.

18. Ampliùs dico, crucem nobis esse adeò conjunctam, ut non solùm unusquisque habeat suam, verùm etiam non possit illam deponere, absq; eo quòd aliam accipiat, & quandoque graviorem. Juvenis quidam interrogabat Socratem Philosophum, si uxorem ducere deberet? at ille sapienter respondit; *utrūcumq; feceris pœnitebit:* Nō scirem nempè quid tibi in hoc suaderē, si enim acceperis, & si non acceperis pœnitebit; ratio autem esse poterat, quam Cato allegabat; *Nec sine mulieribus vivere, nec cum illis jucundè vivere possumus.* Undè mulier ab altero Philosopho, vocabatur *malum necessarium.* Hoc certè Socrates omni alteri interrogationi respondere poterat; & nos quoque omni homini idem respondere possemus; *quidquid feceris pœnitebit*: fac quod velis, elige quamcumque vitam cupis, te pœnitebit. Quam viam cogitas ingredi ô juvenis! vis miles, mercator, aut doctor fieri? *pœnitebit*, cùm necessariò te privare debeas multis commoditatibus, & jucunditatibus, ut attendas tuo officio; vis otiosus manere? *Pœnitebit*, partim quia tædio afficieris, partim quia privaberis lucro, & honore, quæ per labo-

In omni negotio tribulatio adest.

rem acquiruntur. Quid quæris? Si gubernationi civitatis attendere debeas; *pœnitebit*, quia expositus eris invidiæ, accusationi, & murmurationi; si solitariè degere cupis: *pœnitebit*, quia videbis alios tibi inferiores benè progredi in consortio: unusquisque ergò cum casta Susanna dicere sibimet poterit; *Angustiæ mihi sunt undiq;, & quid eligam ignoro:* & cum Propheta regio; *Tribulatio, & angustia invenerunt me*, ita ut nesciam quo me vertam, undique enim video tribulationem, & miseriam.

Danielis 13.22.

Psal. 118. 143.

Qui minorem fugit tribulationem majorē acquirit.

19. Pauca dixi qui minorem fugit, majorem consequitur. Insigne quid Dionysio tyranno evenit; omnibus civibus odibilis & execrabilis erat, cuncti illi mala imprecabantur, & mortem: nescio quomodo die quadam vetulam quandam reperit, Deos pro salute sua obsecrantem; unde summoperè admiratus, causam sciscitabatur quæ illam moveret ad deprecandum pro illo, qui omnibus esset odibilis; putans autem illam laudem aut beneficium à se acceptum relaturam, respondit; dum infans essem dominabatur civitati huic princeps crudelis, ego autem continuò Deos precabar ut moreretur, tandem exaudita fui; sed illi pejor successit; precabar ergò ut moreretur etiam ille, sicque eveniebat; sed his tu successisti, omnium pessimus; cujus mortem quoque desiderarem, nisi timerem pejorem subsecuturum, atque ita Deos precor, ut te conservent.

Exemplis & scripturis hoc probatur.

20. Ante hanc mulierem simile quid populus Israël excogitavit; cùm enim à Nabuchodonosore rege captivi in Babyloniam ducti essent; quid eos Deum rogasse putatis, ut liberarentur, vel ut moreretur Nabuchodonosor? quin imò ut diu feliciterque viveret. Hoc Baruch Propheta testatur, dum enim nomine Israëlitarum in Babylonia captivorum, scriberet iis qui Jerosolymis remanserant. Sic ait; *Orate pro vita Nabuchodonosoris regis Babylonis, & pro vita Balthasaris filii ejus, ut sint dies eorum, ut dies cæli.* Vobis ergò filii Israël placet dominatio regis Nabuchodonosoris? Mansio Babylonica éstne vobis grata? tam citò Jerusalem mente excidit? Quid responderent, non adeò ista nobis placent, sed quia pejora timemus; desideramus vitam ejus, non quia bona, sed ne pejus nobis accidat; ut diversis vicibus eidem populo accidit teste Ioële Propheta: *Residuum Erucæ comedit Locusta, & residuum Locustæ comedit Bruchus, & residuum Bruchi comedit rubigo.* Quid verò per ista animalia intelligit Propheta? diversas gentes quæ afflixerunt populum Israël; ita ut secunda fuerit pejor,

Baruch I. II.

Ioel I. 4.

jor, & crudelior primâ, & tertiâ pejor secundâ, & quarta pessima: quod enim una reliquerat, altera devorabat. Ita hoc exponit idem Propheta, dicens: *Gens enim ascendit super terram meam, fortis & innumerabilis; &c.* Idem quoque ait Amos Propheta; *Quomodò si fugiat vir à facie Leonis, & occurrat ei ursus, & ingrediatur domum, & innitatur manu super parietem, & mordeat eum coluber.* Quis ergò se à tot inimicis defendere poterit, & à tantis tribulationibus expedire?

Iocl. 1. 6.

Amos 5. 19.

Mali non sunt à tribulatione liberi.

21. Dicet fortè quispiam malos à tribulationibus liberos videri? Benè dixisti videri, quia verè non sunt, cùm illorum felicitas, non sit vera felicitas, & licet talis esset, non possunt illâ semper perfrui. Quid de illo diceres qui lautissimæ mensæ ciborum diversitate repletæ assidens famelicus, non posset quidquam gustare, nisi quantum puncto subtilissimi acus adhæreret? major esset profectò excruciatio quàm delectatio; quandoquidem sic ventrem implere non posset, nec satisfacere appetitui, quin potiùs linguam vel os quandoque pungeret, & præsentiâ ciborum fames accresceret. Talem credo esse statum amatorum mundi, quod Propheta Job attestatur, dum gaudium malorum describens ait; *Gaudium hypocrytæ ad instar puncti*; peccator mundi oblectationibus frui desiderat, videt lautissimam præparatam mensam, quæ sunt omnia objecta sensibilia; sed quantum inde gaudium percipit? *Ad instar puncti*, ad mensuram puncti unius, qui subtilior est puncto acus; puncti qui nec longitudinem, nec latitudinem habet, nec profunditatem; puncti de quo maxima est, inter Philosophos, differentia, utrum differat à nihilo; puncti qui terminus est lineæ subtilior puncto acus; unde dum voluptates quærit, facillimè læditur, & conscientiæ remorsu affligitur. De hoc regius Propheta veraciter dicebat; *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*; & Isaias benè inquit; *Non est pax impiis*: Deus non permittit, mundus non consentit, diabolus non attendit promissis.

Probatur exemplis & scripturis

Job 20. 5.

Psal. 31. 4.

Isaiæ 48. 22.

22. Quid dicitis, ad minùs divites, & potentes, quibus non solùm homines, sed & elementa obediunt, esse beatos? vos ipsos decipitis, miserrimi omnium sunt. Ut hoc benè intelligatis, advertendum est, ad duo præcipuè capita miserias, & tribulationes humanæ vitæ reduci posse; ad laborem, & dolorem; de quibus Psalmista ait; *Vides quoniam tu laborem, & dolorem consideras*; ratio est, quia omnis tribulatio, & dolor nascitur à quodã contrario, & duobus modis unum contrarium alteri repugnat;

Divites nullo modo sunt beati.

Psal. 9. 14.

gnat; resistendo, ut humidum igni; aut oppugnando, & corrumpendo, ut calor cum frigore pugnat, illudque destruit. A resistentia nascitur labor, in operando; ab actione contrariâ sentitur dolor. Dum primis nostris parentibus prædiceret Deus afflictiones quas ipsi & nos pati deberemus, propter peccatum originale; omnia reduxit ad hæc duo capita; *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*; ecce labor; *In dolore paries filios tuos*, ecce dolor. Unde Sapientissimè S. Bernardus dixit: *Duo nobis in hæreditatem reliquerat ille vetustus Adam, qui fugit à facie Dei, laborem videlicet, & dolorem; laborem in actione, dolorem in passione.*

Gen. 3.19.

Gen. 3.16.

S.Bernard. serm. in feria 4. hebd. pœnosæ.

23. Sed consideremus benè effectum providentiæ divinæ, quæ taliter hæc duo mala divisit, ut ubi sit multum laboris, ibi exiguum doloris, & ubi multum doloris, ibi parum laboris. Agricola ille quantum laborat, totâ die cum ligone in manu, sed quantum doloris patitur? vix aliquid, non laborat stomacho, nec podagrâ, totâ nocte securè dormit. E contrà nobilis ille delicatus, qui tantum abhorret laborem, vix umquàm domo egreditur, quin feratur, aut rhedâ vehatur, qui in omni occasione servis utitur; quem sentit dolorem? semper lamentatur, nunc illi stomachus, nunc caput languet, nunc dormire nequit, nunc podagrâ vexatur: quid hoc sibi vult? parum laboris, multùm doloris. De his duabus rebus, quam putatis faciliùs sufferendam, aut magis appetendam? sine dubio minus malum; tolerantior, & nobilior est labor dolore; labor comitatur actionem, dolor sequitur passionem; sed quis nescit nobilius & desiderabilius esse operari, quàm pati? ergo labor desiderabilior dolore. Denique sentire laborem in operando, proprium est animæ, & formæ; pati proprium est corporis, & materiæ: quantò ergò animâ nobilior corpore, tantò dignior labor dolore.

Labor & dolor in omnibus permixtus.

Labor dignior dolore.

24. Ulteriùs, labor homini proprius est, ideò Deus Adamo dixit; *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*: Videmus quoque naturam tribuere homini fortitudinem, & membra robusta, & agilia, ut promptus sit labori, & diutiùs perdurare possit. E contrà dolor proprius est mulieribus; ideò Evæ dixit; *In dolore paries filios*; à natura quoque membris delicatioribus, & tenerioribus provisa, aptiora tribulationi, quàm labori. Sed quis nescit virum nobiliorem esse muliere? & mulieri utpotè primæ occasioni peccandi, majorem pœnam fuisse inflictam? eadem ergò ratione gravior, & ignobilior est dolor labore. Labor denique

Ulterius idem probatur.

Gen. 3.1[illegible]

nique à nobis ipsis assumitur,& dependet, sed dolor ab altero nobis infligitur,estque voluntati nostræ contrarius. Multò quoque ampliùs res voluntati nostræ contrariæ affligunt, quàm voluntati conformes: magis ergo affligit dolor,quàm labor. Divites autem & mundi potentes, ut fugiant pœnã ipsis à Deo inflictam, hanc divisionem admittere nolunt,ideoque omnibus viribus laborem effugere student; Deus verò ipsis dolorem immittens, pejori modo affligit. Noluerũt voluntarium,& leve sufferre pondus, ideò contra voluntatem illorũ, gravissimum sustinere coguntur. Inferioris tamen conditionis homines,ut agricolæ,operarii,& artifices, voluntariè amplectentes laborem, dolorem longè effugiunt: meliori igitur parte fruuntur, melioris sunt conditionis,quàm divites mundi,& potentes.

Divites pauperibus pejores.

25. Ampliùs dico illa ipsa quę maximæ videntur delitiæ, convivia, nuptiæ, & alia, quæ majores videntur mundi delectationes, aliud non sunt quàm tormenta, & miseriæ. Cur creditis Christum primò incepisse manifestare gloriam suam in cõvivio? & primum miraculum fuisse aquam in vinum convertere? Mirabile quid certè videtur, si oculis corporalibus illud intueamur: Nónne Salvator noster erat,qui venerat in mundum, ut afflictos consolaretur? ut subveniret miseris? ut medicus esset languentium? Sic enim inquit Isaias Propheta: *Vt mederer contritis corde misit me*: Nónne Salomon à Spiritu Sancto edoctus, dixit vinum reservari debere afflictis & mœstis? *Date vinum his qui amaro sunt animo*: Quomodo ergò verbum incarnatum primâ vice ad nuptias vadit, iisque vinum miraculosum largitur? Nónne ipsemet inquit; *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus?* Si ergò medicus est afflictorum, quid facit in cõviviis, & nuptiis cum gaudentibus? Cur non potiùs ad hospitalia,& carceres? Optimè ad hoc respondet S. Gaudentius, Salvatorem hoc facto voluisse primò miserabilioribus succurrere, quasi potiùs indigentibus consolatione,& dare vinum spiritualis lętitię; *Quid ergo est* (inquit ipse) *quòd ista Evangelii lectio festivitati nuptiarum interfuisse Dominum perhibet invitatum; nisi quod vinum, id est, virtus spiritualis lætitiæ defecerat?* Quod Seneca ex parte etiam agnovit, ideoque in epistola 60. scribit; *Gaudia quæ vocamus, adeò non sunt gaudia, ut sæpe initia futuræ tristitiæ.* Si adjunxisset *semper*, rectè dixisset; unde Salomon ipso sapientior, absolutè dixit; *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.*

Delitiæ mundanæ sunt magna tormenta.

Isaiæ 61.1.

Prov. 31.5.

Matth. 9.12

Cur Christus primum miraculum in convivio fecit?

S. Gaudent. Tractatu 8. in Joan.

Proverb. 14.13.

26. Ad

26. Ad minùs dices, si mali non sint in hac vita felices, boni saltem felices erunt, qui toties beati sunt dicti in Evangelio, in quo promittuntur illis æterna bona; & in antiquo testamento bona terrena promittebantur. Ad hoc respondeo, dicuntur beati, quia liberati sunt à majori miseria omnium, quæ est peccatum, sed tribulatione & afflictione abundant magis quàm alii; quia *multæ tribulationes justorum* dicebat Propheta secundùm cor Dei: Deus quippè *flagellat omnem filium quem recipit*; & mundus illos persequitur. *Mundus vos odit, quia de mundo non estis*; diabolus illos pessimè tractat, caro eorum bonis desideriis semper resistit; ita ut per omnes partes illis tribulatio adveniat. Proprium ergò paradisi privilegium est, sine tribulatione esse, & non hujus mundi.

Justi non sũt à tribulatione liberi.

Psal. 33. 20.

Ad Hebręos 12. 6.

Ioann. 15. 19.

27. Magna est differentia inter illos qui sub linea æquinoctiali habitant, & polos sub horizonte habent, suntque ut ita dicam in medio mundi, & nos qui sumus in una parte mundi, & polum plurimis gradibus supra horizontem nostrum elevatum habemus. Illi ultrà quod diem noctemque semper æqualem habeant, medio die sole directè supra capita illorum trãseunte, taliter eos illuminat, ut nullâ ex parte umbram efficiat. Nos autem ultrà quod noctes diesque inæquales habemus, semper in medio die umbram efficimus. Talis mihi videtur differentia esse inter nos & beatos; illi, juxta proverbium; *Medium tenuère beati*, ut in medio mundi positi, non tantum perfectissimâ, & continuâ fruuntur pace, in omnibus suis potentiis, cùm singuli suô objectô contenti sint, nec aliô frui desiderent; verum etiam solem felicitatis supra capita illorum directè habent, unde ex omni parte illuminati, umbra tribulationis & doloris longè ab illis abest. Hujus rei fidem facit Isaias Propheta: *Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor, & gemitus*: quasi diceret, sol sempiternæ lætitiæ erit super illos, ideoque pleni erunt jubilo, & fugiet omnis umbra mœstitiæ, & gemitus. Nos è contrà cùm numquàm solem felicitatis directè supra nos habeamus, sed continuò ab uno latere, umbra semper ab altero latere permanet. Si divitiis abundamus, salute caremus; si salutem habemus, filiis caremus; si filios habemus, nobis adversantur. In clarissima denique meridie nostrarum felicitatum, semper umbra quædam tribulationis restat; ideoque optimè idem Propheta dicit. *Pone quasi noctem umbram tuam in meridie.* Præsupponebat ergò

Beati in cælo omni tribulatione carent.

Isaiæ 51. 11.

Vmbra tribulationis semper nobis adest.

Isaiæ 16. 3.

ergo umbram esse in meridie; tantò magis hoc quoque verificatur, quòd nos non accipiamus consolationes de cælo, ubi Deus residet; sed ex creaturis quæ à latere nostro sunt, ideoque major est umbra tribulationis, quæ causatur, quàm lætitiæ, quæ adfertur.

Semper patiendum;

28. Clarum ergò est tribulationes non posse vitari ut rectè ajebat S. Job: *Si impius fuero væ mihi est, si justus non levabo caput.* Job 10, 15 Continuò nempè depressus ero, & afflictus. Quid ergò faciédum? desperandum? nequaquam, sed quandoquidem unusquisq; sive bonus sive malus pati debeat; potiùs justè patiendum, quàm injustè: si enim peccatum nos ab omni miseria non liberet, quare ergò committere volumus? licet quoque felices essemus, non ideò culpa committenda; quantò magis denique, si infelices sumus sive uno modo sive altero? Miles dum securè vitam tueri non potest, ad minùs gloriosè occumbere desiderat, pugnando viriliter, non timidè, aut ignaviter moriendo. Sic nobis quoque faciendum, quandoquidem patiendum sit, toleremus ad minùs alacriter, ut boni, & justi, non ut impii, & scelerati.

Melius justè quàm injustè.

29. Caper quidam (ut fabula narrat) advertens socios morte peremptos, & à pastoribus sacrificatos, fugere deliberavit, sed vix ab ovili discedens in Lupos incidit, videns ergò se mortem effugere non posse, elegit potiùs gloriosè mori diis oblatus, quã ignominiosè à Lupis devoratus. Sic nobis considerandum, quandoquidem impossibile sit nullis tribulationibus subjici, minùs malum erit propter amorem Dei pati, quàm propter mundi amorem; meliùs me Deo meo sacrifico, quàm diabolo vel inferno. Sanctam hanc considerationem videtur habuisse Propheta David, dum crudeliter à Saüle persecutus per deserta, & invia, per rupes & saxa effugere, ac morari in montibus ac speluncis coactus fuit, unde dixit quadam die; *Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium;* 1. Reg. 26. 19. quasi diceret, non mihi mors displicet, sed ut exul & sceleratus mori; si autem Deo me offerre cupis, ut illi meâ morte complaceas, promptus sum millies pro illo vitam exponere.

Potiùs pro Deo patiendum, quàm pro mundo.

30. Quis autem ille erit, qui potiùs victima diaboli, quàm sacrificium Dei sui, esse voluerit? Alacriter ergò tribulari? *Odoretur Dominus sacrificium;* infirmaris? Deus voluit ut sanitatem tuam, in sacrificio illi offerres; mortuus est parens, filius, aut amicus? *Odoretur Dominus sacrificium?* Cogita ad imitationem Abrahami, te illum obtulisse in sacrificiũ, eritq; ipsi gratissi-

Omnis tribulatio Deo offerenda.

tissimum; perdidisti bona, honorem, aut famam? *Odoretur Dominus sacrificium*, de bono corde Deo offeras in sacrificiũ. Si homini cuipiam diceremus, offero tibi bona mea deperdita, aut sanitatem amissam, derisum se putaret. At Deus noster adeò est benevolus, ut etiam acceptet libenter quæ non habemus, eáque in libro computat: sicut enim *vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*: Sic acceptat ea quæ non sunt, tamquàm ea quę sunt, dum bono affectu illi offeruntur. Qui ergò divitiis abundat, partem pauperibus offerat, sufficiat illi aliquid pati pro honore Dei, eritque ipsi gratissimum.

Ad Rom. 4.17.

SECUNDA PARS.

Omnes tribulationibus subjacent.

31. VIdete quàm veraciter asserebam, tribulationis materiam omnibus inservire, cùm nullus reperiatur quin affligatur aliquatenus, nec erit, cui hic discursus, & remedia tribulationis prodesse non possint. Recordor me legisse, Agesilaum Spartarum regem in congregatione multarum gentium, ex diversis Græciæ civitatibus, ad virtutem gentis suę indicandam dixisse; quòd licet ex aliis civitatibus frequentiores advenissent, Spartani tamen bello aptiores essent, quia nullis negotiis addicti; per tubicinem ergò proclamare fecit, ut omnes vascularii se in pedibus erigerent, & ingens multitudo aliarum civitatum surgebat, exceptis Spartanis; subjunxit tibicen, surgant omnes fabri ferrarii, & plurimi alii se erigebant, exceptis Spartanis; tertiò proclamabat, erigant se omnes architecti, & fabricatores, & maximus numerus surgebat, demptis Spartanis: sicque per omnes artes discurrendo, singuli in suo ordine surgebant, Spartanis semper remanétibus suis locis. Sic credo eventurũ, si modò proclamarem, erigant se omnes divites, surgerent multi; surgant pauperes, multò plures se erigerent; sed dum omnes se in pedibus erigere vellem, nullô potiori mediô utendum foret, quàm dicere erigant se omnes mœsti, & afflicti, quique tribulationibus suis non sunt contenti: tunc nullum fore credo, qui surgere non deberet. Stabilitâ, ergo & radicatâ hac veritate; superest modò aliquibus argumentis oppositis respondere, cùm aliis satisfactum sit.

32. Quid ergò objiciebatur, si in mundo est unum contrarium, debere quoque esse aliud? & si miseri, & afflicti reperiantur; felices quoque & beati reperiendi. Respondeo argumentum hoc in favorem meum cedere; cùm enim nullus sit in

Si felix reperitur & infelix reperietur.

mundo adeò miser, & afflictus, quin saltem aliquâ consolatione reficiatur, sanitate, commoditate, vel amicis, & si nulla in re, saltem in spe: ac contrariorum eadem sit ratio, nullus pariter adeò felix aut contentus reperietur, cui non aliquid desit, & non habeat unde doleat.

33. Quid objiciebatur, cùm Deus proposuerit homini beatitudinem, etiam ordinasse media ad illam consequendam, & per consequens plurimos illam consequi? Respondeo, vel sermo est de beatitudine cælesti, vel de terrena; si de illa, verum est Deum constituisse media sufficientia ad illam consequendam, inter quæ excellentissimum est tribulatio, ita ut necessariò hîc crucem accipere debeamus, si in alia vita velimus congaudere: si verò de hac, respondeo hîc nullam esse perfectam, nec veram beatitudinem. Hoc magna ex parte cognovit Aristoteles, agendo quippè de beatitudine, dicebat se de humana agere, de imperfecta videlicet, nec ex omni parte à tribulationibus libera. Desideriũ ergò naturale hominis de beatitudine, erit vanum, & otiosũ? Respondeo desideriũ naturale tunc esse vanum, quando ex nulla parte impletur, sed non tunc quando non planè consequitur totum quod desiderat. Oculus naturaliter desiderat videre omnia, sed consequitúrne effectum? minimè; saturatúrne visu? certè non, quia *Non satiatur oculus visu*; vanum ergò est ejus desiderium? non, quia in multis objectis adimpletur, & hoc sufficit. Pariter voluntas humana omnia desiderat, & hæc est ejus beatitudo; *Aggregatio omnium bonorum*; non tamen cuncta obtinere potest, vanum ergò est ejus desiderium? non, sufficit enim ut aliqua consequatur, modò hoc, modò illud.

Nullus hic undique beatus.

Eccles. 1, 8.

34. Quid objiciebatur, principes, & potentes frui mari dulcedinis, & lactis, absque ullâ amaritudine? Quin imò dico ego, magis affliguntur quàm ulli alii; mancipium, & servum esse, solet magna æstimari miseria; sed quid creditis esse principes? majores servos inter homines: alii siquidem uni soli obediunt, sed illi tot obedire tenentur, quot habent subditos; alii agnoscunt pro Domino personam quandam principalem, sed principes sunt servi servorum, quorum obligantur audire rationes & querelas, & justa judicare. Hoc verum esse, ex sacra scriptura probare possemus; ubi titulus servus servorum semel reperitur datus, dicente Domino de Chanaan; *Servus servorum erit fratribus*: Sed quomodo hoc impletum fuit? in per-

Potentes sunt majores servi.

Gen. 9. 25.

persona propria? minimè, quia nec illud legimus, nec possibile videtur; cùm omnes homines eo tempore essent propinqui, & amici; nec credibile est talem servitutem inter illos fuisse. Hæ ergò Prophetiæ juxta communem expositionem, intelliguntur de illorum consanguineis; sed quales fuerunt posteri Chanaan? quid fecerunt? S. Epiphanius in suo Ancorato inquit, quod filii Noë dividentes inter se mundum, Provincia Palestinæ cessit Sem primo genito Noë; cujus posteri in ea pacificè habitarunt, donec posteri Chanaan illos violenter inde expulerint.

S. Epiph. in Ancocorato prope finem.

Quomodo hoc possit esse verum.

35. Ampliùs dico, Nemrod filius Chanaan ut scriptura sacra refert, primus fuit, qui sibi imponeret coronã regiam, & vocaretur Rex: qui à prophanis auctoribus vocatur Bel. Si ergò posteri Chanaan adeò potentes fuerunt, & è cõtra filii Sem ab illis expulsi, & subacti; quomodo dictum fuit, illos debere esse servos horum? S. Joannes Chrysostomus mirabiliter hoc dubium resolvit; ait enim Nemrod propter tyrannidem suam, in majorem servitutem se reddidisse; *Hic iterum*, inquit de Nemrod, *proavum suum imitatus, & ab usus naturæ privilegiis, alium servitutis modum adinvenit, & princeps atque Rex fieri attentavit.* Regnare ergò servire est? imò inquit Chrysostomus, subjungens; *Licet ista magis videatur esse libertas, servitus gravissima est.* Servi ergò sunt principes aureis ligati catenis; ut rectè de posteris Chanaan dixit Sophonias; *Conticuit omnis populus Chanaan; disperierunt omnes involuti argento.* Idem quoque Antigonus filio suo dicebat; *An ignoras regnum esse splendidam servitutem?* nec solam splendidam, sed miserrimam, cùm nullus ab ea liberari possit.

S. Chrysost. hom. 29. in Genesim.

Regnare servire est.

Sophon. 1. 11.

36. Quid ampliùs objiciebatur, multos felices nuncupatos, ut Scillam, & Augustum? Respondeo, hoc vanâ gloriâ elatos dixisse, non quia veraciter credebant; dixerunt quoque respectu aliorum, qui videbantur miseriores. Quomodò siquidem Scilla felix esse poterat, qui continuis bellis civilibus opprimebatur? qui invidebat gloriæ Marii & Pompei? qui denique se abjectum, & despectum vidit, & mortuus miserrimè, à vermibus ex corpore scaturientibus corrosus? Quomodo felix Augustus, qui sæpius in vitæ periculo versatus? & qui à propriis filiis tot sustinuit injurias, ut pœnituerit eum fuisse patrem? Quomodo felices illi de quibus Valerius Maximus refert, quod seipsos occiderint, si à præsenti felicitate adeò erant afflicti, ut minus malum reputarent, mortem eligere? Quid de Poli-

Felices dicti, miseriis pleni fuerunt.

Policrate referam? parvo tempore videbatur felix, sed reliquum miserabilis, ab inimicis siquidem victus captusque, regno spoliatus, & ut latro infamis in patibulo suspensus, & corvis in prædam relictus. Hoc facto, suo damno, & maximo dedecore, verificatum fuit somnium ipsius, quod à Iove lavabatur, & à Phœbo ungebatur; fuit enim pluviâ cælesti irrigatus, & à sole unctus, dum pinguedinem corporis, suis radiis liquefieri fecit. De his aliisque similibus dici potest, quod S. Augustinus refert Ciceronem dixisse de quodam, qui eò quòd facilitatem haberet peccandi, felix dicebatur: de quo S. Augustinus sic ait: *O miserum cui peccare licebat.*

S. August. lib. 5. de civitat. Dei cap. 24.

Tribulatio communis est consolatio.

37. Ex hac igitur veritate, omnes homines afflictos esse, quid nobis colligendum? primò maximam consolationem in tribulatione, quia soli non sumus, ut commune proverbium refert; *Solatium est miseris socios habere pœnarum*: & aliquibus solitum est dicere; tribulatio communis, est medium gaudium. Nec Sanctus Hieronymus solummodo hoc asserit, verùm etiam rationem reddit; quia ponderosum aliquid faciliùs portatur à multis, quàm ab uno solo; sic eadem tribulatio à multis tolerata, levior videtur, cùm unusquisque partem suam recipiat: *Mœrentiū,* inquit, *societas, gravem tristitiæ vehementiam auferre consuevit; sicut enim in onere, si quis ponderis partem susceperit sibi, ferenti sarcinam levabit, sic & in omnibus aliis.* Unde creditis oriri iniquos tam sæpe murmurare, & dicere mala de bonis, attribuendo ipsis propria peccata? nisi quia vellent multos habere socios in malo, æstimantes se deberi adjuvari in portatione gravissimi ponderis culpæ, sicque consolationem quandam recipere? Notat hoc S. Hieronymus in vita S. Paulæ quam dicebat fugere consortia monachorum, licet sanctorum: *Ne locum daret linguæ maledicæ, quæ sanctos carpere solita est, in solatium delinquendi.* Theodoretus autem ampliùs dicit; homines libidinosos quærere maculam similis culpæ Angelis imponere, ut à consortio illorum excusarentur: *Putantes,* inquit, *suæ forsitan intemperantiæ patrocinium habituros, si Angelos ejusdem criminis reos tenerent.* Si ergò insupportabile pondus peccati videtur allevari, & minùs sentiri, dum in multis reperitur; quomodo illa tribulatio, quæ in omnibus reperitur, non reddetur tolerabilior? Adjungamus quoque universalitatem illam afflictis occasionem invidiæ tollere, quod maximum solet esse tormentum, quandoquidem nemo ex omni parte beatus

S. Ieron in Epitaphio Paulæ.

S. Ieron. in vita S. Paulæ.

Theodor. in Ierem. cap. 6.

Tribulatio communis invidiam tollit.

tus sit, non est quod cuiquam invideat; ubi aliàs magna esset afflictio proprium considerare malum, & alterius bonum, itaque à proprio tantum malo affligitur. Quin imò vix pro malo agnoscitur, unum siquidem contrarium per alterum cognoscitur: ubi ergò nullus omninò felix, quomodo cognoscetur infelix? ubi nullus est beatus, quomodo cognoscetur miser? Aufert denique alicui omnem indignandi occasionem, cùm videat sibi non fieri injuriam, nec sibi malum infligi, quod aliis commune non sit: sic inquit S. Chrysostomus, *itaque nè indignemur, neque nos in ærumnis solos esse putemus,*

Communiter tribulatio ferenda.

38. Hoc modo consolabatur Solon amicum suum afflictum, conducens siquidem illum in eminentiori parte civitatis Atheniensis, ubi tota conspici poterat; tot, inquit, domos quot vides, tribulationis habitacula sunt, & credis te fore exemptum? stolidum est hoc cogitare, propter quod resoluendum, & ferendum alacriter. Pariter Seneca consolabatur Polibium dicens: *Quis tam superbæ impotentisq; arrogantiæ est, ut in hac naturæ necessitate omnia ad eundem finem revocantis, se unum ac solum poni velit? Ruinæque ipsi mundo imminēti, aliquam domum subtrahat? maximum ergò solatium est cogitare id sibi accidisse, quod ante se passi sunt omnes, omnesq; passuri, & ideò mihi videtur rerum natura, quod gravissimum fuerit, commune fecisse, ut crudelitatem fati consolaretur æqualitas.* Quod rectè inquit Seneca, nimiæ siquidem arrogantiæ esset sine tribulatione vivere velle. Principes, servi, mali, boni, magni, parvi, omnes sunt tribulati, & afflicti, & tu sine tribulatione esse cuperes? solus hoc privilegio gaudens? quin imò si posses, non deberes velle. De Diogene legitur, quòd dum Corinthi in vase quodam degeret, advenisse nuntia, Philippum Macedoniæ regem ingentem præparare exercitum, ut civitatem interciperet, quod illis innotescens, singuli ad defensionem se accingebant, hic munitiones reficiebat, ille arma parabat, alter victualia ad obsidionem sustinendam congerebat, & unusquisque particulari occupatione detinebatur. Hoc advertens Diogenes, cœpit vertere, & invertere vas suum; interrogatus autem quid faceret, respondit, verecundor otiosus manere, inter tot laborantes, & quia aliud efficere nescio; volvo quoque dolium, ne solus cessator esse videar. In scriptura sacra simile quoddam exemplum, imò pulchrius reperiemus.

Seneca in epist. ad Polibium cap. 21.

Pudor est tribulatione carere velle.

39. Insignis ille licet infelix Urias, vocatus ex bello à rege Davide, & invitatus ad quiescen-

ſcendum & fruēdum domeſticis gaudiis, cuncta reſpuebat dicens: *Arca Dei & Iſraël habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar in domum meam ut comedam, & bibam?* Sed ſi Joab ſuper terram dormit, numquid David dulciter requieſcit, in ſuo lecto? Si multi ex populo ſub papilionibus manent, nónne & alii in domibus requieſcunt? Cur potiùs te accommodare velles tribulatis, quàm gaudentibus: quarè potiùs abſentibus, quàm præſentibus? Times fortaſſis tibi defuturum tempus, & occaſionem patiendi? non dubites, nam plus tibi adveniet quàm deſideres. Melius igitur erit ſi modò dum potes fruaris voluptatibus, & gaudiis, quia tribulatio numquàm deeſt. O cor generoſum Uriæ, nō ſufficiebat præceptum regis, non blandimenta mulieris, non exemplum aliorum præſentium, ut ſe potiùs accommodaret gaudentibus, quàm tribulatis. Qualis ergò noſtra erit verecundia, ſi conſideremus cunctos pati, & tribulari, ac ſub gravi afflictionis pondere gemere; noſque ſolos quiete perfrui, ac ſine ulla moleſtia vitam ducere?

2. Reg. 11. 11.

Hoc probatur exemplis.

40. Alexander Magnus cum toto exercitu, maxima affligebatur ſiti; cumque caſu parum aquæ repertum eſſet, ipſi allatum fuit, ut arentia ſiti labra refocillaret. Sed invictus animus ſolus inter tot ſitientes ſe reficere dedecus æſtimans; potiùs cum aliis ſe ſiti excruciando pati volebat, quàm ſolus bibendo aliis majorem aſciſcere ſitim; ſicque generosè aquam evertens, ſitibundum exercitum facto ſuo plus animare, quàm appetitui ſatisfacere voluit. Quid nobis igitur inter tot afflictos faciendum? generosè potiùs cum Alexandro tribulationem immiſſam patiendo, quàm aliis omnibus patientibus ignaviter effugere, aut declinare velle.

41. Aliud quoque documentū nobis inde colligendum, ut nemini invideamus. Plurimos quandoque potentes divites, & à mundo favoribus decoratos videmus, ſed his bonis indignos judicamus, unde ſuboritur invidia; prædictis tamen conſideratis, hi maligni affectus ceſſare cogentur. Etenim ſi in aliis rebus ſunt miſeri aut infeliciores aliis, cur illis tantillam felicitatem invidebimus? An aliquis flori fœni, aut herbæ viridi invidet? Nequaquàm, licet enim videantur inſignes, infirmam tamen radicem habent; hoc quippè manè florentes, veſperi exſiccantur, aut præſcinduntur. Quantò etiam ſunt pulchriores, tantò magis temporum, hominumque injuriis exponuntur.

Nemini ob felicitatem invidendum.

tur. Nemini ergò quantumvis glorioso, aut felici invidendũ, aliud siquidem non est, quàm flos fœni. Optimè illud intelligens Propheta regius Spiritu Sancto dictante dicebat: *Noli æmulari in malignãtibus.* Sed quare? *Quoniam tamquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.* Quid fœnum floridum suprà aliud possidet? An propterea falcem præscindentem effugiet? vel à sole non siccabitur? Quin imò faciliùs, & citiùs alio. Nos omnes fœnum sumus: *Omnis caro fœnum:* feliciores autẽ apparentes sunt fœnum floridum: *Et omnis gloria ejus quasi flos fœni.* Sed nónne aliqui à tribulationis fervore exempti? nónne crudeli mortis, aut morborũ telo minùs expositi? Quin imò plus aliis; David quippè non tantùm fœni, ex seipso nascentis, verùm etiam herbarum in hortis educatarum mentionem facit; ut nobis exhiberet nec bonorum naturæ, nec à fortuna provenientium ullam esse concipiendam invidiam: Quid enim est nobilitas, pulchritudo, fortitudo, aut industria? quid honores, divitiæ, dignitas, & scientia? sunt flos fœni fragilis, & caduci, qui hodie extollitur, cras non invenitur.

Psal. 36. 1.

Isaiæ 40. 6.

Vnicuique sua tribulatio major apparet.

42. Nec mihi quis objiciat verum est nos omnes esse afflictos, sed magna datur diversitas, alii siquidẽ alios feliciores, & deteriores æstimant, unicuique suum malum videtur maximum, teste S. Joanne Chrysostomo: *Si verò tantum non habent tristitiæ, quantũ nos occasionem, ita quisq; putat, proprium enim eum plusquam alienum afficit.* Infirmus morbum suum majorem tribulationem æstimat; inquit enim, omnibus viribus spoliatus hîc jaceo, sanus se adjuvare potest, & malum extra se habet. Pauper neminem se infeliciorem autumat, cùm ab omnibus se contemptum, & derelictum videat. Quem inimicus persequitur, se omnibus deteriorem putat cùm semper pavidus & malè sit exceptus. Singuli denique malum suum quantũ possunt, exaggerant, cùm suum, non alienum experiantur. Sufficiat igitur nobis status à Deo concessus, ne nobis eveniat ut aliorum tribulationes supervenientes, graviores, & molestiores appareant. Cumque nec soli, nec magis sumus afflicti quàm alii; ultrà alios quoq; nõ contristemur aut affligamur; quin potiùs patientiâ nostrâ, & lætitiâ bonum præbeamus exemplum; aliosque ad tribulationes alacriter sufferendas, invitemus. Quod Deus cunctis concedat. AMEN.

Chrysost. hom. 67.

DISCVR-

DISCVRSVS QVARTVS.

Si dies aliqua in humana vita, à tribulatione sit libera? ac notabile remedium ad easdem faciliter sufferendas suggeritur.

SVMMARIUM DISCVRSVS.

Continuam in hoc mundo mutationem, & instabilitatem esse ostendit. num. 1. 2. 3.

Posse hominem diu in hoc mundo feliciter vivere probare nititur; à num. 4. *usque ad* 9.

Nullam tamen diem vel horam suâ tribulatione carere docet à num. 10. *usque ad* 16.

Vitam nostram continuam mortem esse declarat, à num. 17. *usque ad* 20.

Quomodò intelligendum continuam in mundo tribulationem esse? à num. 21. *usque ad* 31.

Quomodò consolationes tribulationibus prævaleant? à num. 32. *usque ad* 35.

Qualiter tribulationes pauperibus sint leviores, & faciliter ac utiliter ferri poßint? à num. 36. *usque ad finem.*

Continua varietas in rebus terrenis.

1. Ulcherrima varietas, & continua in rebus terrenis vicissitudo exurgẽs, occasionem præbuit Salomoni dicendi; *Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt universa sub sole.* (Eccles. 3.1.) Optimè dixit *transeunt*; sicut enim occasione nuptiarum, aut festorum quandoque in aula pulchrè ornata domicellæ, ac Domini, choreis, ac tripudiis detinentur occupati, quę aliud non sunt, quàm ordinati motus, transitus, & mutationes, instrumentorum sono conformes, juxtà magistri directionem. Pari modo mundum universum aliud non esse quàm aulam pulcherrimè ornatam dicere possemus; in qua omnes creaturæ, juxta sonitum musicæ, & directionem magistri, qui Deus est, saltant, & transeunt; & hoc tam accuratô modô, ut nemo sit qui exactè sonum non observet. Hoc ingeniosè notans Sapiens ait: *In se enim, elementa dum convertantur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt.* (Sap 19.17. *Tripudium cuncta instituere videntur.*) Quàm benè dicit, *in se elementa dum convertuntur*; ecce mutationes, & transitus; *sicut in*

organo qualitatis sonus immutatur, ecce sonus juxta quem tripudium ordinatum: *& omnia suum sonum custodiunt*: ecce quomodo cũcta sequuntur ordinatè hunc sonum.

2. Primò transeunt orbes cælestes licet incorruptibiles, quia sunt in continuo velocissimo motu; & secundùm varias eorum partes, nunc in Oriente, nunc in Occidente, nunc stellis minutissimis cooperti, nunc fulgentibus solis radiis splendescunt; nunc nigro tenebrarum pallio adumbrati procedunt. Tripudium quoque (licet symbolum sit stabilitatis) sol peragit, & ut sponsus hic se

Psal. 18.6. præsentat; *Ipse tamquàm Sponsus procedens de thalamo suo*; salit autem ut gigas; *Exultavit ut gigas ad currendam viam*: modò siquidem in alto cælorum, modò in inferiori apparet; nunc ad ortum, nunc ad occasum, nunc suprà terram, nunc sub ea; nunc obductus nubibus, nunc clarè resplendens. Quid de Luna referam, quæ Sponsæ instar albicante argenteâ veste, mutationis symbolum, ad hæc festa procedere gaudet? Modò plena, modò diminuta, nunc pilæ instar rotunda, nunc instar arcus curvata, nunc obscurata & eclipsata, nunc clara, nunc soli opposita, nunc illi conjuncta, nunc in hac, nunc in illa cæli parte apparet. Elementis quoque vicissitudines inesse conspiciuntur. Ignis modò in materia densa, modò in rara invenitur; modò vincit omnia, consumit, ac devorat; modò à parva quantitate aquæ extincta in favillam redigitur. Aër modò à ventis commotus, modò sine ventis quietus; modò nubibus repletus, modò clarus; modò imbribus scatet, modò serenus est; modò calidus, modò frigidus; modò humidus, modò siccus. Aqua nunc torrentis instar in flumine rapidissimè decurrit, nunc in stagnum redacta, placidissimè quiescit; modò in mari undis agitata, modò ventis elata; modò plana, modò remis confracta; modò à scopulis repercussa, modò à littore terminata. Terra quoque varietatem admittit, modò nive, & glacie cooperta, modò herbis viridibus tecta; modò in pulverem redacta, modò aquis immixta, modò à bestiis conculcata, modò ligone & aratro ab hominibus perforata.

Sol & Luna idem observant.

Elementa pari mutationi subjecta.

3. Majores tamen quàm cætera, homo vicissitudines & varietates admittit, qui modò infans, modò senex, modò vigilat, modò dormit, modò amat, modò odit, modò sanus, modò infirmus, modò operatur, modò quiescit, modò honoratus, modò vilis; rectè denique de eo dixit Job; *Nunquam in eodem*. Job 14. 2.

Homo aliis mutabilior.

dem statu permanet; & meliùs
Psal. 38. 6. Propheta regius; *Universa vanitas omnis homo vivens*: omnis videlicet vanitas, & instabilitas est homo; quia in se solo omnes mutationes aliarum creaturarum continet. Vt cælum suo motu, sic cogitationibus suis semper movetur, & circumfertur; ut Sol, modò dignitate & honore in altum elatus, modò per humilitatem despectus, & vilis. Vt Luna, nunc crescit in bono, & fit illustrior, nunc diminuitur malè agendo, & fit obscurior; ut ignis, nunc inimicum superat, nunc ab illo superatur. Vt aër, nunc per amorem serenus, nunc per iram turbatus. Vt aqua nunc fluctuatur dubius, nunc verò resolutus placidè quiescit. Vt terra, modò pulvere terrenarum vanitatum aspergitur, modò aquâ voluptatis in lutum redactus, à feris mundanorum appetituum calcatur, modò vomere divinę gratiæ sulcatur. O quæ vicissitudines, quæ mutationes! In uno solo dubitare possemus, quòd semper videatur immobilis & constās in afflictionibus, & consolationibus. An igitur in tribulatione vel consolatione persistere possit, præsenti discursu resolvere conabimur; discutientes rationes pro una & altera parte, ut justè sententiam definitivam ferre possimus.

Cunctas mutationes continet.

4. Multorum opinio est hominem posse multis diebus feliciter absque ulla tribulatione permanere, pro quâ parte efficacissimæ sunt rationes; in primis regula Philosophorum est, *Nullum violentum durabile*: non potest natura multo tempore sufferre violentiam. Hoc clarissimè patet in aëre quo nihil subtilius; si enim violenter sub terra detineatur, quid non efficit ut egredi possit? Terram concutit, montes tremore exagitat, fortia quæque ædificia evertit, nec ullis quietem tribuit, donec ad proprium locum pervenerit. Pugnat ergò unumquodque ne patiatur violentiam, & pugnando vincit, sicque violentia parum durat, aut vincitur, & destruitur, sicque cum eo violentia desinit; ita ut res violenta absque alieno auxilio, per se ipsam destruatur. Philosophus quidem interrogatus quid rarius aut mirabilius in mundo vidisset, respondit tyrannum senem; cùm enim tyrannus violenter gubernet, non potest diu permanere. Ante Philosophos hoc S. Propheta Job cognovit, scribens enim de aliquibus violentias inferre gaudentibus, dixit tales non posse diu vivere, sed absque ulla impugnatione per seipsos casuros. *Auferent*, inquit, *violentum*, Sed quomodo? *absque manu*. Violentus ille ex mundo auferetur, sed quomodo, *absque* Job 34. 20.

An homo possit diu absque tribulatione vivere.

manu: quomodo hoc fieri poterit? Non hoc mirum quia violentus est, durare non potest, ex seipso cadet; *nullum quippe violentum durabile.* Tribulatio quid est? violentia naturæ, aut voluntati illata, aliàs non esset tribulatio. Cùm Rex Ezechias vellet Domino dicere se esse afflictum, dixit: *Domine vim*
Isaiæ 38. 14. *patior*; sed à quo? An homines armati te oppugnant? An aliquis gladium gutturi admovet, ut te juguletẽ Certè non, quinimo omnes te reverentur, & honorant, præsidiarios tenes milites, quomodo ergò dicis te pati violentiam? Nullus illi vim inferebat, nisi morbus, & febris, quæ prævalebat naturæ. Si infirmitates ergò quæ magis hominibus videntur naturales, violentiam naturæ inferunt: multò magis de aliis hominis inimicis id dicendum; de his David ait, *vim faciebant, qui quærebant animam meam.*

Tribulatio homini violenta videtur.

Psal. 37. 13.

5. Dicet fortè quispiam nonne dixit S. Propheta Job; *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum?* Sicut ergò volatus non est avi violentus, sed naturalis, & delectabilis; sic labor & tribulatio, si non sit homini delectabilis, ad minùs erit naturalis. Possem dicere volatum esse contra naturam avis, si non in quantum animata, ad minus in quantum ex elementis composita, cùm sit corpus grave, sicq; allaborare debeat, ut in altum elevetur. Melius tamen dicamus sententiam hanc sacræ scripturæ, in favorem nostrum cedere; si enim tribulatio est volatus, cùm ille in avibus non sit perpetuus, sed quandoque requiescere debeant, ut vires resumant; pariter homo continuò tribulari & affligi non potest, sed quandoque à tribulatione cessandum, ne penitùs pereat, sed vires resumat. Hoc rectè intellexisse videtur Propheta David dum diceret; *volabo, & requiescam*; volabo quidem, non tamen semper, sed quandoque requiescam; non semper igitur homo tribulabitur, sed quandoque consolabitur.

Job 5. 7.

Non semper homo tribulatur.

Psal. 54. 7.

6. Ampliùs dico, non solummodo esse consolationes in mundo, sed non cedere, nec numero nec pondere tribulationibus. Magna est differentia inter monetam quæ per manus multorum transit, & illam quæ de novo cusa est; prima quasi semper minoris ponderis, quia multoties expendendo consumitur, & quandoque aroditur; secunda est justi ponderis, nec quidquam ipsi deest. Hinc sequitur duobus modis commutari pecuniam, in numero, & pondere; moneta nova, & integra, commutatur cum alia simili, in numero, v. g. decem partes sex assium pro parte trium florenorum; si verò

Moneta nova & antiqua qualiter expenditur.

commutes

commutes monetam tritam, aut diminutam, cum integra, & bona, non respicies numerum; sed pondus, v. g. quanti ponderis monetæ tritæ, tanti recipies monetæ novæ & talis est praxis monetarum. Deus autem noster adeò benignus, & liberalis est, ut libenter commutet pecuniam monetæ suæ, cum nostra, non pondere, sed numero. Quæ sunt pecuniæ monetæ divinæ? Opera pietatis, & consolationes; ideoque vocatur pater misericordiarum & consolationum; & divitiæ ejus in misericordia consistunt, *Dives in misericordiâ*, inquit Apostol. Qualis est moneta nostra? Tribulatio, & afflictio, per omnium manus transiens; in Canticis inquit sponsa, *Digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ*; quod Septuaginta interpretes verterunt; *stillaverunt myrrham transeuntem*; myrrha per manus omnium transiens, tribulatio videlicet omnibus communis. Vbi cusa est hæc pecunia? In corde nostro, malleo obstinationis; quod S. Paulus optimè testatur, dicens; *Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram*; *secundùm duritiam*, ecce malleus; *& impœnitens cor*, ecce impressio; *thesaurizas tibi iram*, ecce pecunia, quam omnes minuere & consumere cupiunt; quia cuncti minùs pati desiderant. Hæc ergò moneta cum divina mutari potest, pondere, & numero, licet ratio exigeret ut pondere solùm commutaretur; Deus tamen adeò est liberalis, ut etiam numero commutare velit. Audi Davidem hoc dicentem; *secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Vis monetam humanam? *dolorum meorum*, cupis impressionem? *In corde meo*; vis monetam divinam? *consolationes tuæ*, commutationem desideras? *Lætificaverunt animam meam*; quo modo? *Secundùm multitudinem*, juxta numerum. O quale lucrũ, propter unam lachrymulam, consolatio angelica, propter injuriam cum patientia toleratam, divinus amplexus. Sed hæc commutatio ubi fit? In altera vita fortè? Non in illa solùm, verùm etiam in hac vita; *lætificaverunt*, inquit David in præterito, non *lætificabunt* in futuro. Ditiores ergò sumus consolationibus, quàm tribulationibus; licet enim pro mille tribulationibus habeamus mille consolationes, unica tamen consolatio prævalet mille tribulationibus.

Deus tribulationes in consolationes mutat.

Ad Ephes. 2. 4.

Cant. 5. 5.

Ad Rom. 2. 5.

Psal. 93 19

Consolationes abundantiores quàm tribulationes.

7. Optimus erat modus antiquus apud plurimas nationes, maximè Germanos, & Scythas, numerandi dies per lapillos; hâc tamen differentiâ, ut dum diem feliciter transegisse videbantur, illam albo signabant

Mos veterum numerandi per lapillos.

bant lapillo, unde ortum proverbium, *dies albo signanda lapillo*. Hoc fortè respexit S. Ioannes dicens: *Dabo ei calculum candidum*; dies infelices nigro lapillo indicabant, eosque omnes vasi imponebant; mortuo ergò aliquo, amici vas illud evertebant, & si plures albos reperissent, talem felicem prædicabant; si plures nigros, infelicem. Sed verè dicendo, non benè faciebant, poterat siquidem dies aliqua felicissima fuisse, quæ omnes alios infeliciores superasset. Supra hunc agendi modum ingeniosus quidam emblema conficiens, depinxit vas plenum lapillis nigris, in cujus medio lapidem album satis magnum constituens, hoc dictum supponebat; *æquat has nigras, candida sola dies*. Inferre volens, unum diem felicem sufficere, ut omnes infelices superaret. Quod etiã Propheta David ante illum edocuit, dicens. *Melior est dies una in atriis tuis super millia; dies una*, ecce lapis albus, *super millia*: ecce lapilli nigri, quia dies extra atrium Dei transacti, non possunt esse felices, sed infausti; at dies una in atriis Domini prævalet omnibus aliis. In pondere ergò & valore tribulationes à consolationibus superantur; sed quid erit si vobis monstravero, in numero quoque superari?

Apoc. 2. 17.

Psal. 83. 11.

8. Quis nescit effectus pietatis, & miserationis divinæ, numero excedere effectus indignationis ejus? *Miserationes ejus super omnia opera ejus*. Tribulatio quid est? effectus indignationis divinæ; quid verò felicitas, effectus suæ bonæ voluntatis: David in Psalmis non me falsum dicere permittet; *Quoniam ira*, inquit, *in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus*. Effectus videlicet iræ, qui est tribulatio; unde Septuaginta interpretes legunt, *calamitas*, quæ effectus est indignationis; quamdiu verò hæc durat? quamdiu indignatio adest. *Et vita in voluntate ejus*: quid per vitam intelligitur? Felicitas, sic alibi, *Quis est homo qui vult vitam*? qui videlicet felicitate frui desiderat; & Salvator noster inquit; *vis ad vitam ingredi*? pervenire, nempè, ad felicitatem cupis? Hæc ergò vita, hæc felicitas unde derivatur? Ex voluntate Dei, qui ex natura sua ad gratiam, & felicitatem tribuendam inclinatur, nisi ab extrinseco impediatur; semper favores, & prosperitates largitur, castigationes verò tantùm, dum indignatur. Si quæras autem quantum hæc indignatio duret, respondeo uno momẽto; sic enim ex Hebræo vertit Pagninus; *Momentum in indignatione ejus*, cui Isaias correspondet; *in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te*: S. Paulus

Psal. 144. 9.
Tribulatio respectu consolationis momentanea est.

Psal. 29. 6.

Ibid.

Matth. 19. 18.

Probatur Scripturis.
Isaiæ 54. 8.

lus autem tribulationem non solùm momentaneam asserit, sed etiam valde levem; *Momentaneum & leve tribulationis nostræ.* Consolationes autem in vita mensuratur, *Et vita in voluntate ejus*: ita ut proportio illa unius momenti ad vitam longissimam, sit etiam in tribulatione respectu consolationis: quin imò hoc momentum difficulter in vita plurimorum reperietur. In convivio videmur omnium afflictionum, & curarum oblivisci, gustus ciborum, dulcis amicorum conversatio, facit omnes curas seponere; unde Sapiens inquit, *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo, bibant, & obliviscantur.* Quidam diem noctemque in conviviis consumebāt, quia videbatur illis, tunc nihil desiderandum. Sed quid creditis esse securam, & tranquillam conscientiam? non aliud quàm continuum convivium, *Secura mens quasi juge convivium*, justi ergò qui purâ fruuntur conscientiâ, quasi in continuo versantur convivio, nec sciunt quid sit tribulatio.

2. Cor. 4. 17.

Psal. 19. 6.

Proverb. 31. 6.

Proverb. 15. 15.

Impii videntur multis diebus bonis perfrui.

9. Si Deus ergò tam bonus justis; impiis, nónne unum diem consolationis & felicitatis concedet? Quis non confitebitur diem felicissimum fuisse Philippo Macedonum Regi, in quo trium victoriarum nuntia, & nativitatem filii sui Alexandri Magni percepit? Quomodo non diem felicem reputabunt Athenienses illum in quo victoriam contra Persas obtinuerant? Qualiter Siculi non festivis gaudiis diem illum annuè colebant, quo liberati à jugo Atheniensium? Quomodo non dies felicissimus erat Imperatoribus illis quo civitatem Romanam intrabant triumphantes? Quomodo non dies felix civitati Jerusalem, de quo Salvator ajebat; *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi*: In die videlicet, quæ tibi pacem afferet, & sine afflictione constituet; nomine quippè pacis in sacra Scriptura universa bona intelliguntur. Quomodo non singuli die aliquo felici fruentur, cùm nulla sit civitas, nec persona, quin habeat unum diem conviviis aut festis destinatum? Nónne denique, inquit Sapiens, esse *Tempus ridendi, & tempus flendi?* Si ergò est tempus ridendi, erit quoque tempus à tribulationibus liberum. Videtur igitur concludendum, quòd licet sint afflictiones, & tribulationes in mundo, erit quoque aliquis dies felix & liber ab istis.

Luc. 19. 42.

Non semper tribulationes durant.

Eccles. 3. 4.

10. Sed modestè, non tam citò properate ferre sententiam, Propheta Job primò audiri cupit, & vulgatam illam, nec satis umquam laudatam proferre auctoritatem; *Homo natus de muliere*

Vita brevis & miseriis plena.

Job 14. 1.

liere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, quaſi diceret, in vita humana nullus locus vel tempus fœlicitati, vel lætitiæ. Qui abundat repoſitoriis, & capſulis, multa, variaque reponere poteſt; ſed ſi quidpiam in parva reponatur capſula, aliud non capitur; & ſi diverſa unius generis, certum eſt alia poni non poſſe, quia locus nimis exiguus. Quid eſt vita noſtra? parva capſula, *Brevi vivens tempore*, & Sapiens inquit; *Sic & nos nati, continuò deſivimus eſſe*; quid in ea reponitur? Magna miſeriarum quantitas; *Repletur multis miſeriis*; ſicut S. Gregorius inquit; *Anguſtatur ad vitam, & dilatatur ad miſeriam*, omni ergò miſeriâ plena hæc noſtra vita, & in ea conſtituere vis gaudium, & lætitiam? deciperis, nullus ibi pro iis locus.

Sap. 5. 13.

S. Gregor. in cap. 14. Job.

In quo vitæ ſtatu lætitia eſſe poſſit?

11. Etenim ſi gaudium vel lætitia foret, in quo ſtatu vitæ conſiſteret? In pueritia? ô miſerrime, tunc parvulus ſtrictus faſciis anguſto clauditur carcere, neſcit aliud efficere, quàm lamentari, & lachrymari. In adoleſcentia fortè? ô infelix, tunc ſemper virgis regitur, & auctoritate magiſtri, vel tutoris compeſcitur; continuò deſudare oportet, ut addiſcat artem aliquam, vel doctrinam, & quantumvis magnus ſit princeps, ut ſervus tenetur; *Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo.* In juventute forſitan? tunc maximè ventis paſſionum agitatur, nunc Auſtro concupiſcentiæ in infamem Charybdis gurgitem dejectus, nunc Aquilone iræ, in duriſſimum Scillæ ſcopulum conjectus. In ætate fortè virili? O infortunate, tunc grave jugum negotiorum, & matrimonii portandum, ac mille ſpinis cogitationum honoris, ac dignitatis circumſeptus, familiæ gubernandæ attendere cogitur, ubi ergò hic dies felix reperietur? An in ſenectute? Sed quid aliud hæc eſt, quàm miſeriarum cumulus? vires deficiunt, deſideria creſcunt, calor naturalis refrigeratur; omneſque ſenſus quaſi obtuſi, membra infirmitatibus referta, impatiens ira, intellectus ſuſpicioſus, memoria labilis, imaginatio ſemper dolores repræſentans; paulatim denique conſumitur, donec ultimum malorũ adveniat mors. Nulla ergò dies in vita hominis à tribulationibus & miſeriis exempta, quin imò unaquæq; tantis abundat calamitatibus, ut indiſcretio magna foret, illi quidpiam adjungere.

Ad Galat. 4. 1.

In nullo ſtatu videtur ponenda.

12. Princeps dum proficiſcitur, plurimam ſecum defert ſupellectilem, diverſis curribus impoſitam; ſi autem alicui ſoli totum onus imponere vellet, diceret ille cui cura incumbit, quid facitis, vultis hoc animal occide-

Vnaquæque dies sua tribulatione abundat.

occidere; non videtis illum habere justum pondus? Unicuique suum onus relinquite. Nos omnes in hac vita proficiscimur; *Quoniam dum sumus in corpore peregrinamur à Domino*; ingens onus portandum est, *Ingemiscimus gravati.* Quid effecit providentia divina? per omnes dies vitæ nostræ cuncta distribuit, hodie tribulatio, cras infirmitas, perendie lis, & processus, posteà dedecus, & ignominiosa injuria. An aliquis est dies onere suo exemptus? non, imò unusquisque ita abundat, ut magna foret indiscretio, ampliùs adjungere, ut alium diem exoneraremus.

2. Cor. 5. 6.

13. Hoc pulchrè testatur Salvator noster dicens, *Nolite soliciti esse in crastinum, crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi*; quasi diceret, nolite onus diei crastinæ, huic diei imponere; quare? quia fortè nescio si cras vivam? verum quidem est, non hoc tamen ait Salvator; at quia *sufficit diei malitia sua*; quasi diceret, cur huic diei onus crastini imponis? Nónne partem tribulationis, & oneris sibi assignatam habet? non videtis illum sufficiens habere, relinquite ergò illi partem suam; quia *malitia*, hîc aliud non significat, quàm tribulationem & pœnam, ut in Isaia legitur; *Quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius*; adeò siquidem stricta est conjunctio inter malitiam, & pœnam, inter culpam, & tribulationem; ut sæpè in sacra Scriptura una pro alia accipiatur. Si igitur hæc ratio Salvatoris bona est, ut certissimè est; dicendum certè est, nullum diem à tribulatione exeptum, alioquin licitum esset de crastino cogitare, contra ipsius consilium. Clarius idem in S. Luca videtur, ubi Salvator noster legem publicans se sequentibus, dixit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Non sufficit una vice portare, vult nos omni die illam in humeros accipere, nec dicit fabricandam esse, aut quærendam, vel ab alio accipiendam, sed nostram accipiendam, præsupponendo nos omni die illam habere, tribulationem videlicet, & calamitatem.

Matth. 6. 34.

Sufficit diei malitia.

Ibid.

Isaiæ 40. 2.

Lucæ 9. 23.

Vnicuique sua Crux portanda quotidie.

14. Hanc Crucem omni die ferendam latiùs probat Innocentius Papa primus, in libro *de contemptu mundi*, ubi ad particularia descendendo rationem reddit, dicens: *Quis umquam diem totum duxit in sua delectatione jucundum? quem in aliqua parte diei, reatus conscientiæ, aut impetus iræ, vel motus concupiscentiæ non turbaverit? quem livor invidiæ, vel ardor avaritiæ, vel tumor superbiæ non vexaverit? quem aliqua jactura, offensa, vel passio non commoverit?* Parum dixi, non diem tantùm

Innocent. Papa lib. I. de contemptu mundi c. 20.

Nulla hora à tribulatione libera.

tùm à tribulatione liberum, sed nequidem horam, aut momentum. Nec hoc sanè mirandum; videretúrne vobis extraneum, si dicerem in mari ne unam quidem guttulam esse non amaram? certè non, qui enim dicit mare, dicit amaritudinem, in hac autem nulla dulcedo esse potest. Quid creditis esse vitam humanam? non aliud quàm mare amarum, cujus littus mors, cujus portus vita æterna, cujus scopuli sunt tentationes; dies, guttæ majores; momenta, guttæ minores; quid mirum ergò si omnes sint amaræ? Non mea hæc inventio, sed Sapientis dicentis: *Numerus dierum hominum, ut multum centum anni, quasi guttæ aquæ maris, deputati sunt*: quantumvis longa sit vita nostra, licet centum annis duraret, non tamen alium diem, vel aliud momentum haberet, quàm instar aquæ marinæ salsum, & amarum: ut de Antiocho rege dicebatur; *per singula momenta doloribus augmenta capientibus.*

Eccli. 18. 8.

2. Mach. 9. 11.

Timor & dolor continuò vexant hominem.

15. Licet quoque omnis alia afflictio in homine cessaret, non tamen ab omni timore, & dolore liber esse posset: ab illo si prosperè agas, ab hoc si infeliciter. *Duo sunt tortores animæ*, inquit S. August. *non simul torquentes, sed cruciatus alternantes, timor & dolor; quando tibi bene est, times, quando malè, doles.* Igitur juxta S. Augustinum nemo ab his duobus malis non affligi potest, quæ instar sagacis veltri persequuntur, & dilacerant corda nostra. Ulteriùs tamen procedere auderem, & dicere quod sæpius, (& si dicerem semper non mentirer,) hi duo mallei percutiunt cor nostrum. Hoc de seipso regius Propheta testatur dicens; *circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me; timor & tremor venerunt super me.* Salvator quoque, qui nostras venerat suscipere infirmitates, in horto Gethsemani; *cœpit pavere & mœstus esse*; ita ordinariè evenire solet, ut doleamus de præsenti, & timeamus futura; vel doleamus de bono absenti; & timeamus perdere præsens. Nec idcircò malè dixit S. Augustinus, quia vel dixit non continuò hominem affligi ab his duobus malis, vel hoc non esse respectu ejusdem objecti; de quo siquidem dolemus præsente, non timemus, ut absens expectandum: sed respectu diversorum non credo ipsum negaturum. Si unum ergò ex his malis sufficienter affligit cor humanum, quid facient ambo simul?

S. August. serm. 42.

Ps. 17. 5.

Probatur Scripturis.

Marci 14. 33.

Homo undique constringitur.

16. Numquam observastis, quomodo mulieres post lotionem linteaminum ut tota aqua defluat, & exsiccetur, illa stringant? Una ex una, & altera ex altera parte ita stringit, & involvit,

volvit, ut aqua necessariò defluat non remanente unâ guttulâ. Tali modo (quidam ingeniosus dicebat) advocati procedunt; licet quippè, unus ex una parte, & alius ex alia stringat, unus defendat, & alter accuset, in eo tamen conveniunt, ut clientem suum ita exhauriant, ne ullam pecuniam in bursa retineat. Meliùs tamen dicamus, ita cum corde procedere hos duos tortores, ut illos S. Augustinus nominat, dolor, nempè & timor; ille versus malum præsens, hic versus malum absens torquens; ille versus bonum absens, hic versus bonum præsens: ita ut cor humanum taliter remaneat constrictum, ut nulla in eo aquæ dulcis guttula cōsolationis, inquam, scintilla remaneat: Sed totum amaritudine repleatur.

Timor & dolor stringunt cor. hominis.

17. Clariùs idem probemus, putarésne diem aut horā mortis, esse consolationis & gaudii? minimè, quia omnium terribilium, terribilissimum mors; non vides quoque te omni die ac momento mori? *Quotidiè morimur*, inquit Seneca, *& tunc quidem cùm crescimus, vita decrescit, infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, & quidquid transit temporis, perit, & tunc ipsum diem quem agimus, cum morte dividimus.* Et subtiliùs S. Jeronymus, *Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, de mea vita tollitur, quot puncta notavi, tot meorum sunt damna temporum:* unde S. Augustinus confitebatur se nescire, si vita aut mors dicendum foret hoc tempus, quo in mundo versamur; & si vita mortalis, aut mors vitalis, S. Gregorius potiùs mortem quàm vitam vocandum inquit; *Quid enim aliud est vita præsens, quàm quædam prolixitas mortis?* Nónne recordaris primæ sententiæ datæ contrà primum parentem nostrum Adamum; *In quacumque die comederis, morte morieris?* Non dixit morieris post multum temporis, aut eris mortalis, sed ipso die morieris; quia illo die mori incipies. Notate bene dixisse, *morte morieris*; sed quid? An sine morte quis mori posset? Aut accidere potest mors, absque eo quod moriatur? vel hoc loquendi modo indicare voluit, quòd vivendo mori possimus, dum ad ultimum vitæ terminum semper tendentes, simul vivimus, & morimur? vel ut velocitas mortis indicetur, uti dicitur; *venientes autem venient*; valdè nempè velociter venient? vel horribilitatem ejus indicare volens; uti Salvator maximum suum desiderium exprimere cupiens, dixit, *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*, vel magis proposito nostro congruens,

Vita mors continua.

Seneca c. 24.

S. Hieron. in epist. ad Heliodor.

S. August. tract. 22. in Joan. & 1. Cōfess.

S. Gregor. homil. 37.

Gen. 2. 17.

Quid sibi vult morte morieris?

Psal. 125. 6

Lucæ 22. 15.

morte morieris, in singulari dicitur; videlicet illo die unâ morte morieris, & die sequenti aliam expectabis, & quot dies vitæ habueris, tot mortibus morieris; computando siquidem per dies vitam nostram, uno die finito, tantum vitæ perit. Vel etiam *morte morieris*, non metaphoricè, aut per imaginationem, sed realiter, & indubitatè; cùm mors semper sit præsens, & ipsa sit futura carnifex, quæ sententiam exequetur.

Quotidie morimur.

18. Dices verum esse quotidie nos mori, sed non sentimus ictum mortis, nisi dum ad terminum vitæ appropinquamus; sicuti dum quis ex alto ruit, licet semper cadat, non tamen sentit ictum aut percussionem quâ moritur, nisi dum terram tangit. Quin imò dico ego contrarium evenit, major siquidem sentitur dolor, in principio, & medio, quàm in fine mortis. Dum quis condemnatus est, ut secetur medius, quis nescit majus illum sentire tormentum in principio secationis, quàm dum serra ad partes vitales deventa, illi vitam tolleret? In principio quippè caro magis sensitiva, & spiritibus vitalibus abundans, ideoque magis percipit dolorem præsentem; animus quoque ab expectatione ulteriori magis affligitur; in fine verò caro mortificata, sensus obtusi, animus debilis & languens est, ita ut parum ampliùs sentire possit. Taliter nobis evenire dicendum est, vix nati mors secare incipit, quot habes ætatis annos, tot vitæ tuæ mors secavit.

Diu vivere continuum supplicium.

19. Non ergo credendum dolorem in ultimo solùm sentiri, tunc siquidem minor est, quàm præcedens; unde bene dixit S. Augustinus diu vivere nil aliud esse, quàm tormentum prolongatum: *Quid est diu vivere, nisi diu torqueri?* & Seneca; *Altiùs veritatem intuentibus, omnis vita supplicium est.* Veluti dum quis te interrogat, si umquam gustasti fructum extraneum, ut demonstres te longè ab illo abfuisse, dicere soles, ne quidem te vidisse aut nomine percepisse. Sic dies vitæ nostræ tam longè à fruitione boni absunt, ut ne quidem viderint illud; ita testatur S. Job dicens; *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, & non viderunt bona.* Unde meritò dixit Seneca, si prævideret homo hujus vitæ miserias, non vellet nasci; *Nihil est*, inquit, *tam fallax, quàm vita humana, nihil tam insidiosum; non me Hercule quisquam accepisset, nisi daretur inscijs.* Unde Infantes se in mundum prodiisse conspicientes, statim lacrymari incipiunt; dolentes suum infortunium. Ut aliqua ergo illis consolatio adferatur, promittitur eos citò morituros.

S. August. serm. 27. de verbis Domini.

Seneca in consolat. ad Polic. cap. 28.

Job 9. 25.

Seneca in consolat. ad Marciam c. 22.

Nascimur ad miserias.

moritūros. Ad hunc finem mos ille antiquus fuit, infantes primò natos, in terram collocare; ut verba Salomonis indicant: *Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram*: quasi dicerent, consolare infans ex materno ventre in hoc exilium præsentis vitæ exiens, non diu moraberis, sed citò mors adveniens, te terræ reddet, atque efficiet ut meliùs in ventre terræ, quæ communis mater est, quàm in particulari ventre requiescas. Ad eumdem finem notat Tertullianus infantem vix natum lineis cingi pannis, sicut dum sepulturæ traditur; *Ingreditur*, inquit, *infans pannis, velut sepulturæ involucris initiatus*. Ingreditur mundum, & subitò pannis sepulturæ involvitur, & consecratur mortalis. Quibus verbis pulcherrimâ metaphorâ declarat Tertullianus; velut si quis vestes sacras ponit, ostendit se Deo consecratum, seque disponere ut ad altare vadat; sic infanté pannis lineis involvendo, demonstratur morti destinatus, & citò ut ad securum templum, intrà sepulturam se recipere debere.

Sapient. 7. 3.

Tertul. lib. 4. contra Marcion. cap. 21.

Hæc misera vita non ita amanda.

20. Si adeò ergo misera hæc nostra vita, quare illam non despicimus? quare illam ita amamus, ut sæpiùs propter illam Deum offendamus? qualiter nos excusabimus, dum ne perdamus momentaneas falsasque lætitias, æternis paradisi bonis nos privamus? Meretrix est, inquit Chrysostomus, hæc nostra vita, quæ vanâ deceptione, fictisque ornamentis, universos in sui amorem allicere quærit. Meretrix tamen est fœdissima, & sordidissima, cujus facies deformis, horridus aspectus, amara, & crudelis, ideoque veniâ indigni, qui se ab illa decipi permittunt, *Sine venia*, inquit, *habendi sunt, quos decipit, quòd cùm tam turpis sit vultus ejus & fœdus, & tam barbarus ac truculentus, multi tamen ab ea capiuntur*. Discamus ergò nil æstimare ejus amorem, ne ejus fallaciis nos decipi permittamus, & super omnia, non perdere æternam vitam, pro hac miserabili & momentanea vita.

Chrysost. homil. 9.

SECVNDA PARS.

21. MAxima reperitur differentia, inter oratorem, & Philosophum, inter advocatum & judicem; Orator discursus suos quantum potest amplificat, & subjectum propositum quantum potest extollens, omni diligentiâ partem adversam supprimit. Philosophus verò veritatem respiciens, non proprium interesse quærit, nec unam partem nimis supprimit, nec aliam nimiùm extollit. Pariter advocatus ad

Differentia inter Oratorem Philosophum, Iudicem, & Advocatum.

 aliud

aliud non respicit, quàm ut litem vincat, omne quod clienti suo prodesse possit adducens, & adversarii causam maximè deprimés. Judex verò se medium constituens sentētiam profert, juxtà meritum vel demeritum cuiusque partis; cavens ne se partialem constituat. In his ergò discursibus quos vobis exhibeo, nollem credatis, me patrocinium tribulationi exhibiturum, ut dicatis me omnia sive justè, sive iniustè, in favorem eius allaturum, sive vera sint, sive falsa; sed cupio judicis personam sustinere, & quantum possibile erit, justè judicare; contra quemcūque procedam, non ut Orator, sed ut Philosophus discurram, ac dubia proposita solvam. Quid ergo in hoc discursu de continua tribulatione dicendum? ut advocatus dicerem totam humanam vitam in tribulatione esse, nec dari vllum consolationis momentum. &c.

Quid in hoc discursu dicendum?

Alia est tribulatio habitualis, alia actualis.

22. Ut verò personā judicis juxta promissa sustineam, placet distinguere, & dicere tribulationem duobus modis considerari posse, in habitu, & in actu; tribulatio habitualis dicitur, quæ jam domestica est, & solita sustineri, vnde non tantum adfert fastidium; tribulatio actualis est quæ jam advenit, v. g. eras dives, advenit tibi infortunium, perdis litem, incendio consumitur quantum possidebas; hæc tribulatio actualis transfigit cor; modò verò multos annos in paupertate transegisti hæc est habitualis. Moritur matri amantissimus filius ex toto corde dilectus, hæc est tribulatio actualis; prætereunt multi anni, & semper eodem filio privatam se sentit; hæc est tribulatio habitualis; cùm hac distinctione resolutionem propositæ disputationis facillimè judicabo.

Nulla dies vel momentum à tribulatione habituali exemptum.

23. Si de tribulatione habituali loquamur, nulla est dies, nec momentum vitæ humanæ, ab illa exemptum; nullus siquidem homo inveniri potest, cui aliquid nō desit, vel obsit, quem aliqua afflictio non cruciat, vel aliquod desiderium non exagitat. Si de tribulatione actuali loquamur, non erit impossibile aliquem diem sine illâ transire, licet illud difficillimum sit; cùm in tot rebus quæ homini accidunt, in una die, quis non occasionem contristandi reperiet? *Licet persecutio non adsit*, inquit, S. Chrysostomus, *adsunt aliæ tribulationes per singulos dies nobis irruentes.* Hac distinctione conciliari possent opiniones discrepantes suprà relatæ, nec foret necessarium argumenta solvere; cùm tamen tribulationi faveamus, & argumenta contra eam plus probare videantur, quàm nos decidimus, congruum

S. Chrysost. hom. 67. ad populum.

gruum erit illis respondere.

24. Quid ergo contra eam objiciebatur? tributationẽ continuò naturæ violentiam inferre, & nullum violẽtum esse perpetuum? bene quidem, ideoque videmus vitam nostram adeò esse brevem, cùm violentijs à tribulatione, & miseriâ allatis, resistere non possit. Quid dicebatur, hominem non posse continuò operari, nec avem continuò volare; cùm S. Job dicat: *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum*? Non videtis quantum hæc auctoritas faveat tribulationi, cùm in primis dicat hominem nasci ad laborẽ, quasi ad nil aliud attendere deberet? An cætera exercitia, & opera desunt, circa quæ se impendere deberet? nónne comedit, nónne dormit, nónne loquitur, nónne discurrit, nónne ridet, nónne progreditur, nónne delectatur in mille aliis rebus, nónne aliis pluribus se occupat, cùm sit Dominus omnium rerum corporearum? Quomodo ergo non dicitur eum natum esse ad aliquid ex istis, sed solummodò ad laborem? fortè ut discamus tantum esse laborem ejus, ut iste in una bilance positus, & alia omnia in alia bilance, non solùm præponderabit omnibus alijs, sed tantũ excedet, ut cætera nihil sint æstimanda, sed absolutè dicendũ, ipsũ ad laborem & tribulationẽ natum esse.

Quomodo homo nascitur ad laborem?

Iob 5. 7.

25. Vel etiam dicendum ipsum ad operandum natum esse, ut intelligamus proprium eius exercitium esse operari; reliqua verò omnia, accidentaria esse & adiuncta, ut opera supererogationis. Eo modo quo dicitur adolescentem ad universitatem tendere ut studeat, & doctor evadat; sed numquid etiam ut dormiat, comedat, ambulet & cætera necessaria peragat? verum quidem est, sed hæc exercitia non sunt illi propria, nec propter illa ad universitatem vadit, sed accidentalia sunt, & minùs necessaria. Vel dicamus hominem nasci ad laborem, & tribulationem; quia licet se cuilibet alii rei applicet, non desinit tamen laborare, nihil enim est sine labore aut tribulatione, nam tribulatio est quasi ens transcendens, quod reperitur in omnibus rebus; quasi diceret hominem nasci ad omnia quæ ipsi offerri possent, sic dicere sufficiebat hominem nasci ad laborem, & tribulationem.

Proprium hominis exercitium labor est.

26. Vel dicere possumus, quòd sicut qui ex Jtalia discedit, ut vadat Jerosolymam, licet multas pertrãseat civitates, non tamen ad alium locũ ire dicitur quàm Jerosolymam, quia cuncta alia loca sunt media, & viæ eò perveniẽdi; pariter cùm aliæ res omnes sint media & viæ ad tribulationem & laborem, & hic sit finis omniũ, non dicitur

Cætera omnia ad laborem ordinata.

ad

ad aliud nasci, quàm ad laborem. Vel è contrà dicamus tribulationem & laborẽ esse medium, & viam ad alia omnia, nec ad aliquid sine labore pervenire nos posse. Licet ergo homo se applicet multis rebus, meritò dicitur natus ad laborem, quia primò laborem suscipere debet ut alia adipiscatur: sicuti si quis alicui pecuniam tribuat, dicitur illum providere de omnibus, & subvenire eius necessitati, pecuniâ quippè cuncta obtinere potest.

27. Ad aliam quoque partem in eadem sententia, ubi labor comparatur volatui avis, respondeo; verbum hebraicum hoc loco esse *Reseph*, quod à multis interpretatur ignis, aut filii ignis, unde Sãtes Pagninus, Vatablus, & Biblia regia, traduxerunt; *Et filii ignis ad volandum*. Sed quínam sunt filii ignis? Respondent auctores graves, per filios ignis intelligi scintillas de igne prodeuntes; sed hæ quomodo volãt? Eo modo quô pater earum ignis; quomodo volat ignis? non instar avis quę modò volat, modò quiescit, modò in altum se elevat, modò ad ima propriâ gravitate defertur, ideoque sine labore, sed volat sine requie, semper directè in altum tendens, sine temperie alterius motus; si autẽ volare desinit, pariter desinit esse. Labor ergo hominis huic volatui assimulabitur, numquam interruptus, numquam aliquâ consolatione admixtus. nec priùs laborare desinet, quàm vivere.

Homo in continuo labore est.

28. Sed non discedendo à textu vulgari, similis est labor hominis volatui avis, benè quidem; ergo requiem habere debebit; verum est, sed scis quando hæc futura sit? an interim dum vivit? non, sed post mortem; nõ supra terram sed sub ea. Sic S. Joanni de cælis revelatum; *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, quare? *à modò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis*. Dum ergo in hac vita sumus, in continuo versamur labore & volatu. Clariùs Sapiens, eadem vtens similitudine avis volantis, vitamque hominis ei approprians inquit: *Transierunt illa, tamquam avis quæ transvolat in aëre*, vita ergo hominis non volucri, sed volatui ejus assimulatur; ideoque quantò est impossibile ut avis volando firma maneat, tantò est impossibile ut homo dum vivit quiescat, & sit absque tribulatione & labore.

Hic nulla homini quies.

Apoc. 14. 13.

Sapient. 5. 11.

29. Quid objiciebatur, Deum multas servis suis tribuere consolationes? verum est, sed scitis quomodo Deus hoc præstet? ut bonus paterfamilias, qui bonum tribuit vinum filijs suis, sed ne illis noceat, aquâ miscet; sic quoque Deus, optimũ consolationis vinum suis donat, sed aquâ tribulationis

Consolationes tribulatione commixtæ sunt.

bulationis mixtum. Præstantissimum illud vinum S. Paulus bibens, illum ad tertium vsque cælum elevavit; ne tamen capiti noceret, aquâ tentationis mixtum fuit: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus satanæ:* ideoque Sapiens rectè ait: *Risus dolore miscebitur*; *risus* ecce vinū, *dolore*, ecce aqua, quæ miscetur.

2. Corint. 12.7.

Proverb. 14. 13.

An melius sit vinum vel aquam scypho imponere?

30. Ad hoc propositum, notate, quæso, medicorum subtilitatem, qui non contenti docere vinum aquâ miscendum; quærunt insuper quid sit melius, primò aquam scypho imponere, posteà vinum, vel primò vinum, posteà aquam; & variæ hac de re inter illos sūt opiniones, non necesse hîc examinandę. Mea autem opinio circa hęc est; nullam inter hæc esse differentiam; nisi qui aquam primò ponit, certus est non se bibere purum vinū; qui primò vinum posteà aquam, scit se non bibiturum aquam puram, licet enim verteretur mēsa, aut vasa rumperentur, vinum jam est in vitro mixtum, & aliud nil desideratur, quàm ori apponere. Deus ut modò diximus, vinum aquâ mixtum porrigit, sed quid primò ponit? ut certò scires te non bibiturum purum vinum, primò aquam ponit, tribulationem nempè; posteà consolationem. Hoc in plurimis sacræ Scripturæ locis observari potest; *Ad vesperam demorabitur fletus*, dicebat David; ecce aqua tribulationis; *Et ad matutinum lætitia*; ecce vinum consolationis desuper infusum. *Dominus mortificat*; ecce aqua, *& vivificat*; ecce vinum: *pauperem facit*; ecce aquā, *& ditat*, ecce vinum: *Dominus vulnerat*, ecce aquam, *& medetur*, ecce vinum. Clariùs eadem metaphorâ nobis exhibet S. Tobias, dicens: *post lacrymationem*; ecce aquam, *exultationem infundis*; ecce vinum desuper infusum.

Deus primò tribulationem, posteà consolationem tribuit.

Psal. 24.6.

1. Reg. 2. 6.

Iob 5. 18.

Tobiæ 3. 22.

31. Quid amplius ad hanc probationem desiderari potest; à principio creationis mundi id observatum fuit; Moyses siquidem mundi creationem enarrans licet naturalis rerum cursus exigeret, ut matutinū tempus vespertinum præcederet; priùs tamen mentio fit vespertini, quàm matutini; sic enim dicit: *factum est vespere, & mane dies unus*: & primò tenebras quàm lucem describit; *tenebræ erant super faciem abyssi*, posteà verò dixit Deus: *fiat lux*: ut sciremus non solùm diem vllum in hoc mundo adeò clarum reperiri, quin tenebris aliquo modo permixtus sit, sed tenebras quoque ante lucem esse, tenebras nempè tribulationis, ante lucē consolationis. Si dicas mūdum primò vinum porrigere, respondeo postmodum tantum aquæ plus infundere: juxta dictum

Cur Moyses primò tenebras quàm lucem descripsit.

Genes. 1. 5.

Ibid.

Isaiæ 1. 22. Isaiæ: *vinum tuum mixtum est aquâ.*

Dies una futuræ vitæ melior, quàm omnes hujus vitæ. 32. Quid objiciebatur, consolationem unius diei æquari tribulationi multorũ dierum? Verum est, sed de die illo festivo intelligendum, quem in felici & æterna patria celebrabimus, quem respiciendo David dixit: *Melior est dies una in atrijs tuis super millia*; nõ in hoc mundo sed in futuro, in domo Dei, quando nobis dabit calculum candidum, de quo S. Joannes ait: *Dabo ei calculum candidum*, vel dicamus verum esse parvam consolationem prævalere multis tribulationibus; scis autem quare? quia rariora gratiora sunt, magisque in pretio habenda, & consolationum maxima est penuria, tribulationum verò maxima abundantia: quid igitur mirum si minima consolatio præferatur summæ tribulationi? In cælo è contra maxima tribuitur quantitas gloriæ pro minima tribulatione, affirmante S. Paulo: *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*; cùm in superna patria abundantissima sit gloria, & maxima tribulationis penuria, ita ut nullo pretio comparanda sit. vel dicamus hoc privilegium temporis esse quòd res vltimò adveniens, licet exigua, quia præsens est; præpõderet, quantumvis maximo sui contrarii, jam præteriti. Etenim si una dies consolationis deleat multos tribulationis, dicam unam tribulationis horam expungere multos cõsolationis dies: hoc egregiè testatur Sapiens: *Malitia horæ, oblivionem facit luxuriæ magnæ.*

Psal. 83. 11.

Apoc. 2. 17.

2. Corint. 4. 17.

Vna tribulatio maximam consolationem destruit.

Eccl. 11. 29.

33. Quid objiciebatur, Deum in pietate & misericordia abundantiorem? sed maximæ pietatis effectus est tribulatio, dicente Davide: *Deus tu propitius fuisti eis, vlciscens in omnes adinventiones eorum.* Qualiter eis fuit propitius? castigando illorum defectus, & culpas. Quid objiciebatur, securam mentem esse juge convivium? sed ubi hæc secura mens reperienda? totalis securitas in hac vita quasi impossibilis, ideoque nec perfectè convivio frui potest.

Psal. 98. 8.

Pietatis effectus tribulatio.

34. Quid objiciebatur multos gloriatos fuisse se habuisse dies felices? verum est, non quia verè felices fuerunt, sed quia in hac vita tot miserijs & calamitatibus oppressi sumus, ut dies à tribulationibus magnis exempti, videantur felices; uti febri laboranti illi dies dicuntur boni, in quibus non adeò aggravatur; non quia sanus omninò sit, sed quia meliùs se habet quã alijs diebus. Sic illud rectè intellexit S. Bernardus dum ait: *Fatendum est omne quod præsentis vitæ est, occupare miseriam, nisi quod in tribulationibus continuis graviorum, leviores utiq; sunt qualescumq; consola-*

Dies à tribulatione exempti dicuntur felices.

S. Bernard. lib. de gratia & libero arbitrio.

consolationes;& dum fortè pro tempore ac rerum eventibus, vicißim sibi gravia leviaq; succedunt, minorum experientiâ, aliqua videtur miseriæ interpolatio, & si aliquando post experta plura gravißima, in minùs fortè molesta evaditur, felicitas putetur.

Non hìc sed in futuro tempus ridendi.

35. Quid denique objiciebatur, juxta Sapientis sententiam, esse tempus ridendi, & tempus flendi? verum est, sed quódnam credetis esse tempus ridendi, Bacchanalium fortè? vos ipsos decipitis; quale ergo? dicat ipsemet Sapiens, qui matronam prudentem describens, illi tempus ridendi assignat dicens: *Ridebit in die novißimo*; vltimo die vitæ suæ ridebit, in hora mortis; quomodo possibile erit ut inter mortis angustias, inter extremos dolores, inter molestas cogitationes, rationẽ se reddere debere vitæ transactæ, ridere possit? lõgissimè sanè à risu abesse censetur pũctus ille. Tempus tamen vitę adeò plangendũ, ut in comparatione mortis dicatur tempus ridendi: licet quippè aliud non secum adferret bonum, quàm liberationem à tantis miseriis, & hujus vitæ calamitatibus, sufficientissimum esset, & hoc præponderat omnibus malis, quæ mors adferre posset: propter hoc, tempus illud, tẽpus ridendi dici posset: qui autem ridet alio tempore rationem de eo reddere tenebitur. Sara audiens bonum nuntium, se prolem parituram risit, sed à Deo reprehensa fuit; qui verò tempore vitæ suæ plangit, in hora mortis meritò ridere poterit, ut multis sanctis evenit. Stabilitâ ergo nostrâ cõclusione, nullum esse diem à tribulatione habituali liberum, & vix sine actuali: ex hac documenta aliqua nobis utilia juxta consuetudinem sunt eruenda.

Proverb. 31. 25.

Genesis 18. 10.

Pauperes paucioribus tribulationibus quàm divites expositi.

36. Primum ergo documentum ad consolationem pauperum est, ut bono animo sint, illorum statum minoribus tribulationibus, & miseriis expositũ, quàm divitum. Quàm difficilis hæc doctrina non videtur ex præcedentibus elici posse. Sed ecce vobis illam clarissimè exhibebo. Diximus duas esse tribulationes, actualem unam, habitualem alteram; quas providentia divina adeò bene disposuit, ut qui unâ abundet, alterâ non ita affligatur. v. g. Pauper ille tribulatione habituali affligitur, paupertate nempè; sed quid? assuefactus est, non illi tædium parit panis niger, & durus; non lectus incommodus aut malè adornatus; de parvo honore, aut despectione non indignatur, jam enim in consuetudinem duxit. Diviti è contrà omnibus commoditatibus, & delitijs assueto, non deerunt cordis afflictiones, & tribulationes actuales: si cibi gustui suo non

non accommodentur, se excruciat; si quispiam illi non debitum deferat honorem, præ superbia se corrodit; si non assequatur quod prætendit, crepare se sentit.

Actualis tribulatio habituali molestior.

37. De duabus autem his tribulationibus, quæ magis affligit? actualis certè, habitualis quippè cùm longo usu sit quasi domestica reddita, placidè toleratur: unde rectè Seneca in libro de Consolatione ad matrem: *Fleant diutiùs & gemant, quorum delicatas mentes enervavit longa felicitas, & ad levißimarum injuriarum motus collidantur. At quorum omnes anni per calamitatem transierunt, gravißima quæq;, forti, & immobili constantiâ perferant: unum habet infelicitas boni, quòd quos sæpè vexat, novißimè induret.* Miserabilior ergo est status divitum & magnatum, qui parum tribulationis habitualis habentes & multum actualis; propter minimam tribulationem se excruciant, & contristantur; quàm pauperum, qui multum tribulationis habitualis habent, parum verò actualis. Si mihi in hoc nõ credatis, edoceat vos Propheta David, qui unum & alterum statum expertus, de illis rectè sentiens dicebat; *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea; exaltatus autem humiliatus sum, & conturbatus*; expertus sũ, inquit, utrumque statum, sed quomodo te habebas in paupertate? *in laboribus à juventute mea*, oportebat me toto die laborare ne horâ quidem requiei habebam; ecce tribulatio habitualis; dum verò dives esset, quomodo se gerebat? *exaltatus autem humiliatus sum, & conturbatus*; quando ad statum altiorem deveni, reverâ afflictus fui, quod indicat *humiliatus*, nec solùm afflictus, verùm etiam conturbatus; ita ut dum pauper esset afflictione corporali laborabat, dives verò afflictione animi; pauper alacriter suo labore vitam agebat, dives in tribulatione omninò se conturbabat, quia hæc erat tribulatio actualis.

Seneca lib. de consolat. ad matrem cap. 2.

Probatur exemplo Davidis.

Psal. 87. 16.

Tribulationes habituales, ad actuales reducenda.

38. Secundum documẽtum ad consolandum afflictos in tribulatione est; ut quantum fieri possit, tribulationes actuales ad habituales reducãtur, v. g. moritur alicui filius; ô quantum excitat dolorẽ: si efficere possis ut imaginationẽ illam ex animo tuo tollas, & consideres te illum diu perdidisse, aut nunquam habuisse, vix vllum senties dolorem. Habebas viginti millia florenorum, perdis mille, sentis inde magnam afflictionem, reputa te solùm novemdecim millia habuisse, & non senties tantum dolorem. Hoc remedio Aristippus uti nouerat, qui cùm dives esset, & tres villas possideret, accidit illi unam perdere, cumque alius qui nullam perdiderat,

Hoc exemplis & Scripturis probatur.

derat, ſed unam tantùm habebat, illum conſolaretur; admirando dixit: ego potiùs te conſolari deberem, cùm duas alias habeam, & tu tantùm unam, ſi ergo cum duabus vix me ſuſtinere poſſim, quantò pejus tu cum una, ideoque te potiùs conſolari, quàm tu me deberes.

39. In Scriptura ſacra hoc quoque remedium reperire poſſemus? S. Petrus primis Eccleſiæ fidelibus tribulatis & afflictis ſcribens, hanc eis doctrinã dat;

1. Petri 4. 12.

Chariſſimi nolite peregrinari in fervore, quaſi novi aliquid vobis contingat; nolite eſſe peregrini in fervore videlicet tribulationis, quaſi novi quidpiam vobis accideret. Quaſi diceret, non recipiatis illam ut actualem, ſed ut habitualem; non ut extraneam, ſed ut domeſticam; hoc quippe optimum erit remedium patienter ſufferendi.

Iob hoc modo ſe conſolabatur.

40. Hæc documenta tribulationes faciliter tolerandas, ad praxim reduxit patientiſſimus Job; qui arte & fraude diabolicâ omnibus divitiis & bonis ſpoliatus, & ex potentiſſimo principe ad extremam neceſſitatem redactus; ſe conſolabatur dicens: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*:

Job 1. 21.

quibus verbis non videtis illum conſiderare paupertatem ſuam ut habitualẽ, & diu toleratam, non autem ut actualem & jam acquiſitam? Quid verò mirum nudum illum natum fuiſſe, & nudum ſepeliendũ? nudus ſum, inquit, & talis qualis me genuit mater, de quo dolere poſſum. Tali modo ergo unuſquiſque ſe cõſolari poterit, qui diuitias, filios aut alia amittit bona. Hoc quidem remedium in amiſſione bonorum applicari poterit, ſed in infirmitate, cœcitate, perſecutione, aliiſque ſimilibus, quæ in nativitate non recepimus, hoc remedio qualiter uti poterimus? cogitando nos radicem horum malorum ex ventre matris contuliſſe: verum eſt te infirmum non fuiſſe natum, ſed infirmitati ſubjectum; ſicque cùm homo fieres univerſis quæ homini accidere poſſent ſubjectum fuiſſe. Ita Seneca in afflictione ſe conſolabatur: *Homo ſum, nihil humani à me alienum puto*: quaſi diceret: homo ſum magnes omnium miſeriarum; cur ergo aliquam à me alienam putabo, & non omnes potiùs ut domeſticas recipiã? Quod idem S. Job ſe conſolando dicebat;

Quomodo hoc remedio in aliis miſeriis vtendum?

Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis: & S. Paulus: *Nemo moveatur in tribulationibus iſtis, ipſi enim ſcitis, quòd in hoc poſiti ſumus*; quaſi diceret, nolite admirari, nolite indignari, aut conturbari propter tribulationes; ad hunc quippe finem in mundum venimus.

Iob 14. 1.

1. ad Theſſal. 3. 3.

41. Alio modo tribulatis & afflictis animum addere poſſemus;

Majores tribulationes expectandæ.

ut assuescamus. mus; eo nimirum quô Cæsar milites suos excitare solebat. Generosus hic dux, non more plurimorum vires inimicorum parvipendere, sed magis extollere solebat; quadam ergo vice intelligens adventum Regis Juba animis militum terrorem incutere, convocatis omnibus, dixit se certò scire Regem Juba ad illos venire cum centū millibus equitum, trecētis elephantis, & maximo peditum numero; atque ita solebat animos militum accendere, ut majora expectarent pericula, ne inopinatè à tali exercitu adorsi, deficerēt, & postmodum minorem reperientes numerum, illum despicerent. Pari modo se miles Christi armare deberet, nō parvipendendo tribulationes, sed potiùs extollendo, ut hac virtute animus accresceret, ad majora sufferenda. Nónne recordamini S. Sixtum ita S. Laurentium allocutum; *Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus, te autem quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus?* expecta, videlicet, graviora pati tormēta, quàm me pati vides, ideóque præpara animam tuam ad pugnam, & triumphum.

Tribulatio prævisa minùs nocet. 42. Nónne videtis eodem modo Salvatorem suis animum addere? nōne auditis quot persecutiones illis prædicit? *Trademini autem à parentibus, & amicis, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*: & alibi; *Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum* Quod totum prædixit, quia sciebat multū prodesse patientiæ, ante se disponere ad majora patiendum; si enim talia sunt, qualia prævidisti, non inexpectatè supervenient; si minora, jam animus qui majora timebat, minora videns facillimè illa superat; si autem majora quàm expectaverat superveniant, jam animus debilior vix illis resistere posset. Sic rectè hoc Seneca in consolatione ad matrem explicat: *Illis gravis ipsa fortuna est, quibus est repentina, facilè eam sustinere potest, qui semper expectat: nam & hostium adventus eos prosternit, quos inopinatè occupavit; at qui futuro se bello, ante bellum paraverunt, compositi, & aptati, primum, qui tumultuosissimus est, ictum facilè excipiunt.* Ad hunc igitur finem, dicā ego quoque, Auditores. Credite certò, vitam humanam aliud non esse quàm tribulationem continuam, nullum esse diem, nullam horam, nullum momētum quietis, continuò pugnandum; expectate igitur tribulationes gravissimas, & erectis animis eas alacriter sufferre nitimini, sicque fiet ut eas minimè sentiatis.

Lucæ 21. 16.

Matth. 10. 16.

Seneca in consolat. ad matrem cap. 5.

Continuus ad Deum recursus optimum tribulatis. 43. Optimum tamen documentum tribulationem patienter ferenti erit, ut cùm nulla dies, nec hora à tribulatione sit exempta, recurramus continuò ad

ad divinam majeſtatem, quæ ſola nos liberare poteſt, ab omnibus his malis. Sic de S. Propheta Job dicitur, non tantùm ſemel in anno, aut in menſe, ſed omni die ſacrificaſſe; *ſic faciebat Iob cunctis diebus*, ſciebat enim ſe omni die ope divinâ indigere; nec ſolùm omni die, verùm etiam omni momento; ſic docet Salvator ſemper orandum, *oportet ſemper orare*, quia, continuô ejus auxiliô opus habemus. Cur, quæſo, creditis Deum voluiſſe nos continuis tribulationibus opprimi, niſi ut continuò ad eum recurramus?

Iob 1. 5.

Lucæ 18. 1.

Tribulatio ad Deum nos incitat.

44. Proverbium Jtalicũ eſt, & nobis quandoque notum, qui ſolvit ante finem operis non bene recipit opus factum, quia ordinariè operarii pro mercede inſerviunt, quâ obtentâ nil ampliùs curant. Tales nos omnes ſumus, teſte S. Job: *Sicut mercenarii dies ejus*. Mercenarii ſumus, & pro mercede quotidie laboramus; ſi ergo Deus unicâ vice ab omnibus malis nos liberaret, non ampliùs eius recordaremur; non ampliùs eius ſervitio intenderemus; ſcit quippe malam & inveteratam noſtram conſuetudinem; relinquit nos eius ope indigere, ut numquam tribulatio, & afflictio deſit, & continuò ad eum recurrere facit. Nũquam ergo deficiat dies, quô ad illum ex toto corde non recurramus: à ſomno excitati, prima noſtra cogitatio ad eum dirigatur, hac per diem ſæpiùs occupemur, non priùs quieti corpus cedamus, nec aliquod opus incipiamus, quin eius opem imploremus. Particulariter autem dum tribulatione quadã pungimur, ſciamus hoc incitamentum eſſe ad eum recurrendi, à quo omne bonum in hac & futura vita nobis expectandum. Amen.

Iob 7. 1.

DISCVR-

DISCVRSVS QVINTVS

In quo præsens vita statui animarum in purgatorio existentium comparatur; ad quarum subsidium cuncti fideles excitantur.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

AN, & quomodo mors vitâ melior; inquirit 4. primis numeris.

Animas purgatorii peccare non posse contra Lutherũ probat. nu. 5. 6. 7.

Primum animarum privilegium nec gratiam perdere, nec hujus vitæ periculis subjici posse prout nos; declarat. à num. 8. vsque ad 13.

Secundum animarum privilegium, se certas esse de gratia diuina, de qua nos incerti. à num. 14. vsque ad 22.

Tertium animarum privilegium, illas semper gratiæ recipiendæ bene esse dispositas, nos verò non ita. à num. 23. vsque ad 28.

Primum earum incommodum eas extra statum merendi esse, nos verò in statu merendi. à num. 29. vsque ad 32.

Secundum illarum damnum est, illas in pœnis perpetuis esse; nos verò liberos. num. 33. 34. 35. 36.

Tertium illarum damnum est, non posse se adjuvare uti nos possumus. num. 37.

Duo documenta, quomodo nobis ipsis, & animabus prodesse possimus, adfert. à num. 38. vsque ad finem.

An vita vel mors magis æstimanda.

1. NTIQVA contentio nec vmquam sufficienter determinata, est inter vitã & mortem; inquirens quæ earum dignior, aut potiùs ab hominibus desideranda; vel ut meliùs dicamus, quæ minori miseriâ aut tribulatione abundet, & consequenter minùs abhorrenda, & fugienda? Quam contentionem, & litem cùm de miseriis, & calamitatibus hujus vitæ sermonem instituamus, modò magis quàm vmquam renouandam, & ardenter resumendam arbitror. Ante sapiẽtissimos igitur judices videntur se hodie exhibere hæ duæ potẽtissimæ Reginæ, vita nempè & mors, ut unaquæque pertinaciter causam suam defendat. Per fulgentem igitur Orientis portam vita intrans; ex adverso de obscura Occidentis janua mors progredie-

Qualiter utraque processit. grediebatur illa sumptuosissimè vestita, vivida & alacris; hæc non tantùm vestibus, sed pelle & carnibus nudata, nisi aliquibus in partibus vermibus cooperta; illa floribus ornata, iuvenibus vasa plena dulcissimis liquoribus portantibus comitata, & à pulcherrimis filiabus illã circumdantibus sustentata, & servita, ab innumerisque gentibus associata venit. Hæc verò acutâ falce in dextra, & catenâ ferreâ in sinistra, quâ nobiles, plebeos, servos, & dominos, magnos & parvos vi protrahebat, sola procedebat: nec quisquam illam voluntariè sequi videbatur; nisi fortè mendicus, infirmus, vel à fortunæ rota totaliter confractus.

Vita se morte digniorem probat. 2. Ingressæ ergo hæ duæ prępotentes dominæ, seque ante tribunal judicum, sistentes; vita quæ potior videbatur, hoc modo rationes suas proponere incœpit. Numquam credidissem, potentissimi judices, ad tantam me devenire posse miseriam, ut quispiam in dubium vocaret, si ego melior, aut pejor morte fuissem: nec vnquã credidissem mortem tantâ præualuisse audaciâ, ut ante iustissimum vestrum tribunal, mecum contendere, & palmam prætẽdere ausa fuisset. Quis enim me hercule, non obstupescet, dum omnia bona, omnes divitiæ, omnes honores, & dignitates, omnes denique voluptates, & humanæ vitæ oblectamenta mihi primum cedunt locum; mors sola ne in minimo quidẽ uni ex his comparanda, mecum cõtendere audeat? illa, quâ nihil pejus; mecum, quâ nihil melius in mũdo? illa, quæ solo nomine omnes perterret, mecum cujus solum nomen omnes recreat, & vivificat? illa, quam ut omnes effugere possent, tribuerent universa quæ habent; mecum, quam ne perdant, omnia potiùs exponũt bona? illa, quæ omnium miseriarum epilogus, mecum, quæ fundamentum sum & compendium totius felicitatis? ô audacia, ô admiranda, & inaudita præsumptio. Quòd si illa se non cognoscat, ex occasione saltem, & effectibus quibus nihil miserabilius, & infelicius, addiscere deberet, qualis esset. Prima mortis occasio est peccatum, quô nihil fœdius, nihil horribilius, *per peccatum mors*; secunda, diabolus, quô nullum monstrum terribilius, *invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum*; & tertia, mulier, quâ nihil crudelius, *per mulierem omnes morimur*. Recordor me legisse de Domitio patre Neronis, quòd cùm accepisset lætum nuntium felicis nativitatis filii, respondisse; à me, & Agrippa uxore mea, quid boni nasci potest? multò meliùs hîc dicam, ex narratione infelicium occasionum, quis effectus bonus

Mors pessima ex effectibus probatur.

Ad Rom. 5. 12.

Sap. 2, 24.

prodire posset? non alius certè quàm mors ipsa, deformis ut peccatum, horribilis ut diabolus, & non minùs ipsâ muliere crudelis. Hæc tamen mecũ contendere audet? veritatem confiteor, ô judices, non tam me consolari favorabilem vestram sententiam; de qua obtinenda adeò secura sum, sicut sum certa, non vobis placere ad mortem condemnari; quantum me affligit, quod dici possit, mortem mecum contendere ausam fuisse. Hisque dictis, vita dicendi finem fecit.

Mors rationes suas contra vitam adfert.

3. Ad quam ferâ, & horribili formâ mors cõversa, sic respondit: cum qua credis te sermonem habere ô vita? cum pavidis fortè juvenibus, quos allicis, & decipis, falsis tuis delitijs? Aut cum simplicibus infãtulis, quos deformi imagine, quam de me finxerunt adversarii, deterres? si cum his tibi agendum esset, jam omninò causæ cedendum foret: nam falsâ apparentiâ tuarum exornatarum rationum, devicti remanerent. Sed ante sapientissimos hos judices qui non iuxta externam apparentiã, aut vulgi opinionem, sed iuxta veritatem ipsam sententiam ferunt, tuæ rationes, & deceptiones non prævalebunt. Et certè quis nescit, sapiẽtissimi Domini, quàm fallax, & vana sit hæc vita? Quis nescit illam (cùm plena sit miserijs, & calamitatibus) se nihilominùs dulcissimam & suavissimam effingere? si ego quid mali habeam, apertè demonstro, nec quemquam in eo decipio: unde ex ijs qui me experti sunt, nullus reperitur qui doluit. Sed illam quis nescit ut Sirenem esse, quæ suavi voce & dulci cantu, incautos transeuntes decipiens miserrimo naufragio perire cogit? ut labyrinthus est, qui floridus, ac omotus hortus illam extrinsecè intuentibus apparens, intrinsecè mille ambagibus, & hominibus horribili ferę in cibum condemnatis plenus. Ut pratũ primo vere floridum, omnibus herbarum florumque speciebus ornatum, sub ijs tamen venenosi serpentes absconditi. Sed quid, inquis, ex mea occasione, posse arguere infelicitatem meam? quasi nescires, motum ex natura sua, nõ à principio, sed fine speciem sumere. Originem meam & principium fateor mala fuisse, sed finis melior esse potest. Originẽ ex diabolo sumpsi, cõcedamus; sed finẽ recepi in ipso Deo in cruce mortuo. Principium ex peccato duxi, contrà hoc tamen nullum efficacius remedium, quàm memoria mea; mulier nativitati meæ cooperata est, sed finem cunctis miseriis humanis impono. Quid amplius dicendum? Si ego & memoria mea deficeret, quid aliud vita humana esset, quàm omnium flagitiorum sentina; miseriarum epilogus,

Vita fallax & vana.

Memoria mortis utilissima.

epilogus, & infernus supra terram? Non solùm ergo justitiam, sed gratitudinem quoque illa offendit, dum mihi in hac contentione palmam cedere renuit.

Mors alia bona, alia mala.

4. His dictis tacuit mors, & judicum sentētiam præstolabatur; sed quid illi dixerunt? non uno solo decreto respondendū, sed distinguendum fore censuerunt: Varia nimirùm esse mortis genera, & de unoquoque particularem esse sententiā ferendam. Primò dixerunt mortem quādam esse ad cœlos conducentem, & hæc absque dubio melior est omni vitâ mortali; aliā verò homines in infernum præcipitare, & hæc omni vitâ miserabilior; aliam denique animas ad purgatorium deducere, & hæc qualitatem à termino recipiens, partim melior, partim pejor vitâ dici potest. Cùm ergo prima, & secūda sententia certissima sit, & clara; firmemus nos in tertia, & consideremus prærogativas & privilegia, quæ status animarum in purgatorio, vltra statum vitæ; & quæ status vitæ nostræ, vltra statum animarum in purgatorio habeat.

Quæ privilegia animarum in purgatorio?

5. Incipientes igitur à privilegiis animarum in purgatorio purgantium; Primum ac præcipuum est privilegium, quòd ubi nos quotidie mille peccandi periculis expositi sumus, & de facto peccamus: illæ felices & benedictæ animæ nec peccant, nec umquam peccare possunt. Hæc conclusio in fide nostra, adeò certa est, ut sine nota perfidiæ negari non possit: qualem meritus est Lutherus, qui serpentinam suam linguam contra has animas quoque vibrans dixit illas continuò peccare: simul Dei stoliditatem carpens, qui tale lavacrum instituisset, in quo, pro eo quòd culpæ mundarentur, semper novæ contrahebantur; Postmodū verò errorem suum cognoscens, ut illum corrigeret, in graviorem incidit, purgatorium esse negans. Relinquendo tamen secundum errorem, quis non videt quàm stolidè in primum prolapsus fuerit? numquid Sapiens de homine sub metaphora arboris loquens dicit: *Si ceciderit lignū, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, vbicumq; ceciderit ibi erit?* In quamcumque videlicet partem hæc rationalis arbor ceciderit, ibi manebit, nec inde umquam movebitur: si ad Austrum divinæ gratiæ, illâ semper fruetur, si ad Aquilonem diabolicæ obstinationis, ex illa numquam resurget. Illas verò animas felices & benedictas in purgatorio; quis nescit annumerari debere inter felices ad Austrum cadentes, dum ex hac vita in gratia Dei commigrātes, numquam eam perdere poterunt; ac consequenter nullum peccatum committere, hoc enim posito impossibile est gratiam divi-

Primò quòd peccare non possint.

Ecclesiastæ 11. 13.

Refellitur Lutheri error.

divinam permanere?

6. Adjungamus quoque has animas mereri nō posse, ut postea dicemus, ergo nec peccare; quandoquidem iuxta philosophorum doctrinam, subjectum quod unum contrariorum recipere non potest, nec aliud recipere valet. Quid dicam de multis absurdis, & inconvenientijs, quæ inde sequi possent? Posset persona in gratia mortua, ad infernum descēdere, propter peccata in purgatorio commissa; potest quis semper in purgantibus morari flammis, propter peccata quotidie cōmissa, quæ expiatione indigerent; unde nulla esset differentia inter purgatoriū, & infernum. Esset peccatum hoc exemptum ab accusatione ante æternum judicem vivorum & mortuorum; cùm iuxta doctrinam S. Pauli solummodò ratio reddenda sit in illo tribunali, operum in corpore factorum: *ut referat unusquisque prout in corpore gessit, sive bonum sive malum*; peccata autem animarum in purgatorio, certum est extra corpus committi; ergo non adferēda ante tribunal Dei. Ante quod ergo tribunal exhibenda essent? ante fabulosum Rhadamāthi, & Minois? vel remanerent sine judice? sed si non judicarentur, nec punirentur, aut prēmiarentur; scimus tamen certissimè divinam providentiam non permittere, ut opera bona sive mala debitâ mercede, aut punitione priventur.

Absurda quæ ex peccatis animarum sequerentur.

2. Corint. 5. 10.

7. Concludamus ergo animas purgatorii peccare non posse, locus si quidē ille culpis abluēdis, non contrahendis destinatus est; ad curandum vulnera ab inimicis nostris inflicta, non ad denuò pugnandum, & nova recipienda. Area est ubi granum purgatur, non ager ubi seminatur; fornax in quo aurum splendidius redditur, non fodina unde exhauritur. Dum quis v. g. Gubernator alicujus civitatis constituitur; interim dum tempus gubernationis durat, omnia immutare, & constituere potest, prēmiare, castigare, donare prout lubet, nec est qui contradicere audeat; exspirato verò tempore, auctoritas eius deficit, & rationem gestorum reddere tenetur; non eorum quæ post gubernationem egit, sed quæ tempore gubernationis, & donec accusationibus satisfecerit, ad alias dignitates non promovetur. Sic Anima in gubernatione sensuum, & appetituum hominis constituta est; *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*; dum hîc commoratur, agit quæ cupit, complacet sensibus, mortificat appetitum, favet alijs, &c. Sed corpore exuta gubernatio desijt, nullâ pollet ampliùs auctoritate, de nullo disponere potest, quin imò exposita, & obnoxia rationi reddendę, ut recipiat pro

Purgatoriū purgat peccata.

Anima in corpore gubernat, extra non.

Genes. 4. 7.

pro meritis præmium vel punitionem, juxta quod in corpore gessit.

8. Hoc ergo privilegio nos superant animæ in purgatorio, quod peccare non possint, nec gratiam divinã jam acquisitam amittere. An magnum hoc privilegium? est tantum, ut vix explicari queat. Philosophus quidam Stesicorus nomine, interrogatus quæ navis esset securior in mari, triremis vel alia? acutè respondit, illa quæ jam ad terram reducta est; dicere volens navem in mari navigantem mille periculis expositam esse; semper timendum ne à fluctibus absorbeatur; sed cõtinuò in bilance salutis; vel interitus suspẽdi, & duobus tãtùm digitis à morte dividi. Quod si hoc veraciter de omni navi, quæ mare sulcat, dici potest, multò certiùs de iis qui mare navigant, pro latrocinijs, ut piratæ infames, affirmabitur; cùm nõ solùm ab elementis, & cœlo, verùm etiam ab hominibus pericula metuant; & quantò magis illis mare pacificum redditur, tantò plus bella & insidias navigantium timent: ita ut mors continuò illis ob oculos versetur. Talis & multò periculosior, est status vitæ nostræ; vastissimo mari scopulis & monstris pleno expositus; illic scilla & charybdis, aliaque infamia monstra, de quibus dictum; *Hoc mare magnũ, & spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus*: à crudelissimis insuper inimicis agitamur; unde S. Job dixit: *Militia est vita hominis super terram*: continua pugna est vita hominis; Ut sciremus quoque hoc bellum non cum hominibus, sed cũ dæmonibus agendum; septuaginta Interpretes exposuerunt: *tentatio est vita hominis*; Græca autem versio *pirauterium* habet, ut tamquam à crudelissimis inimicis, & piratis, nobis cavendũ esse sciremus; Quomodo ergo in hoc misero statu non continuò timendum? Quomodo non videbimur continuò ab inimicis affligi, ut nos in captivitatem redigant, undis absorbeant, scopulis allidant, vel à mõstris marinis devororari curent. Quomodo non felices has animas reputabimus, quæ ab omnibus his periculis se liberas conspicientes, securè ad portum æternæ salutis quantociùs pervenient?

Primum purgatorii privilegium in gratia esse & à periculis eximi.

Vita nostra plurimis periculis exposita.

Ps. 103. 25.

Job 7. 1.

9. Navigantes à Turcis adorsi magni æstimant, ad terram pervenire posse, navibus quippe exeuntes, securi sunt; licet quoque navis in prædam inimicis cedat, dum personæ salvantur, parum refert. Sic animæ illæ à diabolo in hac vita afflictæ, magni æstimant, se littus mortis attigisse, & de navi corporis exeuntes in portum securum se recepisse. Licet quoque hoc in prædam cedat inimicis,

Animabus de corporibus exeuntibus bonum est virtutes deferre.

micis, dum à vermibus corroditur, nihil refert, quia dictum illud Salvatoris cõsiderant; *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Matth. 10. 28. Verùm quidem est aliquos de navi exeuntes ut piratas effugiãt, & propter festinationem nihil secum portantes, nec pecuniam quandoque habentes, necessariò multa pati pericula, & damna; ut etiam mendicare cogantur. Alii verò astutiores, aut ditiores, secum meliora deferunt, aut à servis deferri curant: unde in terram exeuntes, non solùm à maris periculis sunt liberi, sed nec damna itineris terrestris sentiunt. Non aliter animæ de navi corporis exeuntes, aliquæ divites sunt virtutibus, & meritis, & hæc secum deferentes, vitâ beatâ fruuntur, de quibus dictum; *Beati mortui qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos.* Apoc. 14. 13. Sicut unaquæque cum Stiliphone philosopho dicere possit; *Omnia mea mecum porto.* Aliæ pauperes sunt, utque in patriam redeant, plurima incommoda perpeti debent, & à vivis suffragia mendicare, dicentes: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei.* Iob 19. 21. Propter hoc tamen in vitam redire nollent; sed potiùs famem, sitim, frigus, & calorem pati, quàm in periculo æternæ damnationis versari, omnem pœnam, & tormentum nihil reputantes pro securitate æternæ salutis.

Plurima damna sine virtutibus patiuntur.

10. Nulli dubium est, commodius esse in civitate, & propriis domibus cõmorari, quàm in aperto campo sub papilionibus, & tentorijs; nihilominùs cùm terræ motus exagitat, & concutit terram, libenter civitates, ac domus propriæ relinquũtur, & in aperto campo habitationes figuntur. Sic Trajanus Imperator Antiochiæ degens, cùm terræ motus non solùm terram concuteret, sed & domus everteret; festinanter civitatem deserens in apertum secessit campum. Non aliter animæ nostræ habitatio commoda apparet hæc magna mundi machina; & in domo proprii corporis, ubi tot commoditates, & voluptates à sensibus subministrantur commorari; sed malum hoc imminet, quòd magnis terræ motibus exposita; *Per tria movetur terra*, inquit Sapiens: Proverb. 30. 21. *Erunt terræ motus magni*, ait Salvator; Lucæ 21. 11. & *movebuntur omnia fundamenta terræ*, dicit Propheta regius. Psal. 81, 5. Per hæc domus corporis facillimè cadit, & cadendo opprimit animam in ea commorantem: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Sapient. 9. 15. Animæ autem purgatorii, hos terræmotus non metuunt, quia extra domos corporum sunt, in aperto campo alterius

Bona est animæ corporis habitatio, sed pericula subsunt.

rius vitæ commorantur, licet cum aliquo damno, & dolore, securæ tamen sunt: *Iustorum animæ*, inquit Sapiens, *in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis*, à Deo cõservatæ, à morte, & terrę motibus securę sunt; *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace*. De his terræ motibus S. Job metuebat, ideoque optabat se ab hac ruinosa domo corporis liberari, rationem autem reddens dicebat: *Nunc enim dormiens silerem, cum regibus, & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines*. Sed quid? in vita numquam dormiebat? nũquam tacebat? vel dormiendo loquebatur? Somnus, & silentium, symbolum sunt pacis, & quietis; & utrumque Job conjungẽs, altissimam quietem, & pacem ab omni rumore alienam indicare volebat. Adjungit insuper, *cum regibus & principibus terræ, qui ædificant sibi solitudines*: in quo alludit ad morem veterem regum, qui extra civitates in locis solitarijs solebant sibi ædificare sepulchra, demonstrando quasi, se à communi hominum habitatione secessisse, ideoque terræ motus non timere.

Sapient. 3. 10.

Animæ purgatorii à periculis liberæ.

Iob 3. 13.

11. Dices non omnes viventes cadere, nec sub gravi põdere corporis opprimi, & hos non excedent animæ purgatorii. Respondeo si non omnes sint oppressi, ad minùs sunt infecti, si non cadant, ad minùs maculantur; & tanta conservatione digna est animæ pulchritudo, & puritas, ut propter illam ne maculetur, tota vita bene impensa, & mors sustinenda videatur. De Mustela Alpina animali puro & candido, ac puritatis amatore dicitur, quòd dum venatores illud capere volunt, viã per quam fugere posset, sordibus ac luto implent; ne autem candorem suum maculet, aut perdat, potiùs se capi, & mori cupit, quàm immundè vivere, magisque abhorret maculas, quàm mortem ipsam; unde quidam emblema conficientes, hoc animal luto circumdatum posuerunt, hoc supposito dicto; *malo mori, quàm fœdari*. Non aliter anima justi pulchra & decora est quam Deus ipse admirando laudat; *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Sed quid? omni ex parte luto circumdata, unde impossibile est illam in hac vita uno passu moveri, quin subitò se maculet. De hoc clarissimum exstat testimonium in libro Job: *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem, quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea?* Quid autẽ intelligitur per domos luteas? Olimpiodorus, dicit totum mundum intelligi; sed communis expositio habet, hoc nostrum corpus ex terra compositum

Animæ à corporibus inquinãtur.

Anima justi pulchra, sed luto cincta.

Cant. 4. 7.

Iob 4. 18.

positũ debere intelligi; sic quòd misera anima undique luto circumdata, ne pedem quidem efferre possit, quin se maculet. Quod verò pejus est, commune lutum non inficit nisi contactum, hoc autem lutum, etiam visu, auditu, odoratu alijsque omnibus sensibus inficit, & maculat.

Anima undique inficitur maculis.

12. Amplius dico non solùm animam se movendo inficere, verùm etiam stando; quia ut sequitur in textu: *Terrenum habet fundamentum*: non terram siccam sed madidã, lutosã videlicet pro fundamento habet: hoc enim proprium est significatum vocis hebraicæ. Sive ergo progrediatur, sive firma consistat, sive innitatur, sive tantùm terram contingat, sẽper se maculat, semper immũda remanet, licet quoque ab externis nullam contraheret maculam, hæc tamen ab intus velut tinea nasceretur. Ideoque in textu sequitur; *Consumentur velut à tinea*; ita ut anima puritatis amatrix dicat; *Malo mori, quàm fœdari.* Mille videntur anni ut ex hac vita discedam, ut pariter è luto egrediar. Dulcis mihi mors est, cùm pulchritudinem meam securã reddat; & vivere amarum est, cùm sine maculis esse non possim.

13. Tale animal candidum per puritatem potiùs conscientiæ, quàm per venerandam canitiem fuit sanctus ille Senex Eleazarus, qui exhortatus ad comedendũ saltem occultè carnes porcinas contra legem, ut illo modo è manibus inimicorum elaberetur; potiùs quàm candorem suum inficeret, mori voluit; *At ille*, inquit sacer textus, *cogitare cœpit ætatis, & senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, respondit citò, dicens, præmitti se velle in infernum.* Non sufficiebat sacræ Scripturæ dicere illum se resolvisse mori potiùs, sed dixit illum subitò hoc dixisse; *Respondit citò*: tam citò ut præscinderet cogitationes suas, quia *cogitare cœpit*: incœpit solummodò cogitare, & illi adeò fœdum videbatur maculari, ut nullum tempus intermitteret, quin subitò responderet: non hærebat dubius, sed rem claram, & indubitatam cõspiciens subitò respondit. Non opus erat intellectum illi vanas proponere rationes, & voluntatem movere ut melius eligeret: quia primo conspectu videbatur illi immaculata pulchritudo adeò excellens, ut subitò voluntas vitam respueret, ne illam perderet. Tali modo ergo animæ purgatorii, videntes se securas, nec ampliùs pulchritudinem suam maculãdam, voluntariè cunctas recipiunt pœnas; imo libera voluntate ardentes intrant flammas, ut minimas quoque maculas acquisitas deleant.

Eleazarus maluit mori quàm fœdari.

2. Machab. 6.23.

14. Maxi-

Nihil prodesset non peccare, nisi in gratia essemus.

14. Maximũ sine dubio privilegium est illud primum, nisi tamen à secundo fulcitum esset, quòd nimirũ sint certę se esse in gratia Dei, parum illis prodesset. Quid enim me juvaret non ampliùs posse peccare si de facto in peccato essem? Quid consolationis mihi adferre posset, securum me esse nõ amissurum gratiam divinam, si dubitarem an illam haberem? Nos quoque in hac vitâ scimus prædestinationem esse infallibilem, & si prædestinati simus, securè in æternum nos divinâ præsentiâ fruituros: cùm autem incerti simus de prædestinatione nostra, in timore & tremore vivimus, quasi prædestinatio non foret infallibilis. Si ergo animæ purgatorii non essent certæ se in gratia divina esse, parum illis consolationis adferret, se scire gratiam divinam habitam, non posse amittere.

Secundum privilegium certitudo gratiæ.

15. Ex prædictis ergo secundum privilegium quô nos excedunt colligitur, nam sicut nos semper de divina gratia, incerti sumus & de propria salute timidi; ita animæ illæ felices, infallibilem habent certitudinem se amare Deum, & ab ipso amari. O quantus favor, quàm singulare privilegium? Mulier quæ aliud non intendit, quàm ut omnibus pulchra, ornata, & compta appareat, non vellet carere speculo, pro omni auro totius mundi; Quare? à speculo fortè pulchritudinem, aut ornamentum recipit? non, sed in eo de pulchritudine, & ornamentis bene compositis certior redditur, illique sententiam ut judex suorum operum profert. Sine eo quoque semper suspicaretur; si crines rectè accõmodati essẽt, si caput optimè floribus & gemmis ornatum, si facies bene lota, si frons perfectè polita, si supercilia decenter composita, si genæ coloribus rectè fucatæ. Animæ justorum non aliud quærunt, quàm pulchræ Deo apparere; ut ab ipso amentur, non aliud procurant, quàm à se omnem auferre maculam, quæ oculos purissimos offendere posset, utque aliquod ornamentum adjungere valerent, quô ipsi placerent. Sanctus Episcopus Nonnus, cùm mulierem variè, & pulchertimè ornatam conspiceret, plurimũ lacrymari cœpit, quòd tantam non adhibuisset diligentiam, ut oculis divinis placeret, quantam illa, ut oculos humanos alliceret. Sed quia nullum in hac vita speculum habent quod clarè sententiam pulchritudinis ferat, & maculas conscientiæ judicet, semper in timore, & suspicione vivunt; *Etiãsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea: & tædebit me vitæ meæ*: inquiebat S. Job, pauloque pòst dicebat; *Verebar omnia opera mea.* Licet quoque pulcherrimus

Mulier vana mundo, animæ justæ Deo placere student.

Job 9. 21.

Ibid. 28.

mus esset, dubitabat tamē, an in conspectu divino talis haberetur: *Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea.* Ibid. 30.

Anima piæ semper de peccatis dolent.

16. Hinc oritur quod non videatur animabus propriæ salutis zelosis, se umquam sufficienter lotas esse; ideò semper pœnitentiam, pœnitētiæ adjungentes, semper novas inventiones Deo placendi reperiūt. Propheta David numquam cessabat veniam peccatorum deposcere, & precari Deum, ut illum mundaret, & ornaret: nunc dicebat; *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*; sed timens ne una misericordia licèt magna, sufficeret multitudini iniquitatum, subjunxit; *& secundùm multitudinē miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Juxta nimirùm multitudinem effectuum misericordiæ, dele iniquitatem meam. Nec hoc contentus, dum illi videbatur quidpiam remansisse iniquitatis præteritæ, dicebat; *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Timens verò ne vel sic sufficeret, adjungebat; *Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* Sed ne in hoc quidem confidens se mundum omninò esse, precabatur Deum ut cor novum tribueret; *Cor mundum crea in me Deus*; aliàs siquidem non videbatur sufficiēter purgatum quod tot maculis fœdatum fuerat. Psal. 50. 1. Ibid. Ibid. 4.

Animæ purgatorii de propria salute certæ.

17. Talis ergo est miser status præsentis vitæ; animæ verò purgatorii cùm lucidissimum inspexerint speculum, & in eo judicatæ sint pulcherrimæ, non est amplius quod timeāt. Quale autem dices hoc speculum esse? nō aliud quàm Deus, de quo dictum; *Est speculum sine macula, & candor bonitatis illius:* ab eo sentētia pulchritudinis nostræ dependet, unde dicebat S. Paulus; *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum:* videlicet non mihi videtur aliquam habere conscientiæ maculam; non tamen securus sum me justum esse; quia *qui judicat me Dominus est:* donec illud speculum inspiciam, numquam securus ero; sed animæ purgatorii vidéntne clarè Deum? certissimè non, sic enim essent beatæ; quomodo ergo in hoc speculo se cognoscūt? Respondeo, subitò ac anima à corpore separata, ante divinum tribunal sistitur, de ea particulare judicium fit, de quo dixit Sapiens: *Facile est coram Deo in fine obitus retribuere unicuique secundùm opera sua:* inde clarè cognoscit qualis sit. Cùm ergo animæ purgantes se in hoc speculo clarè viderint, sunt securæ se esse in gratia divina, & placere oculis eius; Quia insuper cognoscunt in illis remansisse quasdam

Sapient. 7. 26. 1. Cor. 44. Eccli. 11. 28.

quaſdam peccatorum maculas, in flammis expiatricibus volũtariè morantur, & ſimul fruuntur mirabili pace & tranquillitate, ac tali conſcientiæ ſecuritate, qualis adipiſci non poteſt.

Nullus in hac vita ſecurus, ſed in futura.

18. Dum mercator res ſuas ſecuras habet, dum navis peregrinis onuſta mercibus in portum advenit; tunc ſecurè dormire poteſt; dum verò in periculo eſt omnes perdendi, divitias & labores ſuos ventis exponendi, non videtur poſſe quieſcere, aut ſecurè dormire. Juſti in hac vita quieti dormire non poſſunt, cognoſcentes pericula in quibus verſantur, non poſſunt pacifico frui ſomno, jmò ſemper vigilare convenit juxta conſilium Salvatoris; *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Sed animæ purgatorii, cùm navim pretioſis mercibus plenam, ad portũ perduxerint, quietè ſomno pacis dormiunt. Non hæc mea excogitatio, ſed S. Eccleſiæ, quæ in Canone Miſſæ ſic pro illis orat; *Memento Domine famulorum famularumq; tuarum, qui nos præceſſerunt; & dormiunt in ſomno pacis.* Dices ibi loquitur de Sanctis: dico id verum non eſſe, pro Sanctis quippè non rogamus Deum: ſed pro animabus purgatorii; de his ergo loquitur Eccleſia; Sed hæ nũquid igne cruciantur? numquid graviſſimos perferũt dolores? quomodò ergo dicitur; *Dormiunt in*

Marci 14. 38.

ſomno pacis? quis umquam in lecto flammarum, aut carbonum ardentium dormire potuit? ſi quoque dormiunt, ergo dolorem non ſentiunt, nec conſequenter patiuntur, & ſatisfaciunt divinæ juſtitiæ pro culpis commiſſis. Optimè tamen S. Eccleſia, inquit; *Dormiunt in ſomno pacis*; non enim de ſomno materiali loquitur, qui ſimul cum doloribus eſſe non poteſt, ſed de ſomno mentali, de quiete conſcientiæ, & pace interna. Vult igitur dicere, ſecuritatem illam quam animæ ſanctæ habent, quòd ſint in gratia, inde oriri, quia nũquam illam amittere poſſunt, imò quando Deo placuerit, eius viſione perfectè fruentur; illa, inquam ſecuritas flammas roſas; tormenta convivium; horridum locum mollem lectum; & pœnam dulcem ſomnum apparere facit. Idcircò de illis Sapiens affirmat, quod, *viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace*, & paulò pòſt, *ſpes illorum immortalitate plena eſt.*

Quomodo animæ purgatorii ſecura dormiũt.

Sapient. 3. 2.

19. Spes animarum purgatorii, non ut ſpes mundanorum inanis & vacua prout ſpes antiquitus depingebatur ſedens ſuprà vas vacuum, cum corvo in manu, quia illa ſemper cantat *cras, cras*; Meritò vaſi vacuo inſidebat, quia in vanitate fundatur, non ſolido fundamento ſtabilitur, omniq; bono ſemper privata. Spes autem illarũ animarum,

Spes mundi inanis, ſpes animarum ſolida.

marum, plena est, & solida, quia securæ sunt obtinẽdi quod sperant; spes mũdi res temporales, imò diurnales, diem crastinum respicit; illa autem animarum purgatorii, res immortales & bona ęterna respicit; ideoque *immortalitate plena est.* Illa sicca & vana, primò deficit, quàm fruatur objecto amato; *hæc immortalitate plena est*, quia nũquam moritur, numquam exsiccatur, aut languescit, donec obtinuerit quod sperat, & tunc non moritur, sed mutatur & transformatur, in gaudium & lætitiam. O quale privilegium!

Magna intellectus curiositas.

20. Intellectus noster adeò est curiosus, ut incertitudo rei quam scire cupit, licèt ad eius bonum nõ pertineat, illum continuò excruciat. Homerus quia ęnigma solvere non valuerat, præ dolore cessit è vita; Aristoteles ex desperatione se projecit in mare, quia fluxus, & refluxus occasionem invenire non poterat. Eudoxius dicebat, se libenter culicis instar à solis radiis comburendum fore, dummodò illum ex vicino contemplari potuisset. De philosopho Canio Junio vocato refert Seneca, volũtariè illum mortuum fuisse, ut animæ immortalitatem agnosceret, & adverteret, si in puncto separationis à corpore, illam sentire potuisset. Quid ergo erit de re adeò incerta, & necessaria, qualis est salus æterna & quòd scire non possimus, an odiô aut amore digni sumus? Tantô tempore dubii hærere quot annis vivimus, & expectare sententiam vel immensæ felicitatis, vel perpetuæ, & extremę miseriæ? O qualis hæc pœna est animabus propriæ salutis cupidis, & amoris divini zelo succensis? Quandoque hæ animæ lamentando suspiriosis vocibus dicunt; nescio certè an amore, vel odiô Deus me prosequatur? omnibus ergo diebus vitæ meæ dubia salutis hærebo? Quid esset si vltima hora vitæ meæ, me veste nuptiali privatam reperiret? si fortè semper conspectu divinæ majestatis privata, spiritibus infernalibus associari deberem?

Seneca de tranquillitate cap. 14.

Magna miseria propria salutis incertum esse.

Pro salutis certitudine quævis pœna ferenda.

21. B. Ludovicus Beltram vir sanctissimæ vitæ, quandoque à filio suo spirituali, repertus fuit totus in lacrymas resolutus, ob dolorem ingentem, & afflictionem cordis, interrogatus autem cur ita fleret, respondit; quomodo non plangerem, si meæ salutis incertus sum, & nesciam quid animæ meæ erit? Adeò magna hæc pœna est, & hoc dubium tanti momenti, ut nullus sit justus, qui pro certitudine salutis, non vellet flammis purgatorii vsque ad diem judicii voluntariè se cõmittere. Quis ergo non asseret has animas parum à felicitate abesse, quæ extra hoc dubium constitutæ, certiores

tiores factæ vicinæ felicitatis? dici quasi potest, illas incipere frui delitiis paradisi. Hoc inde clarè probatur, quòd scire se esse à Deo derelictum, est similitudo inferni ijs, quibus integrum est benè sentire. Unde David dicebat; *Ne avertas faciem tuã à me, & similis ero descendentibus in lacum*: Certum ergo esse de gratia divina non amittenda, est species paradisi?

Psal. 26. 9.

Maximum gaudium sponsi in nuptiis.

22. Amãtissimus sponsus qui multis annis laboravit, ut ad pulchritudinem desideratã perveniret; quando jam pervenit, ut annulũ digito imponat, quis nescit quantum exultet, & quali lætitiâ perfundatur? non quia fruitur objecto amato, sed quia certior redditur de possessione ejusdem. Pariter cum his animabus benedictis agitur, qui à periculis hujus vitæ liberatæ, receperunt annulum, & sponsæ regis cælorum declaratæ sunt. Non mentior si illas beatas dixerim, hoc quippè nomine vocantur ab Angelo in Apocalypsi; *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*. Non vocat beatos illos qui mensæ nuptiarum assident, quales sunt sancti paradisi, sed qui invitati sunt; qui commẽsales regis cælorum declarati sunt: qui de bonis cælestibus jam securi, quòd rectè animabus purgatorii competit. Etenim si spes æternorum bonorum, licèt incerta, justos in hac vita maximô gaudiô perfundit, ut dicebat Apostolus; *Spe gaudentes*, quid spes certa & infallibilis, bonorum jam melius cognitorum, & propius vicinorum efficiet? Hoc ergo secũdum privilegium animarum purgatorii quô nos excedunt: cui majoris perfectionis gratiâ tertium adjungamus.

Apoc. 19. 9.

Mãjus gaudium animarum in purgatorio.

Ad Rom. 12. 12.

Tertium privilegium est bona dispositio ad gratiam.

23. Tertium ergo privilegium, quô nos animæ purgatorii præcellunt est, quòd ubi nos sæpissimè impedimus bona acquirenda; nec aptè dispositi sumus gratiæ recipiendæ, quam largâ manu divina bonitas suprà nos effundit. Illæ animæ maximè sunt dispositæ divinis favoribus recipiendis; nec umquam illis obicem ponunt, aut impediunt, quò minùs gratiæ divinæ, aut indulgentiæ, liberationi earum ab ardẽtibus flammis inserviant. Hinc Christus monstrare cupiens, quàm difficile peccatum in Spiritum sanctum remittatur; dixit: *Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum; non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*: quibus verbis datur intelligi, faciliùs remitti peccatum in futuro sæculo, quàm in præsenti; aliàs enim cùm negasset in hoc sæculo remitti, non opus fuisset adjungere, non posse remitti in futuro. Sicuti quia difficilius est resistere multis, quàm uni, nullus dicet, talis non potuit uni

Matth. 12. 32.

resistere, ergo nec multis, clarum siquidem est, si uni resistere nequivit, nec multis resistere potuisse; ideoque superfluum est illud adjungere: bene tamen dicetur, talis non potuit multis resistere, nec uni quidem. Præsupponit ergo Salvator noster difficilius esse culpam remittere in hac vita, quàm in futura. Sed qualiter hoc? Nónne hoc tempus culpis remittendis destinatum? nónne Isaias in persona Salvatoris prophetavit; *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me, ad annuntiandū mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, ut prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino.* Nónne Salvator noster hanc prophetiam sibi applicavit, dum in Synagoga aperiret librum, legeretque hunc textum, clariùs interpretando: *Prædicare captivis remissionem?* nónne S. Paulus dicebat: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis?* si ergo hoc tempus remissioni destinatum, in quo regnat divina misericordia; & in altera vita justitiæ divinæ sit tempus, quomodo non faciliùs remittetur peccatum in hac vita, quàm in futura? nescirem meliùs respondere, quàm ratione temporis; facilius certè esse hîc peccatum remittere, quàm in futuro; respectu quoque Dei qui hîc ut patré se habet, in futuro autem sæculo reget ut Judex. Propter alium tamen respectum, difficilior est remissio in hac vita, quàm in futura, propter impedimenta quæ ponimus; quoties enim Deus nos vocat, & remissionem peccatorum promittit, & surdi nolumus audire? Quantæ indulgentiæ negliguntur, quantis Sacramentis abutimur, quantas satisfactiones omittimus: unde ergo poterimus acquirere remissionem peccatorum, aut pœnarum illis debitarum? Animæ verò purgatorii, numquam obicem ponunt aliquibus indulgentiis, numquam suffragia rejiciūt, numquam ex doloroso carcere exire recusāt, dum à Deo invitantur. Propter hanc ergo rationem & bonam illorum dispositionem, dicere possumus, faciliùs quodammodo esse remittere peccatum, pœnam videlicet temporalem, in altera vita debitam, quàm remittere peccatum in hac vita.

Isai. 61. 1.

Lucæ 4. 18.

2. Cor. 6. 2.

An peccatum meliùs in hac vita quàm in futura remittitur?

24. Inter animas ergo purgatorii, & animas hujus vitæ illa videtur mihi esse differentia, quæ in mundo est, inter reum in carcere constitutum, & reum ad triremes damnatum: carcer est purgatorium, de quo multi intelligunt locum illum Epistolæ S. Petri; *in quo & his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit.* Triremis est peccatum, in qua venditur homo peccando, licèt etiam sit princeps: unde de Achab

Qualis differentia inter animas purgatorii, & hujus vitæ animas.

1. Pet. 3. 19.

3. Reg. 21. 20. Achab dictum fuit *venumdatus est ut faceret malum*. Quænam verò differentia est inter incarceratos, & mancipia triremium? plurima, inter reliquas hæc est, quòd in carcere nullus debeat laborare, solummodò ibi custoditur, aut patitur; in triremibus autem mancipia baculis etiam adiguntur, & constringũtur ad laborandum; non aliter animæ in purgatorio sunt ut patiantur, tempus quippe bene vel malè operandi, pro illis transactum est. In hac vita nullus otiosus esse potest, qui enim non laborat, ut benè operetur, sustinere debet mala opera, ideoque in citato Scripturæ loco non dicitur; *venumdatus est ut pateretur*, sed *ut faceret malum*. Si nobilis insuper est incarceratus, visitatur à parentibus & amicis, non desũt illi commoditates, & delicati cibi qui eò quoque deferuntur; sed mãcipia triremium, ab omnibus deseruntur, & dum ad has aut illas partes cum triremi excurrũt, etiamsi amici velint, non tamen succurrere possunt. Sic animæ purgatorii sæpiùs visitantur ab Angelis, amicis, & parentibus hujus sæculi, qui illis applicant indulgentias, & suffragia non sine maximo adjutorio. Sed infelix anima in peccato mortali constituta, non est capax beneficiorum; & licèt illi sacrificia aut alia opera bona applicentur; non illi ad satisfactionem reputantur: quia nimirum à fidelibus alienata, & ut membrum mortuum est, respectu corporis totius Ecclesiæ.

Animæ purgatorii incarceratæ sunt.

25. Ampliùs prædicta probantur; mancipia triremiũ, non tantùm patiuntur, & laborant, sed quotidie versantur in periculo submergendi, si enim triremis periclitetur, minùs aliis se adjuvare possunt, cùm ferreâ catenâ alligentur; dum quoque inimici occurrũt, inter pugnandum in summo periculo sunt, ne ab illis occidantur. Qui autem in carcere est positus, securior est, quàm si liber esset, cùm sit sub custodia principis, & in loco securo conclusus, ubi inimici illum aggredi non possunt. Non aliter peccatores in continuo versantur periculo submersionis in profundum barathrum, & vitam perpetuò perdẽdi, si moriantur in illo statu; animæ verò purgatorii securissimæ sunt, ut diximus, de sua salute, & ab infestatione aut offensione inimicorum liberæ.

Animæ viventes ad triremes condemnatæ.

26. Quod denique proposito meo congruit est, nullam esse difficultatẽ liberationis à carcere, dũ Judex, aut princeps illi favorabile decretum tribuit; nec aliquis reperitur, cui si exitus liberè pateat, pro gustu suo manere cupiat, in triremibus autem, licet tempus servitutis finitum sit, aut decretũ liberationis adsit; difficile adhuc est catenis vinctum

A carcere facilè quivis liberatur, non à triremibus.

vinctum dissolvere, & liberum dimittere. Quãdoque enim triremis in partes longinquas excurrens, nullum eò nuntiũ pervenire nec de liberatione intimari potest; quandoque necessitas remigandi exigit ut remaneat; quandoque nova debita contracta exire non permittũt; quandoque etiam ipsemet tali vivendi modo assuetus, discedere non cupit. Eadem quoque differentia inter animas purgatorii, & peccatores viventes reperitur; illæ subitò ac tempus satisfactionis exspiravit, aut per suffragia viventium liberatio à flammis impetrata fuerit, non demorantur unicô momentô, nullâ vi retineri possunt, nullus executionẽ gratiæ obtentæ impedire potest; adeò quippe sunt cupidæ uniendi se cum Deo, ut auditô felici liberationis nuntiô, subitò gaudentes ad cælum evolent. Hæ verò infelices animæ, quæ propriis passionum catenis devinctæ, mancipia peccatorum sunt, quàm difficulter liberari possunt, licet enim Deus illas vocet, & remissionem offerat, ac manum porrigat ut inde eripiat, ipsæ tamen aut non attendunt, aut non curant, aut oblatam liberationem respuũt. Licet quoque acceptare vellet, tantis se sentiunt oppressi peccatorum debitis, ut videatur ipsis liberari non posse. Quandoque etiam dũ liberari possent, adeò miseram illam servitutem diligunt, ut illos etiam contemnant, & vilipendãt, qui gratiosè eos adjuvare vellent.

Animæ purgatorii facillimè liberantur, non ita peccatores à peccatis.

27. Hanc ingratitudinẽ David in multis notans Dei bonitatem exalta, quæ non se permittit ab illorum malitia vinci, unde ait: *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris*; litteraliter de Hebræis loquebatur, in servitute Ægyptiaca commorantibus, dicitque Deum eos liberasse à vinculis: *in fortitudine*, qui videlicet mancipiorum instar catenis constricti, & coadunati, erant: ipsos insuper divinæ manui eos eripere volenti restitisse; *Qui exasperant*: qui videlicet illum continuò offendebant, qui ad indignationem concitabant, & ejus adjutorium respuebant, ut variæ habent versiones. Symmachus traduxit, *contumaces*, in malo videlicet obstinati, Aquila, traduxit *rebelles*, qui præ alijs pejores sunt, de propria salute desperantes, & difficiles, ad subjugandum. *Qui habitant in sepulchris*, mortuorum instar erant, & tam difficile illis videbatur liberatio, quàm mortuorum resuscitatio. Quod in peccatore omninò verificatur, hic miserrimus peccatorũ status, hæc miserabilis conditio; ligati sunt fortiter peccatis, passionibus, malis desideriis, & consuetudinibus, alijsq; mille humanis respecti-

Ingratitudo peccatorum erga Deum.

Psal. 67. 7.

respectibus. O qualis fortitudo requiritur, ut hæ catenæ solvantur; Et quod pejus est, pro eo quòd divinam misericordiam invocare deberet, ut eos ex hoc carcere liberaret, continuò eum exacerbant, offendunt, irritant, & ad castigandum potiùs quàm ad succurrendum incitant; contumaces duri, obstinati, proprii cerebri amatores, nolentes divinam admittere inspirationem, nec illum ut Dominum agnoscere. Habitantes in fœtidis peccatorum sepulchris, in locis ad Dei offensionem destinatis, in consortio mortuorum, & cadaverum, tales quippe sunt socii peccatorum in sceleribus: in sepulchris sunt ubi nullus divinæ gratiæ radius resplendet, quia in tenebris sibi complacent, & divinum lumen abhorrent. Sicut quoque in tenebris commorari assueto, lux odiosa est, & illibenter loca clariora adit; sic peccator in tenebrosis sepulchris conversari solitus nec aëre sereno frui, nec clarâ divinæ gratiæ luce perfundi cupit. Præterea quàm difficile est peccatorem se resolvere ad pœnitendum.

Miser peccatorum status.

28. Difficillimum est innocentem reperire, inter tot siquidem occasiones, & incentiva malorum; *Quis gloriabitur castum se habere cor?* Multò tamen difficilius est teste S. Ambrosio, verum invenire pœnitentem: *Facilius*, inquit, *inveni, qui innocentiam servaverint, quàm qui congruè pœnitentiam egerint.* Maximum ergo hoc privilegium est animarum purgatorii, semper dispositas, aptasque esse beneficiis, & divinæ gratiæ recipiendæ: ubi nos ita resistimus. Quandoquidem ergo ita sint dispositæ, non desistamus illas adjuvare, suffragijs, & eleemosinis, numquàm enim vanè expendentur, & procuremus divinæ gratiæ non resistere.

Pœnitentia difficilior, quàm innocentia.

SECVNDA PARS.

29. His omnibus antè dictis consideratis, posset locus purgatorii felix reputari: cùm videamus animas securas esse in gratia Dei, certasque se numquam illam perdituras, & citò æternis bonis perfruituras. Quis non illis invideret? Illæ tamen maximum pondus sentiunt, & tam grave, ut dubitari possit, si melior sit status illorum, quàm noster. Prima ratio dubitandi est, quòd nos maximam habeamus facilitatem novos gloriæ gradus promerendi, siquidem non solùmodo opera bona, sed etiam minima cogitatio bona in gratia habita æternâ mercede compẽsabitur. Animæ purgatorii ampliùs promereri non possunt, & quantumvis patiantur, in Dei voluntate sint resignatæ, & in amore fervẽtes,

Vtrum status animarum felicior quàm status vitæ?

nullum tamen gloriæ augmentum promerebuntur. Hæc conclusio nō solùm omnibus Theologis communis; verùm etiam in fide nostra certissima. Sed quid sibi hoc vult? nónne animæ illæ libertatem volēdi habent? nónne sunt in gratia? nónne opera bona patientiæ & amoris Dei, exercent? verum quidē est; quare ergo non merētur? quia tempus illarum expiravit, non ampliùs sunt in via, sed in termino; dies transit, nox advenit, de qua Salvator dicebat, *venit nox quando nemo potest operari.*

Ioan. 4. 9.

Animæ purgatorii extra statum merendi sunt.

30. Quādo curritur pro præmio, qui velociùs currit, & citiùs pervenit ad terminum lucratur præmium; si verò post terminum velociùs ac diutiùs quis currat, nihil amplius lucratur; quid sibi vult, quia præmium datur velociter ab uno termino ad alium currentibus, quo præterito nihil amplius lucratur. Ita nos in hac vita, omnes ad pallium æternæ felicitatis currimus; unus terminus est hominis nativitas, alter est mors eius, qui inter hos duos terminos velociter currit, acquirit præmium, sed termino mortis operato, curras quantum velis, nihil juvat; Audi non me, sed Apostolum Paulum dicentem; *Omnes qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium; sic currite, ut comprehendatis*; quasi diceret, advertite bene, non sufficit currere, sed oportet tali modo currere, ut præmium consequaris, extra viam ergo, aut extra terminum, aut præmiô datô currere nihil juvat; ideoque de seipso dicebat; *Ego autem sic curro non quasi in incertum*; non curro fortuitò, aut extra terminū, aut sine fructu. Sed ubi hoc præmium constitutum? in puncto mortis; *Facile est*, inquit Sapiens, *coram Deo in die obitus, retribuere unicuique secundùm opera sua.* Morte peractâ, Deus constituit præmium aut pœnam operum tuorum; te præmiat iuxta velocitatem cursus; nec vlteriùs ad aliam mercedem te aspirare licet.

1. Corint. 9. 24.

Ibid. 26.

Eccli. 11. 28.

Maximum nostrum privilegium in statu merendi esse.

31. O quale hoc nostrū privilegium, si bene hoc uti nouissemus; unô die thesauros meritorum acquirere possemus; multosque gloriæ gradus accumulare. Sed quid uno die, unâ horâ, unô momentô, unicô suspiriô, unô ferventi amoris actu versus Deum æternis bonis nos dicare possumus. His in partibus, aurum maximi pretii est, pluris fit parva pars auri, quàm magna quantitas non dico ferri, plumbi, aut æris, verùm etiā argenti. Sed in India ubi maximæ sunt auri fodinæ, nihili fit; & pro vilissimo pretio acquiritur. Aurum optimum sunt opera bona, & maximè charitas, de qua in Apocalypsi dicitur; *Suadeo tibi emere aurum ignitum ut locuples fias.* In hac vita dicere non possumus

Apoc. 3. 18.

ſumus quanti hoc aurũ valeat; *quia omnis ponderatio non eſt digna cõtinentis animæ; & ſi dederit homo omnem ſubſtãtiam domus ſuæ, quaſi nihil deſpiciet eam.* Nec hoc mirandum, etenim non in ſe ſolùm hoc aurum eſt pretioſiſſimum, verùm etiam inter nos eſt maxima penuria: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* In alio verò mundo, in illa cæleſti Jeruſalem maxima eſt abundantia, quia tota ex auro fabricata; *ipſa civitas aurum mundum.* Per vias & loca civitatis calcatur aurum, unde nullus illud expẽdit, quia ſinguli illud magnâ abundantiâ poſſident: & ſuô unuſquiſque contentus eſt. Dum ergo ſumus in hac vita, ad negotia attendendum, & aurum noſtrum bene expendendum, quia Deus illud optimè remunerat. Hinc reſponderi poſſet dubio, quod circa auctoritatẽ Apocalypſis citatam, fieri poſſet, quid enim dicebatur; *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum ut locuples fias.*

Eccli. 26. 20. Cant. 8. 7. Matt. 24. 12. Apoc. 21. 18. Apoc. 3. 18.

32. Sed quis umquam vidit quod emptio alicujus rei, aliquẽ divitem reddat? venditio potiùs divitem efficiet; emptio verò pauperiorem, aut ſaltem non ditiorem reddet, emẽdo quippe iuſto pretio, diverſã rem habet, quam primò habebat, ſed in valore idem habet. Quomodo ergo dicitur: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum ut locuples fias?* Reſpondeo qui in his partibus aurum emit, non ſe ditiorem reddet; ſed qui in India hoc emit, illic ſiquidem vili pretio emitur; nam magna auri quantitas pro parvo ſpeculo, cultro, aut ſimilibus rebus datur; quod in his partibus venditur, ſummo pretio, ſicque poſſeſſorem divitem reddit. Eodem modo dum cum Deo agis; cum perſona alterius mundi, in auro ditiſſimo negotiaris; qui promptus eſt concedere tibi magnam auri quantitatem parvô pretiô pro quadrante quem in eleemoſyna expendis, pro ſchypho aquæ, pro verbo, amore ipſius dicto; aut malo derelicto; tibi non parvam gratiæ quantitatem & amoris donat, & hoc modo te divitem reddit. Hanc negotiationem animæ purgatorii exercere non poſſunt; & hoc primum earum damnum.

Emendo aurum divites reddimur.

Primum purgatorii damnum non poſſe mereri.

33. Secũdum illarum damnum, ſunt pœnæ acerbiſſimæ, quæ non ſolùm omnes pœnas huius mundi quas nos pati poſſemus ſuperant: verùm etiam quas in hac vita cogitare poſſemus. Prima pœna eſt maximum deſiderium videndi Deum, quæ à Theologis vocatur pœna damni; fames corporalis maius tormentum inferre ſolet, quàm vulnera ferrô inflicta: ſic teſtatur Jeremias dicens: *Mollius fuit occiſis gladio, quàm interfectis fame.* Quantò autem nobilior anima

Secundum damnum in acerbiſſimis pœnis manere.

Threnor. 4. 9.

corpore, tãtò pariter magis torquet fames spiritualis, quàm corporalis. Primò, quia anima multò magis sẽsitiva quàm corpus, cùm ab ipsa virtutem sentiendi recipiat: appetitus insuper animæ vehementiores sunt quàm corporis, & iuxta illorum proportionem afflictio major est. Fames quoque corporalis crescit ad certum vsque terminum, postea verò viribus deficientibus, etiam illa deficit; fames verò animæ ut quæ ex immortali fonte oritur, numquam extinguitur; sed semper crescit donec obtinuerit quod intendit; huius generis est fames animarum, & quidem maxima. Maximum desiderium non adimpletum in hac vita multum torquet, unde dixit Sapiens; *Spes quæ differtur, affligit animam*, sed hæc cum afflictione animarum æquari non potest.

Maxima fames animarum.

Proverb. 13. 12.

34. Spem animarum summam esse probatur primò, quia in hac vita sunt desideria per varia objecta dispersa; desiderantur honores, dignitates, voluptates, divitiæ, pro nobis & amicis; unde sicut fluvius per varios canales divisus, non potest magnam adferre ruinam, sic spes divisa non potest animam multùm affligere. In purgatorio verò animæ illæ omnem spem suam in Deum repositam habent, omnes appetitus in visionem beatificam feruntur; unde quasi flumen inundans omnes transgrediẽs terminos, omnes transcendens aggeres. Persona quoque famelica, aut desiderosa, multis rebus se occupare potest; & desideria, ac famem divertere, ne ita torqueant. De gentibus Lydiæ me legisse memini, quòd tempore maximæ penuriæ, disposuerant, ut populus in duas partes divisus, unô die una pars, alterô, altera comederet; die verò quô iejunabant, licitum illis esset; se ludis & jocis exercere, ut vel sic famem minùs sentirent, cùm animus diversis rebus esset intentus. Animæ verò purgatorii non ludos aut objecta sensibilia habent, famem divertentia, non curiosos discursus illas oblectãtes, non somnum illam interrumpentem, sed continuò in objectum amatum cogitatione tendentes, maximô hoc desideriô cruciantur, & affliguntur.

Spes animarum summa.

Illa continuò cruciantur.

35. Quid de ardẽtibus flammis in quibus continuò morantur referam? non possemus mediô horæ quadrante in flamma candelæ digitum tenere; quid erit die noctuque, imò mensibus & annis in flammis versari? O si hoc cogitaremus, non tam facilè diceremus, si ad purgatorium post mortem ivero contentus ero! Etenim dic mihi, qui sic loqueris, scis quid dicis, scis quid sit purgatorium? Si quispiam diceret, sufficit mihi dum

Flammis continuò exuruntur.

dum vitam salvem, si condemner ad triremes non curo; dicere illi possemus, scis quid sit in triremibus manere? an expertus es tormenta, & suspiria miserorum mancipiorum? scis cibum illorum esse durum panem, & potum, aquam corruptam? plura recipere verbera, quàm cibos ad comedendum? scis catenis devinctos, ut canes dormire, scis quid dicere velit totâ die remigare, & cum undis furentibus confligere? O si scires, non diceres certè, te non curare triremes. Dicẽtibus igitur se peccata venialia non curare, non enim aliam promerentur pœnã, quàm purgatorii, quæ non est curanda. Pari modo respondere possemus, scitísne quid sit purgatorium? Num experti estis, qualiter ille ignis ardeat? quomodo illa flamma & sitis cruciat? quàm malè illæ animæ in flammis quiescant, scitis quàm carè solvitur illo in loco omnis illicitus appetitus, de quo in hac vita non pœnituimus? quàm severa & terribilis divina justitia: ô si vel minimum rectè scires, non tam parvi faceres purgatorium. Ita S. Augustinus quibusdam dicentibus se purgatorium non curare, respõdit, *Nemo hoc dicat fratres charissimi, quia purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, cogitari, aut sentiri?* ita ut universa tormenta à tyrãnis, & ab ipsis inferni diabolis excogitata, omnes infirmitates, quas corpus humanum pati posset, nulla sint in comparatione pœnarum purgatorii. Nec hæc sufficiunt, verùm etiã quotquot cogitatio humana fingere potest, quæ termino carent, non adæquantur acerbitati pœnarum purgatorii; Quid denique erit si diuturnitatem consideres?

Qualia sint tormenta purgatorii?

S. August. serm. 41. de Sanctis.

36. Pœnarũ purgatorii diuturnitatem & acerbitatem hoc modo probemus. Si quispiam in hoc mundo maximum patiatur dolorem, scit illum diu durare non posse, subitò quippe illum perimit: si verò diu duret, signum est non esse vehementem, quia ut dicit, Seneca; *Nemo potest valde dolere & diu.* Maximum dolorem causat ignis, sed nemo mediâ horâ in illo moratur, quin subitò moriatur; febris quandoque plurimis annis durat, non tamen multum cruciat. Pœnæ verò purgatorii acerbissimæ sunt & diuturnæ, quandoque enim ad decem, viginti, & centum perveniunt annos. Si autem adeò infirmum affligit una nox quâ non dormit, ita ut una hora ipsi videatur dies, desideratam expectans auroram; qualis erit afflictio & tormentum animarum purgatorii, quibus per annum integrum differtur summum & diu cõcupitum bonum; interim verò oportet

Tormenta hæc sunt perpetua.

illas in acerbissimis tormentis permanere?una hora certissimè videbitur integer annus; quantus igitur videbitur integer annus? Notum est exemplum infirmi illius, qui ne multis annis gravissimas infirmitates pateretur, elegit potiùs uno die in purgatorio manere; dum verò illic ingressus fuisset, non pervenit ad spatium unius horæ, quin summoperè conquereretur, illi promissa non servari, jam tantis diebus in purgatorio mansisse; Posteà autem intellexit se illud tempus suo desiderio, non verâ mensurâ dimensum fuisse; quodque multis aliis horis satisfaciendum esset; quare Deum rogavit ut in vitam redire posset, & ibi reliquum pœnarum persolvere. Si nos id cogitaremus, quàm patienter tribulationes impositas sustineremus; imò quales Deo gratias ageremus, quòd in hac vita nos pati permitteret, in qua tormenta multò minora, & cum augmento meritorum patimur, quàm in purgatorio eas nobis reservaret.

Diuturnitas pœnarum maximè cruciat.

37. Tertium damnum animarum purgatorii est, illas non posse frui medicinis, & auxiliis nobis in maxima abundantia propositis. Duo genera malorum habent animæ nostræ, culpæ, & pœnæ; omnia Sacramenta, & maximè Sacramẽtum pœnitentiæ medicina sunt culparum; Indulgentiæ autem pœnarum, ô quale hoc nostrum privilegium! mille commisisti peccata? Ad confessorem accedendo, eique plagas tuas aperiendo, paucis verbis dicendo te sanitati restituit. Remanet tamen aliqua pœna in purgatorio persolvenda, ob quam ad Ecclesiam accedens ubi indulgentia plenaria est, ecce omnis pœna tibi remissa, si indulgentiam lucreris; ita vt directè ad paradisum tenderes, si tunc morereris. In alia verò vita hæ medicinæ non reperiũtur, qui in peccato mortali moritur, in illo semper remanet: nulla siquidem ibi medicina est, ut plaga illa sanetur. Qui multis oppressus peccatorũ debitis, licet minimis, ex hac vita discedit, persolvere ea in purgatorio debet, unde non liberabitur: *Donec reddat novissimũ quadrantem*: Salvatore id affirmante. Nec hoc sanè mirãdum, natura quippe ubi mala nascuntur, etiam remedia producit; si venenum abũdet, antidotum, adest. Vulnera animarum in hac vita infliguntur, ubi pariter remedia sunt: si enim animæ illæ indulgentias lucrari possent, uti nos, quàm solicitè & diligenter ad illas attenderent? nunc cognoscunt pretiũ illarum, quando illis uti non possunt, & fortassis in hac vita illas parum æstimarunt, nunc verò acerbissimas pœnas persolvere coguntur.

Tertium damnum animarum non posse frui auxiliis.

Matt. 5. 26.

Summo desiderio libertatis cruciantur, sed nequeunt adipisci.

Quan-

Salvianus lib. 5. de providentia.

Quãdoquidem Salviano dicente; *Vnâ re ad duas diversissimas coarctantur, summa vis exigit, vt aspirare ad libertatem velint; sed eadem posse non sinit, quæ velle compellit:* summô flagrãt desideriô ex hoc carcere exeundi, & in nullo se adjuvare possunt: vt S. Bernardus, inquit, *quod hîc neglex imus, illic centupliciter reddemus.* Ex hisce jam dictis duo utilia documẽta colligere possumus; unum pro animabus nostris, aliud pro animabus miserrimis in purgarorio existentibus.

S. Bernard. de obitu Humberti.

Primum documentum, frui privilegiis nostris.

38. Primum nostrum documẽtum erit, ut sciamus frui privilegiis nobis concessis; scitis enim quòd qui datâ occasione privilegijs non utitur, illa paulatim perdit. Non adeò simus stolidi ut velimus privilegia nostra perdere; gaudes privilegio ô Christiane, maximos tibi acquirendi thesauros in cælis, parvô pretiô, fruaris illo; quia licèt opera tua in se non sint tanti valoris, privilegium tamen tibi Deus concedit, ut unicô suspiriô, paucis lacrymis, parvoque dolore, æterna bona acquirere possis. Noli ergo perdere tuum privilegium, attende dum possis thesauris & divitiis in regno cælorum accumulandis. Sic Sapiens te admonet dicens: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quò tu properas.* Non prætermittas opera bona quæ facere posses. Occurrit tibi pauper? fac eleemosynam; audis quemquam detrahentem proximo? corripe eum; vides Missæ sacrificium inchoari; audi illud; te remordet conscientia? vade subitò confiteri peccata: scis in aliqua Ecclesia esse indulgentiam? vade lucrari illam; *Quodcumque facere potest manus tua instanter operare*; modò quippe tempus est seminandi, ut in altera vita centuplum recipere possis.

Ecclesiast. 9. 10.

Secundum documentum ut adiuvemus animas purgatorij.

39. Secundum documentum valde utile pro animabus illis afflictis est, ut ad cõmiserationem moti propter acerbissimas pœnas, adiuvemus illas, indulgentiis, eleemosynis, jejunijs, orationibus, alijsque bonis operibus, ut quantociùs à pœnis illis miserrimis eximi queant. Quale autẽ cor adeò durũ reperietur, quod non dicam parentes aut amicos, sed quemcumque extraneum; vel etiam inimicum in ignem incidisse videns, & lamentabiles eius voces auxilium postulantes percipiens, non statim accurret & auxilium feret? Oculis ergo fidei, animas in ardentibus purgatorii flãmis auxilium miserrimè implorantes vides; quarum multi sunt amici aut cogniti, audis fidei auribus altâ voce clamantes: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Quomodo ergo adeò eris cru-

Iob 19. 21.

crudelis, ut non succurras? An parva illarum sunt tormenta? imò audisti illa superare omnia quæ in hac vita pati, aut imaginari possimus. Fortè hoc beneficium personis ingratis, aut indignis præstabis? Quin imò personis dignissimis, amicis Dei, in gratia eius constitutis, ad æterna bona destinatis; gratissimis quoque quia in cælis pro suffragijs tuis, tantis orationibus potētissimis satisfaciēt. An te posse dubitas? Jmò facillimè potes, omnis siquidem oratio, eleemosyna, aut aliud opus bonū, illas maximè juvat, supra omnia autem indulgentia & sanctiss. Missæ sacrificium. Poëtæ Gentiles referunt quòd infernum transeunte Orpheô cum cithara sua, Cerberus latrare desijt, & furiæ infernales sævire, reliqua quoque tormenta reos suos torquere desierunt. Nos verò sincerâ fide tenemus, quod personante orationis citharâ in purgatorio, pœnę afflictorum allevientur, & oratione perdurante, plenariè tandem liberantur. An hoc tuo periculo experiri cupis; ut apud nos sæpè accidit, dum quempiam ex igne, aut mari liberare volumus, sæpè ipsimet remanemus cōbusti, aut submersi? Quin imò non parvo tuo merito, & lucro, apud Deum tantum promereberis. Unde laudabilis apud multos religiosos est consuetudo, nullam sibi indulgentiam pro satisfactione operum, sed omnes quantum possunt, fidelibus defunctis applicare: quem modum vellem vos quoque imitari.

Faciliter eas adjuvare possumus.

40. Dices fortè charitas benè ordinata à seipsa incipit, non debeo ergo me relinquere ut alijs applicem indulgentiā: quin imò dico ego vera charitas: *Non quærit quæ sua sunt.* Quando autem à te incipere cupis, hoc intelligendum de bono honesto, non de bono vtili; de exercitio virtutū, non de fuga pœnarum. Applicando quoque satisfactionem animabus purgatorii, retines pro te bonum honestū, quia virtutem exerces, & donas illis bonum utile quod est solutio illarum pœnarum. Hæc regula quoque admitti potest, dum necessitas est æqualis, sed nō vides ibi magnam esse differentiam? Tua quippe necessitas est futura, & incerta, cùm necdum sis in purgatorio, nec scias, utrum illud intrabis, illarum autem necessitas certa est, & præsens; quia modò ab igne cruciantur, ita quòd rationabilius sit illis succurrere, quàm tuæ futuræ necessitati providere. Quin imò non vides hoc modo te quoque providere tibi ipsi? Cùm enim opus tantæ charitatis exerces, acquiris meritum apud Deum, obligas etiam illas animas ut pro te orent; Deus insuper non permittet, ut quando tu indigneris nullus

Animabus purgatorii bona opera applicando nil perdimus.

Corint. 13. 5.

nullus sit, qui pro te satisfaciat, cùm tu pro alijs satisfeceris. Potest quoque esse ut propter charitatem tuam, Deus pro te reservet duplicatam hanc satisfactionem, quam tu alteri applicaveras.

Exemplo idem probatur.

41. Ad hoc declarandũ pulcherrimum occurrit exemplum in SS. Patribus, dum quidã ex SS. Patribus confessionem alicujus moribundi excepisset, qui multa & gravia ei peccata confessus fuerat, videretque illum multùm timere, & quasi desperare, ut animum illi adjungeret dixit; si illam egisses pœnitentiam tot annis quam ego peregi, numquid confideres? Imò certè respondet infirmus: alacris igitur esto, inquit S. Pater, ego tibi liberè concedo, & dono omnia mea merita, omnium pœnitentiarum, quô donô ab infirmo accepto hilariter mortuus est. Cùm verò bonus senex in cellam suam redijsset, cogitaretque qualiter se privasset fructu tantorum laborum, & pœnitentiarum, interim dum sic mœstus hæret; apparuit illi anima illa cui hoc donum obtulisset, summas gratias agens, de tãto dono, ratione cujus jam cælum conscenderet, de quo licet senex consolatus maneret, pro se tamen solicitus erat. Interrogavit ergo animam illam, quid de se futurum esset, qui jam tot divitijs spiritualibus se privaverat; respondit illa non te privasti istis meritis, sed illa duplicasti, propter excellentem charitatis actum quem erga me elicuisti.

Animabus purgatorii assistendum, quia te juvabunt.

42. Attẽdamus ergo alacriter auxilio animarum; cum Deo siquidem, cui hoc opus gratissimum, numquam perdemus. *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Lucæ 16.9 Pauperes hujus mundi, non omnes cælum intrabunt, ideoque esse potest ut tu des eleemosynam alicui qui te non recipiet in æterna tabernacula; nec idcircò eleemosyna erit tibi inutilis. Benefaciẽdo tamen pauperibus alterius mundi, qui sunt animæ purgatorii; securus es quòd illæ tandem gaudebunt æternis bonis, ideoque gratæ tibi morienti occurrent, & in consortium suum recipient; à malignis spiritibus te defendent, & in æterna tabernacula te conducent, ubi sine fine gaudebis, quod Deus benignitate suâ nobis concedere dignetur. Amen.

DISCVRSVS SEXTVS

Definitio & essentia Tribulationis inquiritur, & assignatur: & ars mirabilis illam à se coercendi exhibetur.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Corpus humanum mirabiliter compositum exhibens, differentiam inter voluntatem & intellectum assignat. num. 1. 2. 3.

Quæ natura, & definitio tribulationis; varias ejus figuras, & similitudines proponendo, inquirit à num. 4. usque ad 22.

Veram denique naturam, & definitionem tribulationis exhibet à num. 23. usque ad 27.

In potestate nostra esse nullam tribulationem pati probat. num. 28. 29. 30.

Quomodo ab omni tribulatione liberi, perfectâ pace fruemur. à num. 31. usque ad 36.

Quàm infelix qui divinæ voluntati resistit, demonstrat, numero 37.

Corpus humanum mirabiliter compositum.

1. DEò mirabiliter anima, & corpus humanũ in uno cõposito conjuncta sunt; & tanta inter illa est proportio & contrarietas, tanta similitudo, & dissimilitudo; ut rectè affirmare non auderem, utrum major sit eorum amicitia, an inimicitia: majus sit damnum quod sibi invicem præstãt, quàm utilitatem quam adferũt: si caro ab anima malè excipi debeat, vel carnem suam protegere, meritorium sit? Caro siquidem taliter est domus animæ, ut etiam sit carcer; est vestis, sed nimis ponderosa; est equus, sed recalcitrans; canis venaticus, sed qui prædam retinet, & devorat; est servus, sed inobediens; est socius, sed infidelis; est amicus, sed inæqualis; est sponsus, sed ingratus; est explorator, sed sæpiùs mendax; est ductor, sed errans; est pincerna, sed qui absynthium melli, & venenum vino immiscet; est porta, sed malis & bonis æquè aperta; est fenestra, sed per quã mors intrat; est instrumentum, sed ineptum; est rheda, sed ab equis indomitis tracta; est lectus, sed angustus, & malè accommodatus. Talis denique est, ut nec cum illo; nec sine illo spiritus pacem habere posse videatur; ut

Corpus malus animæ socius.

de

de amico quodã dicebat Poëta.

Martialis lib. 12. epigram. 47.

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus, es idem:
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

Insignis differentia inter intellectum & voluntatem.

2. Si tamen subtiliùs animæ nostræ operationes indagare velimus, inter eas pulcherrimam reperiemus differentiam, in anima duæ sunt potentiæ, intellectus & volũtas; quibus aliæ duæ in corpore respondent, auditus & appetitus. Intellectus & auditus nullo modo inter se contrariantur, imò se mutuò mirabiliter juvant; sed voluntas & appetitus corporis, de facto sũt contrarii, & inter se repugnant. Hinc sequitur vtilissima doctrina, ut nimirùm actus voluntatis si secundùm rationem dirigi velint, actibus appetitus sensitivi; opponendi sint si verò actus intellectus rectè gubernari velimus, debent è contrà, judicio sensuum conformari. Si igitur de amando, & desiderando agis, caveas in hoc appetitum sensualem sequi, quia temporalia, & indigna desiderares, & amares. Si è contrà de philosophia, & discursu agis, de approbatione hujus, vel illius sententiæ, caveas à sensu discedere, si errare non velis; quia Aristoteles quem S. Thomas sequitur cum alijs philosophis, rectè dicebat; *Relinquere sensum propter rationem, est debilitas intellectus*: loquendo de rebus naturalibus, quando rem sensibilem relinquimus judicare, propter rationem sophisticam, signum est parvi judicii, aut intellectus.

Aristot. 1. de gener. textu 5.9. S. Thomas ibid.

Quæ diversitatis occasio?

3. Hujus autem diversitatis occasio esse potest, quòd una veritas numquam potest alteri veritati contraria esse; cùm igitur hæc veritas per sẽsus cognita, non possit esse contraria alicui veritati intellectui repræsentata; si illa ab hac discrepet, certissimè errorem committet. E contrà autem bonum quod ad voluntatem pertinet, omninò oppositum est bono quô sensus fruuntur; voluntas siquidem bonum honestum respicit, & sensus bonum delectabile, ideóque quantò magis illa ab hoc bono deficit, tantò magis illi bono appropinquat. Ratio autem huius diversitatis est; quia veritas rerum in se talis est, & non in ordine ad alterum; bonitas autem talis est cum relatione ad alterum; potest siquidem res aliqua mihi bona esse, & mala alteri. Veritas ergo quæ talis in se est, sive à sensu sive ab intellectu cognoscatur, semper est eadem veritas: bonitas autem sæpè mutatur, ea siquidem quæ sensibus convenit, potest voluntati rationali inconveniens esse; sicque una bonitas potest esse contraria alteri. Hæc diversitas mirabiliter in Scriptura patet; quantum enim ad voluntatem, exhortamur appetitus

Veritas rerũ in se talis, bonitas ad alterum est.

titus sensuum non esse sequendos; ita namque dicit Sapiens; *Post concupiscentias tuas non eas.* E contrà verò ad veritatem confirmandam in testimonium alicuius rei adducuntur sensus. Sic S. Joannes; *Qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius*: & in epistola sua scribit; *Quod vidimus, & audivimus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ*: S. Petrus etiam ait: *Non doctas fabulas secuti, sed speculatores facti illius magnitudinis.*

Eccli. 18. 30.

Ioan. 19. 35.

1. Ioan. 1.

2. Petri 16.

Cur hic discursus institutus?

Dices fortasse ad quem finem hic discursus? Ut dependentiam, & connexionem discursuum sequentium, cum præcedentibus vobis demonstrem; & videatis quàm solidum sit fundamentum, supra quod turrim nostram ædificamus (ut in secundo discursu diximus.) Usque modò de rebus ad existentiam tribulationis pertinentibus disseruimus, si in omni homine reperiatur, si omni die aliqua sit tribulatio; existentia autem rerum, per sensus cognoscitur. Ab existentia verò ad essentiã modò transibimus, & à sensibus ad intellectum, videbimusque quid sit tribulatio, naturam eius investigabimus, & definitionem assignabimus. Quid igitur est tribulatio quæ tantò nominatur, & adeò homines affligit? qualecumque malum quod patimur, dicet citò quispiam; cùm Scriptura sacra illam quoque malum appellet: *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?* nulla, videlicet, est tribulatio à Deo non immissa: *Omnes dies pauperis mali*: id est tribulationibus pleni. Idem sentire videtur, commune hominum judicium; idem quippe est dicere, malè me habeo, aut res meæ malè succedũt, quàm dicere, sum afflictus. Sed necdũ veritatẽ cõsecutus es: peccatũ siquidem éstne tribulatio? non, alioquin non committeretur; & quandoque prosperitatem affert, dicente Ieremiâ: *Quare via impiorum prosperatur*; tribulatio insuper affligit, peccatum delectat, tribulatio est contra propriam voluntatem, peccatum est voluntariũ. Sed numquid malum est? imò maius malum omnium; non ergo idem est malum, & tribulatio. Quare ergo vocatur malum? largo modo tribulatio mala dicitur, quia sensibus ita apparet, sed peccato comparata, non est talis.

Quid sit tribulatio?

Amos 3. 6.

Proverb. 15. 15.

Ierem. 12. 1.

5. Duo sunt genera malorum unum propriè, & rigurosè dictum, & hoc est peccatum; alterum largo modo, & impropriè, & hoc est tribulatio. Primum est malum culpæ, secundum est malum pœnæ; *videns Deus, quòd cogitatio cordis intenta esset ad malum*, de primo malo dictum est; *si reddidi retribuentibus mihi mala*, de secundo dicitur: *Nolite facere mala, & vos non apprehendent*; de utroque dictum. Primum malum

Tribulatio non est malum propriè dictum.

Genesis 5.

Psal. 7. 5.

Eccli. 7. 1.

lum hominem impium, & perversum reddit, secundum quandoque bonum efficit. Duobus modis cibi mali dici possunt; vel quia sunt amari ut absynthium, vel quia mortiferi ut venenum, licet alioquin sint dulces. Peccatum quid est? cibus
Osee 4. 8. est; *Peccata populi mei comedent:* & cibus malus, non quia amarus,
Iob 20, 12. cùm de illo dicatur; *Cùm dulce fuerit in ore eius malum*; sed quia mortiferus, quia, *anima quæ pec-*
Ezech. 18. 4 *caverit ipsa morietur.* Cibus pari-
Psal. 79. 6. ter est tribulatio. *Cibabis nos pane lachrymarum*; sed cibus malus, non quia mortiferus, quin imò
Eccl. 10. 4. medicina mirabilis; *Curatio cessare facit peccata maxima.* Sed quia
Ruth. 20. amarus: *Amaritudine me replevit omnipotens.* Quādoque hæc duo mala simul reperiuntur, sicut in illo cui dixit Ieremias; *Vide quia*
Ierem. 2. 19. *malū & amarū est reliquisse te Dominum Deum tuū*; *malum* propter culpam, *amarum* propter pœnam, quæ hîc mala non dicitur, cùm aliud maius malum adsit, nimirùm culpa; sicut homo doctus in comparatione doctioris videtur ignorans.

6. Natura ergo tribulationis non bene expressa, vocando illam qualecumque malum. Quid ergo erit tribulatio? fortè dicet alius, qualiscumque res quæ afflictionem, aut dolorem affert? Nomen ipsum hoc indicare videtur, tribulatio quippe à nomine *tribulus*, qui fructus spinosus est, & pungens, ut notat S. Thomas: quod ergo nos pungit & affligit erit tribulatio. Vel ut alii volunt à nomine, *tribulum*, quod vehiculum significat, quo olim frumentum in area terebant; quasi tribulatio hominem contereret, & maximo dolore afficeret: sicuti grana dolorem sentirēt, si sensu prædita essent, dum conteruntur. Nec hæc tamen opinio rectè quadrat: contritio quippe peccatorum, nónne dolorem affert? nónne affligit? nónne lacrymari efficit? si aliquis se flagellat, & sanguinem elicit, nónne dolorem sentit? sed hæc dicemúsne tribulationem esse? certè non, quia dolor voluntariè apprehensus non est tribulatio: ab alia siquidem arbore quàm à voluntate nostra prodire deberet, ut tribulatio diceretur.

Tribulatio unde dicta.

S. Thom. supra psal. 3. col. 2.

Tribulatio non est quivis dolor.

7. Numquam advertistis ex parvis ramusculis quandoque pendere magnos fructus peponum, aut aliorum? sed quomodo parvus ramusculus tātum pondus sustinere potest? Forsitan quia fortissimus est? non, quia auferas fructum illum, & appendas aliud pondus eiusdem valoris rumpetur ramus: imò si denuò fructum affigas, sustinere non poterit. Quid sibi hoc vult? nónne idem est fructus qui primò? quomodo ergo antea eum sustinebat, jam verò non? pulcherrimum est naturæ secre-

Qualiter fructus ingens, à parvo ramusculo pendeat?

ſecretum: quod ut intelligatis, attendite: talis eſt amor patris & matris erga filios, ut omnes moleſtias pro ipſis toleratas, aut non ſentiant, aut valde leves æſtiment. Sic mater pro filio infirmo quid non patitur, quales non ſubit moleſtias? Et tamen nihil efficere videtur, in fine quoque libentiùs laborat, quàm in principio; ubi alia mediam partem laborum ſuſtinere non poſſet. Propterea Moyſes cum Deo conqueſtus, quòd illi tantum onus impoſuiſſet, dicere ſolebat: *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi porta eos in ſinu tuo?* quaſi diceret, ſi ego hanc genuiſſem, non tanti ponderis mihi eſſet illam ſufferre. Sed illam non genuiſſe & tamen ſufferre debere, intolerabile pondus eſt. Deus autem è contrà, ut monſtraret ſe numquam defatigari, dixit: *Ego feci, ego feram.* Hic affectus non ſolùm in hominibus, verùm etiam in beſtijs reperitur, & in omnibus rebus mundi ſuo modo. Videte qualiter leones, vaccæ, canes, gallinæ, aliaque animalia erga partus ſuos ſe gerant, quos labores inſumant, quomodo etiam propriô cibô ſe privent, ut illis diſtribuant. Arbores quoque licet ſenſu carentes, ſimilem propenſionem verſus fructus illarum gerunt, ut voluntariè proprium ſuccum illis ſubminiſtrent: Elementa denique eamdem ſolicitudinem gerere videntur, iuxta quippe aliquorum opinionem aqua in mari non põderat, quia eſt in proprio centro, & quaſi patri conjunctus, ideoque nullam illi moleſtiam affert.

Amor omnia ſuffert.

Num. 11. 1.

Iſaiæ 46. 4.

8. In hac verò ſimilitudine, pulcherrima differentia notãda eſt, quantum videlicet ad durationem hujus affectus, qui in hominibus multò magis durat, quouſque enim in illis eſt ſpiritus & vita, ſemper durat amor patris verſus filios. In animalibus autem ſubitò deſinit: tranſacto ſiquidem eô tempore quô filii indigẽt auxilio matris, amor & providentia materna ceſſat, nec ampliùs filii à matre agnoſcuntur. In arboribus quoque quæ imperfectiores ſunt animalibus, minùs hæc naturalis propenſio durat, quamdiu nempe fructus eſt arbori affixus. Hinc colligere poterimus, reſponſum ad dubium propoſitum, quamdiu fructus ex arbore dependet, eſt cognitus pro filio, ideoque minùs ponderat, & faciliùs portatur: dum verò unâ vice reciſus eſt, nõ ampliùs pro filio cognoſcitur; unde licet denuò appendatur, ut extraneus eſt, nec arbor ſe plus accõmodat, ut illum ſuſtineat. Propoſito ergo noſtro reſpondendo cur dolores, afflictiones, & mortificationes quas homo ex propria voluntate ſuſcipit, non vocentur tribulationes;

Diverſitas amoris in homine, & bruto.

Cur afflictio voluntaria, non dicitur tribulatio?

nes; dicendum, illas esse partem nostræ voluntatis, ideoque licet aliunde gravent, nullius sunt ponderis aut molestiæ, cùm voluntariè illas suscipimus: non merentur ergo nomen tribulationis. E contrariò, omnis minima res ab alijs, contra voluntatem imposita, ô quàm gravis est, quantum ponderat. Hinc vita religiosa adeò æstimatur molesta, & aspera, non quia multi seculares nō plus patiantur quàm religiosi; sed quia illi accipiūt onus quod ipsis placet, propriam exequuntur voluntatem, religiosis autem ab alijs imponitur. Non mirum quoque Deum parū æstimasse iejunium filiorum Israel, dicebat enim:
Isai. 58.3. *In die iejunii vestri invenitur volūtas vestra.* Iejunatis ad libitum vestrum, & non propter amorem meum, ideoque non obligor mercedem reddere.

An tribulatio sit afflictio contra voluntatem? 9. Dicet ergo alius definitioni adjūgamus, tribulationem esse aliquid quod nos affligit, contra volūtatem nostram, sicque veram esse definitionem reperiemus. Hoc etiam videtur indicare voluisse Salvator dum Petrum alloquēs illique passionem prædicens inquit: *Cùm esses*
Ioan. 21.18 *junior cingebas te & ambulabas ubi volebas, cùm autem senueris, alius cinget te, & ducet quò tu non vis:* Ecce tribulatio contra voluntatem. Sed ut mihi videtur, non plenè natura tribulationis declarata manet: si enim ita fuisset, non possemus alicui persuadere, ut voluntariè tribulationē amplecteretur: eo ipso enim quo esset voluntati conformis, non ampliùs diceretur tribulatio. Tolleretur ergo summus patientiæ gradus; sicut enim infimus patientiæ gradus est sustinere tribulationē involuntariè, quia nō possumus minùs facere, cum aliquali tamen resignatione; sic supremus patientiæ gradus, est lætari in tribulationibus, illasque desiderare; iuxta illud; *Ibant Apostoli gaudentes à* Actor. 5. 41
conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Si autem propter hanc lætitiam tribulationes desinunt esse tales, etiam patientia non diceretur talis, nec possent illam sufferentes, patientes vocari. Difficilior ergo hæc quæstio est quàm initio apparebat, nec parum efficiemus si illi respondere possimus.

10. Quid ergo erit tribulatio? fortè quia adeò obscura, nō aliud quàm nox & tenebræ? *An tribulatio sit nox, & tenebræ?* ita cū SS. Ambrosio, Augustino, Beda dicere posse; quia nomine tenebrarum in sacra Scriptura sæpè significatur; sic S. Iob. *Post* Iob 17.12.
tenebras spero lucem: post tribulationem nempè consolationem, post adversitatē, prosperitatem. S. Ieronymus quoque dicit dum in Scriptura sacra quidpiā mediā nocte factū dicitur; mysticè intelli-

intelligitur factum tẽpore magnæ tribulationis. Hæc præterea nox est S. Ioannis Climaci, in qua particulariter præcipit ut oremus; hæc est nox illa quæ juxta Prophetam Davidem in lucem mutatur, quando (ut S. Gregorius inquit) alacriter tribulationem sufferimus. Hæc est nox illa, in qua non extinguitur lucerna mulieris fortis, inquit Beda; in hac unus amicus alterum invitat, ut illi tres panes accõmodet; dicit Glossa. Tenebrę ergo & nox vocatur tribulatio; & meritò, quia tenebrę afflictionem, & mœstitiam causant, qui proprius videtur tribulationis effectus.

Climac. gr. 25.

S. Gregor. 2. Mor. 9.

Animalia in tenebris homines in luce ambulant.

11. Adjũgamus quoque pulcherrimam diversitatem in tenebris esse inter homines & bestias; quia hæ in tenebris è cavernis exire solent, & victum quærere: id attestante Propheta regio; *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ, catuli leonum rugientes ut rapiant, & quærant à Deo escã sibi.* Homines verò de die operãtur, & in tenebris ad loca sua redeunt, sic idem attestatur Propheta; *exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.* Et talis rectè diversitas est inter electos, & reprobos, qui ferarũ instar vitam ducunt; cùm sunt afflicti, conqueruntur de hoc & illo, à seipsis exeunt, consolationes in rebus externis quęrunt. Electi verò qui ut homines rationales vivunt, in tribulatione intra seipsos se recipiunt, in seipsis rationes tribulationum quærunt; ita de filio prodigo fame afflicto dicitur; *in se reversus*, rediit in seipsum priùs, & postea in domum paternam. S. Petrus quoque scribẽs fidelibus afflictis ait; *Nolite peregrinari in fervore*; nolite iter facere tempore tribulationis, in nocte denique meliùs audiuntur voces, & musica, ros è cælo cadit, calor tẽperatur, fructus maturescunt, & stellæ & luna clariùs patent. Pariter in tribulatione meliùs audiũtur divinæ inspirationes, anima disponitur cælesti gratiæ recipiendę, concupiscentiæ fervor temperatur, bona proposita executioni mandantur, & maturescunt, & favor Sanctorum, præcipuè Beatæ Virginis, tunc clariùs patet. Ex alia verò parte dici potest, quòd tenebræ visum impediant, & tribulatio illum acuat: unde dixit Jeremias: *Ego vir videns paupertatẽ meam in virga indignationis eius.* Non videntur ergo tribulatio tenebræ.

Psal. 103. 20.

Ibid. 23.

Diversitas tribulationis malorum & bonorum.

Lucæ 15. 17

1. Petri 4. 12.

Threnor. 3. 1.

An tribulatio sit ignis crucians; & illuminans.

12. Dicemúsne fortassis illam ignem esse, qui ardore cruciat, & luce illuminat? Hoc dici posset, quia in sacra Scriptura ita sæpiùs nominatur, sic David: *Probasti Domine cor meum & visitasti nocte, igne me examinasti*: sed quando David ab igne combustus fuit? numquam ab igne materiali,

Psal. 16. 3.

teriali, sed ab igne tribulationis sæpiùs, inquit S. Hilarius. S. Paulus quoque sagittas diaboli ignitas, vocat illas tribulationes, quę tentationibus conjunctæ sunt. Tribulatio est ignis ille quô purgantur peccata, & victima crematur. Ignis insignem habet proprietatē, quod similia vniat, dissimilia verò separet; ut si igni inijcias cōpositum diversorum, metallorum, liquefacta se ab invicem separabunt, & vnientur sibi similibus. Tribulatio quoque veros amicos, & inimicos probat; ubi enim in prosperitate omnes tibi applaudebant, & ad te conveniebant; in adversitate longè à te fugient, & discedent qui tibi non bene volebāt, nec conformes tuæ voluntati erant; veri tamen amici magis tibi unientur, ideò verè dictum: *Amicus certus, in re incerta cernitur.* Nec solùm hujus mundi amici, verùm etiam amici Dei in igne tribulationis cognoscuntur; unde Tobiæ dictum; *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Ab hoc igne probantur falsi amici, de quibus Salvator ait: *In tempore tentationis recedunt:* & pro veris amicis Apostoli declarantur; *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*; ignis emollit ferrum & vitrum, & lutum indurat; sic tribulatio nobiliores animas emollit, qualis erat anima Job qui dixit: *Deus mollivit cor meum*; corda verò terrena, & sordibus inquinata indurat; ut Pharaoni accidit, de quo dictum, *induratum est cor Pharaonis.* Ignis purificat aurum, & fœnum comburit, & tribulatio purificat animam, & corpus emundat: unde Propheta Isaias dixit: *Si abluerit Dominus filiam Sion, in spiritu judicii, & ardoris*: ignis omnium artium minister, unde finxerunt antiqui Minervam in maritum sumpsisse Vulcanum: ingenium videlicet igni conjunctum fuisse: & tribulatio ut ignis nos mirabiliter perficit & laboriosos reddit, teste Davide: *Pauper sum ego & in laboribus à juventute mea.* Quid autem dicimus ignem esse, cùm hic nullum fructum producere, nec fœcunditatem rebus tribuere potest, quin imò comburere, & consumere solet: at tribulatio animas mirabiliter fœcundat, juxta dictum Salvatoris bonis verbi Dei auditoribus: quod *fructum afferunt in patientia*: & alibi dicit patrem suum: *Palmitem ferventem fructum purgare, ut fructum plus afferat.*

S. Hilar. supra psal. 65. Ad Ephes. 6. 16. Tobiæ 12. 13. Lucæ 8. 13. Lucæ 22. 28. Job 23. 16. Exodi 8. 19. Isaiæ 4. 4. Psal. 87. 16. Lucæ 8. 15. Ioan. 15. 1.

13. Fortè ergo dicemus, tribulationem non esse ignem, sed aquam, quâ irrigatæ arbores, & herbæ, maiorem acquirunt fœcunditatem, & abundantiorem fructum producunt? Sic cum S. Augustino dicere possemus, sub nomine quippe aquæ à Davide figurata fuit, dum dixit: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt*

An tribulatio sit aqua? S. August. in psal. 65. Psal. 68. 2.

aquæ vſque ad animam meam. Tribulatio eſt aqua illa contradictionis, terminus terræ promiſſionis in parte Auſtrali: quia etiã poſt victoriam inimicorum reperitur teſte S. Jeronymo. Illa ſignificata eſt in aquis, quæ in unum locum congregantur, ut terra fructum reddat: recedit nempe ab homine ut ſe in operibus bonis exerceat. Illa figurata eſt in aquis diluvii, quæ animalia ſubmergebant, & arcam à terra elevabant: quia non poteſt videlicet ab imperfectis ſufferri, & clariores reddit perfectos. Illa præſignata, in aquis amoris, quæ per lignum dulces redditæ, quia ligno S. Crucis dulcis eſt reddita. Illa demõſtrata in aqua, quę in vinũ converſa eſt, quia virtute Chriſti in lætitiam convertitur: ut dicunt SS. Bernardus, Gregorius Papa, Hilarius, Jeronymus, Baſilius, & alii. Si quoque in aqua ſuffocatur, & perit, qui ſe nimiùm immergit: tribulatio doloris, & mortis ſæpe occaſio eſt. Dico inſuper: ſi radices arborũ aquâ irrigantur, illas germinare facit, teſte S. Job: *Lignum habet ſpem, ſi præciſum fuit, rurſum vireſcit, & ad odorem aquæ germinabit.* Sed ſi arbor præciſa irrigetur, potiùs putreſcet, nõ aliter animæ vivæ per gratiam, & bene in Chriſto radicatæ, tribulatione adaquatæ, fœcundiores reddũtur operum bonorum: ſed mortuæ & ſine radice virtutum deficiunt, & in prædam vitiorum cedunt. Ex alia parte aqua eſt caloris inimica, & cum igne pugnat: tribulatio è contra in amore Dei fervet, & pars eiuſdem amoris eſt juxta dictum illud: *Quos diligo, caſtigo*: quomodo ergo erit tribulatio aqua?

S. Ieron. in Ezech. cap. 47.

S. Bernard. ſuper Cantic. ſerm. 54
S. Gregor. 12. Moral. cap. 12.
S. Hilar. in Matt. c. 17.
S. Ieron. in Iſaiam c. 23
S. Baſil. in cap. 1. Proverb.

Job 14. 17.

14. Sed quid dicam tribulationem eſſe? An vinum quod calefacit, & ſymbolum amoris eſt? Sic dicere liceret, cùm à Propheta regio hoc nomine ſit expreſſa dum dixit: *Potaſti nos vino compunctionis*, & vinum furoris Dei à Jeremia appellata juxta Origenem. Nec immeritò, ſicut enim vinum ſanis gratum, infirmis nocet: ſic tribulatio à perſonis ſani judicii, volũtariè amplexatur, indeque fructum hauriunt, ab imperfectis verò vitatur. Sicut vinum bibentibus vires addit, ſic tribulatio illam ſufferentibus: *Cùm infirmor tunc potens ſum* dixit S. Paulus. Sicut vinum inebriat debiliores cerebri, ſic tribulatio mẽte excedere cogit incautos, unde dixit Iſaias: *Ebria, & non à vino.* E contrà verò optimũ tribulationi deeſt, dulcis nimirum guſtus, & lætitia cordis, tribulatio nempe amara eſt & doloribus plena, & affligit animam: non ergo vinum eſt tribulatio.

An tribulatio ſit vinũ?
Pſal. 59. 5.
Origenes in Ierem. hom. 6.
2. Corint. 12. 1.
Iſaiæ 51. 21.

15. Sed quid dicemus illam eſſe? Fortè grave pondus, quod opprimit, & cõterit, ſupra quem cadit?

An tribulatio ut grave pondus opprimit.

cadit? id dicere possemus, hoc quippe nomine in sacra Scriptura sæpiùs vocatur, quid enim aliud illæ Prophetiæ indicant: Isaiæ 13. 1. Nahum. 10.1. *Onus Babylonis, onus Ninive, onus Moab*: quàm tribulationes, & pœnas quæ supervenient illis. De hoc onere loquebatur S. Paulus juxta S. Augustinum, dū dicebat; Ad Galat. 6. 2. *Alter alterius onera portate*: adjuvate nempè vos invicem in tribulatione. Sed si pondus est dices, ergo me in terram deijciet? nequaquam, sicut enim qui pondera distribuit, vires uniuscuiusque respicit; ita Deus noster tribulationes mittit juxta vires uniuscuiusque, dicente S. Ad Galat. 6. 6. Paulo; *unusquisque onus suum portabit.* Sed quale onus? non alterius, hoc fortè nimis grave ipsi foret, sed proprium ipsi proportionatum. Si autem aliquis sub hoc onere cadat, inde est, quia jam propendebat ruinæ. Non notastis, si suprà columnam rectam erigatis aliud pondus, non solùm non cadet, sed firmior manebit, magisque stabilietur quàm antea; pari modo hoc tribulationis pondus, si te inclinatum, aut ruinæ obnoxium reperiet, rebusque terrenis inhærentem, facillimè ad terrā deijciet: si verò ad cælum erectum, firmiorem & stabiliorē reddet: ita 1. Petri 5. 10. fidelibus S. Petrus dicebat: *Modicum passos ipse perficiet, confirmabit, consolidabitque.* Non tamen negare possumus quòd pōdus non descendat, & ad terram trahat portantem, ubi tribulatio afflictum supra omnes res terrenas erigit, non ergo hoc nomine rectè explicata.

16. Quid dicemus tribulationem esse? An mare tēpestuosum, quod furentibus undis ex imo gurgite ligna effert quę sinu retinebat? *An tribulatio mare tempestuosum?* sic dicere possemus, quia mare vocata fuit à Propheta regio: *Veni in altitudinem maris.* Psal. 68. 3. Hæc est mare illud, in quod mysticus Jonas præcipitatus, ut nos omnes liberaret, inquit S. Hilarius. Hoc mare exterret anterius, defendit à latere, S. Hilar. in Matth. securos reddit posterius, uti mare rubrum Hebræis præstabat. Anterius dum timemus nos affligendos, à latere defendit dum affligimur; posterius tuetur, dum de peccatis præteritis dolemus. Hæc similitudo valde congrua est, si enim mare gustui amarū, & sensui tribulatio displicet: si in mari reperiuntur uniones, corallia, aliæque divitiæ, tribulatio divitiis spiritualibus plena: *Honestavit illum in laboribus*: dicitur Sap. 10. 10. de Patriarcha Jacob: vel ut alii legunt, *locupletavit illum.* Si ex mari sal producitur, & de tribulatione sal sapiētiæ prodit. Unde de Sapiētia increata dicitur, quod *didicit ex his quæ passus est.* Si Ad Hebr. 5. 8. mare ratione amaritudinis, se defendit à corruptione, tribulatio à morte & peccatis liberat: *Curatio faciet cessare peccata maxi-* Eccl. 10. 4. *ma.*

ma. Si per mare velociùs iter conficimus, quàm per terram & de longissimis terris, per tribulationem ad cælum brevi spatio pervenimus, medio quandoque die, ideoque bono, latroni dictum: *Hodie mecum eris in paradiso.* (Lucæ 23. 43.) Hoc tamē deesse videtur, quòd homo non sit natus ut mare sulcet, cùm sit animal terrestre; sed natus ad tribulationem, juxta dictum S. Job: *Homo nascitur ad laborem.* (Iob 5. 7.)

17. Quid ergo erit tribulatio, an panis qui est communior hominis cibus? id affirmare possem cum Glossa, cum Richardo de S. Victore, S. Augustino & alijs, hoc enim nomine à Psalmista vocata dum dixit: *Cibabis nos pane lacrymarum*, quis autem umquam audivit, lacrymas loco panis inservire? lacrymæ aqua sunt, quæ nutrire non potest, nec aliquem in vita sustinere, si dixisset pro potu inservire, bene quidem, sed pro pane, quid sibi hoc vult? An ex lacrymis & farina panis cōficitur? vel panis cōestus lacrymari facit? Meliùs vocavit panem lacrymas & tribulationem, quia maximā conformitatem cum pane habent. Sine pane vivere nō possumus, nec absque tribulatione. Panis digestus, optimum est nutrimētum, nō digestus, pessimum est; tribulatio cum patientia tolerata, maximi est meriti, sed non tolerata pro amore Dei, est multorum peccatorum occasio. Panis omnibus cibis saporem tribuit, & tribulatio efficit quòd majori consolatione fruamur. Sitis dulcem reddit potum, fames optimos efficit cibos, labor quietem gratiorem facit. Panis cibus omnibus communis, & ordinarius, qui numquā à mensa tollitur, tribulatio omnibus communis, pauperibus, divitibus, magnis, parvis, bonis, & malis, nec umquam deest: contrarium tamen est, quòd panis quæritur, eruitur, lucratur cum labore, & sudore; tribulatio verò ab omnibus, vitatur, & longissimè te[n]etur ab unoquoque quantum fieri potest.

(Glossa in cap. 16. Deuteron. Richard. de S. Victore de Arena mystica. 17. Psal. 59. 6. — *An tribulatio panis est?*)

18. Quid dicemus tribulationem esse? An vulnus contra voluntatem inflictum? possem hoc asserere, quia Deus nos vulnerare dicitur, quando tribulationem immittit; juxta illam sententiam S. Job; *Ipse vulnerat, & medetur.* (Iob 5. 18.) Nec immeritò, quia instar vulneris tribulatio dolorem affert; si vulnus carnē aperit, tribulatio mentem aperit, & hominem indicat, qualiter interiùs dispositus sit. Si vulnus illum terret, qui bello assuetus non est; tribulatio parum expertem terret; ideoque Salvator prædicebat discipulis suis, tribulationes futuras, ne advenientes timerent: *Hæc locutus sum vobis, ut cùm venerit hora eorum reminiscamini; quia ego dixi vobis.* (Ioan. 16. 4.) Est

(*An tribulatio vulnus inflictum?*)

vulnus

vulnus inimica & crudeli manu inflictum, & ab amore illatum: unde fuit dictum; *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis*, & tribulationis minister non semper odium, sed quandoque amor est: juxta dictum; *Quos diligo, castigo*. Magna tamen est differentia, quia vulnus vires omnes aufert, tribulatio adjungit; *cùm infirmor tunc potens sum* dicebat Apostolus; illud hominem impedit ne incedat, hæc velociorem in cursu ad cælos reddit: illud hominem infirmum efficit, hæc si infirmus sit illum sanat.

Proverb. 27. 6.

2. Corint. 12. 10.

An tribulatio visitatio cælestis medici?

19. Quid ergo dicemus tribulationē esse? An visitationem cælestis medici? possem hoc dicere, cum Origene, S. Isidoro, & S. Jeronymo: quia Scriptura sacra hoc nomine eam sæpiùs appellat. In psalmis David dicit: *Probasti Domine cor meum & visitasti nocte*. Et S. Job inquit: *visitas eum diluculo & subitò probas illum*. Visitatio breviter fieri solet, si enim diu moraretur visitans, videretur tecum venisse habitatum: sic tribulatio huius mundi brevis est, dicēte S. Paulo: *Momentaneum, & leve nostræ tribulationis*. Si tribulatio est signum amoris, & effectus amicitiæ; Deus noster, quia nos amat, sępè tribulationes immittit. Maximi favoris, & honoris solet esse visitatio, dum præcipuè à personis nobilioribus fit: non parvū quoque honorem exhibet Deus amicis suis, dum illos pro amore suo, tribulatione dignos æstimat. *Vobis datum est*, dicebat S. Paulus, *non solùm ut credatis in eum, sed etiam ut pro nomine eius patiamini*. Vltra beneficium fidei illum recepistis favorem, ut possitis pro nomine eius pati. Si visitatio medici consolatur, & spem sanandi infirmo tribuit; & tribulatio nos spe vitæ æternæ replet; quia, *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem*.

Origenes in psal. 3. Homil. 2. Isidorus in Levit. quæst. 18. Psal. 16. 3. Iob 7. 18.

2. Corint. 4. 17.

Ad Philip. 1. 29.

Ad Rom. 5. 3.

Si medicus infirmum visitare nolit, desperata salutis est.

20. Dum medicus non ampliùs infirmum visitat, signum est infirmitatem incurabilē esse & desperatā; Pariter cùm Deus non immittit tribulationes, signum est illum esse reprobum, & à Deo derelictum. Tales erāt isti, de quibus Propheta David dixit: *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis*; Visitationes denique præcipuorum principum, numquam sine magno lucro esse solent, quia aliquos semper recipiunt favores, gratias, aut privilegia qui visitantur. Sic Deus noster qui licet officium exequatur medici, non propterea desinit magnus esse princeps, & rex regum; ideoque neminem per tribulationem visitat, quin magnum illi favorem præstet; quia teste S. Paulo; *Faciet cum tentatione proventum*. Verùm tamen est neminem visitari, qui non

Psal. 80. 13.

1. Corint. 10. 13.

maneat firmus, imò qui vagè discurrit, sed is potiùs dicitur requisitus, aut persecutus, quàm visitatus, qui etiam se abscondit, ut non reperiatur; sed homines maximè tribulationem fugiunt, & ab illa se abscondunt, non ergo illis nomen visitationis omninò convenit.

An tribulatio animarũ venatio.

21. Quid ergo dicemus tribulationẽ esse? An venatio animarum à Deo suo fugientium? Sic dicere possem, cùm Propheta Jeremias idem affirmet: *Mittam eis venatores, & venabuntur eos:* Sicut venator canibus vtitur ut feras accipiat, qui aliã intentionem à venatore habent, illi enim eas odiô persequũtur, ut lacerent, & dilanient; venator autem non odiô, sed amore, & æstimatione illas prosequitur, vultq; potiùs vivas, quàm mortuas: sic Deus in hac venatione ministris utitur, qui te malè volunt, & odio persequuntur ut te lædant. Sed talis non est Dei mentio, quia ille protestatur dicens: *Numquid voluntati meæ est mors impii, & non ut convertatur à viis suis & vivat?* Quia verò nullum est animal quod minori tempore captum vivat, quàm piscis, cũ ex aquis sublatus subitò moriatur; ideò sub metaphora piscatorũ, Apostolos instituit ad homines convertẽdos dicens: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Vult quoque hos pisces subitò in aquas mitti, in Baptismate nempe renovari, quia non vult mortem illorum, sed salutem & vitam desiderat. Nec solùm in hac venatione feris ignoscit, sed multoties vitã tribuit, quam perdiderant. Sicut quoque in venatione temporali aliud non quærit venator, quàm propriam utilitatem, & delectationem; in hac venatione Deus utilitatem nostram quærit, nam Deus in bono nostro se delectat.

Ierem. 16. 16.

Ezechiel. 18. 23.

Marci 1. 17

In venatione Dei non fugiendum, sed ei occurrendum.

22. Quid ergo nobis in hac venatione agendũ? non fugiendum ut animalia, sed amabilis hic venator expectandus, nosque capi permittere, imò vltrò illi in prædam cedere. Felix certè esses, ô peccator, si hoc faceres! Fera es silvestris, crudelis, vaga, Deus ad utilitatẽ tuam te insequitur, inimici tui qui omnes actiones tuas observant ut calumnientur, quales esse credis: canes Dei sunt, ut advertas errores tuos, & in rete amoris eius vltrò curras. Infirmitas illa, damnum bonorũ temporalium, quid credis esse? sunt canes venatici Dei, quibus vellet amorem tuum allicere. Illa tempestas ô avare, quæ te amittere facit messem unde sperabas multos thesauros, quid credis esse? Canes venationis Dei, qui insequuntur cor tuum in bonis temporalibus perditum. Expecta ergo ô peccator hunc venatorem, expecta ô peccatrix; noli fugere,

fugere, non enim tibi mortem inferre cupit, ſed vitam. Non videtis quanta pro amore veſtro pertulerit hic benignus venator? Qualiter ſe inter ſpinas & clavos abdiderit? quomodo ſanguinem, & aquam ſudaverit, te perſequendo? Ad minus hunc amorem vos recognoſcere monſtrate.

SECVNDA PARS.

Mos insularum Balearium, tentaculum promerendi.

23. INſignis fuit conſuetudo populi inſularum Balearium, qui iactabant ſe perfectiſſimos iaculatores, & ſagittarios; ut filii eorum in arte illa præcellerent, non alium illis panem, dabant, quàm iaculis ſuis perfoſſum. Ponebant v. g. in ligno vel columna aliqua panem & famelico juveni arcum & ſagittam porrigentes, arcu extenſo & ſagittâ emiſsâ illam adeò rectè dirigere, conabatur, ut panem attingeret, niſi enim illum ſagittis deijceret, fame cruciabatur. Idem mihi natura mater intellectibus noſtris effeciſſe videtur, quorum cibus veritas eſt & particulariter veritas eſſentiæ rei; noluitque illum hoc cibô abſque labore frui, ſed inſtar arcus diſcurſum dedit, ut ſagittas ſpeculationum toties emittat, donec illam attingat: eoque modo ut cibo, proprio labore acquiſito, magis fruitur. Nos pariter multas emiſimus ſagittas, ut colliniaremus, & veritatem eſſentiæ tribulationis attingeremus, vſque modò tamen nihil efficientes, & intellectu noſtro æquè manente famelico, credo nos propriores effectos, & hac vltimâ ſagittâ emiſsâ, ſcopum veritatis attacturos.

Taliter natura nobiscum agit.

Quid sit tribulatio, ex nomine colligendum.

24. Quid ergo tribulatio eſt? ſi nomen conſideremus, quod non caſu impoſitum, ſolet quandoque rei eſsētiam indicare, aut ſaltem viam aperire, quâ illam reperiamus. Tribulatio ut dicūt aliqui, & nos ſuprà retulimus, ſic dicta ab herba ſpinoſa, *Tribulus* dicta; quia ſpinis armatis nos pungit, & transfigit; verum quidem eſt herbam hanc non eſſe fœcūdam, nec fructum aliquem dulcem, vel utilem producere, quod de tribulatione dici non poteſt. Alii dicunt derivari hoc nomen à vehiculo, vel inſtrumento, quô grana olim terebāt, & purgabant, quod *tribulum* vocabatur; ſicut enim illud mundando, & terendo granum à palea ſeparabat; ſic tribulatio affligendo à culpa mundat, ac bonos à malis ſeparat, & cor noſtrū ab omnibus terrenis ſordibus purgat; id ſimillimum eſt illi, quod S. Joannes Baptiſta dicebat: *Cujus ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam.* Matt. 3. 12. Accepit nimirum Deus ventilabrum in manu ſua, ut grana ſua emundet, & in horreum ſuum deferat, Quomodocumque hoc ſit,

ſit, ex nomine habemus tribulationem aliquid eſſe quod affligit, & dolorem affert; illud autem non ſufficit, quia flagellationes quas voluntariè excipimus dolorem afferunt, non tamen ſunt tribulationes. Adjungamus ergo quod ex rebus nos affligentibus, aliquæ à noſtra dependent volũtate, & hæ ſunt pœnitentiæ potiùs quàm tribulationes; aliæ non dependent ſaltem immediatè à noſtra voluntate, & hæ ſunt tribulationes. Non dixi eſſe contra voluntatem noſtram, quia aliquis poteſt illas voluntariè amplecti propter amorem Dei, imò deſiderare, nec propterea deſinent eſſe tribulationes; licet multum de earum vigore perdent.

Tribulatio à voluntate noſtra mediatè dependet.

25. Dixi quoque non immediatè ſaltem dependere à voluntate noſtra, quia mediatè omnes quaſi dependent. v. g. ſi talem, vel talem cibum comedas, ſcis quod caput aut ſtomachus dolebit; ab appetitu tamen vel gulâ victus, illum comedis, unde dolor advenit; an hic dolor tribulatio dicendus? Imò, licet enim à tua voluntate hoc fiat, quia voluiſti cibum illum comedere, non tamen immediatè, quia non volebas, dolorem, ſed quia volebas occaſionem unde ortus eſt dolor. Similiter conſiliarius ille ſcit, ſi apertè velit dicere quid ſentiat, erit odioſus, & perſecutus, nihilominùs debet officium ſuũ exequi; unde ſequitur perſecutio, an tribulatio iſta? imò, ſed nónne ex voluntate eius provenit? Non immediatè, quia libenter declinaſſet, ſed mediatè, quia ratione illorum noluit virtutem deſerere. Concurrere autem volũtatem mediatè ad tribulationem adeò verum eſt, ut non auferat eſſentiã eius, & nulla quaſi tribulatio invenitur, quæ hoc modo non naſcatur. Hoc clariùs intelligemus per figuram S. Crucis; cùm tribulatio rectè crux dicenda ſit.

Tribulatio per crucem formatur.

26. Notaſtíſne quomodo crux formetur? duo ligna ſimul junguntur; unde ſanctus Auguſtinus dicit illam ſignificatam in verbis viduæ Sareptanę; *En colligo duo ligna.* 3. Reg. 17. 12. Sed ex his duobus lignis, unum debet eſſe rectum, alterum tranſverſum. Ita ut ex illis crux formetur. Non aliter crux ſpiritualis, quæ eſt tribulatio, componitur: lignum rectum, eſt deſiderium illud ad optatum finem perveniendi. Lignum tranſverſum, eſt oppoſitio illa, & impedimẽtum quod reperis, nec te ad finem optatum pervenire ſinit; ex illo autem recto ligno, & hoc tranſverſo, formatur tribulatio. v.g. incepiſti ſervire alicui principi, ac gratiam eius tibi conciliare videbaris, ſperans te favorem aliquem & promotionem recepturum; hoc fuit rectum

ctum lignum, sed in maximo hujus expectationis fervore, aliquis sinistrè de te principi locutus, mali quidpiam retulit, sic gratiam principis, & favorem speratum perdidisti; hoc fuit transversum lignum, & ex his duobus tua Crux formata est, sicque tribulatio perfecta. Alter in Scholis filium habebat præclaris ingenii dotibus præditum, sperabat inde promotionem bonam, unde domus & familiæ suæ decus esset futurũ, hoc fuit rectum lignũ, sed morte superveniente ablatus, omnis expectatio, & designatio pariter interit. Hoc fuit transversum lignum, sicque ex illo recto, & transverso ligno, crux & tribulatio gravis formata fuit.

Sicut crux ex ligno recto, & transverso; sic tribulatio ex adversis,

27. Alius insignẽ bonorum suorum messem colligere statuerat; jamque pecuniam inde recipiendam, negotio utilissimo destinaverat, hoc fuit rectum lignum; sed ecce subita exorta tempestas omnia devastavit, & expectationem bonam ad nihilum redegit, & hoc fuit transversum lignum; unde ex illo recto, & hoc tranverso ligno crux & tribulatio cõposita fuit. Sicque per omnes tribulationum species investigate, & reperietis omnes eodem modo compositas. Licet enim in aliquibus rectum lignum non adeò evidenter appareat, non tamen deest; ad minùs siquidem est illud naturale desiderium beatitudinis, & fugiendi omnem amaritudinem, & dolorem, cui tribulatio adversatur. Licet quoque alicui voluntariè accipiant dolorem illum, appetitus tamen sensitivus reluctatur, sicque ex recto, & trãsverso ligno, resultat crux, & tribulatio. Clarum ergo est quid sit tribulatio, & qualiter componatur, & acquiratur.

28. Quis hîc autem non advertit exquisita documẽta, quæ hinc colliguntur? Primum, & utilissimum est, in manu nostra esse, nullam habere tribulationem; ô quàm lætum nuntium hoc esset, impatientibus, & afflictis; si crederent in manu illorum esse nullam habere tribulationem? Nullus certè erit, qui hoc credet, sed diceret, si hoc secretum, omnem tribulationem fugiẽdi, me docere possis, toto vitæ tempore tibi astrictus ero, & donabo quidquid petieris. Attendite ergo & absque vlla obligatione aut donatione, vobis demõstrabo. Numquid diximus tribulationem ex recto & transverso ligno componi? Jmò, sed rectum lignum quis constituit nisi tu? à te ergo fabrica tuæ tribulationis incipit; tu primus manum admoves, desine rectum lignum ponere, & nullus transversum ponet, sicque sine tribulatione eris. Exempli gratiâ, si honorem, aut dignitatem ambis, alter tibi se

In manu nostra est, nullam habere tribulationem.

opponet, unde tribulatio orietur, aufer tu illud rectũ lignum, ambitionem nempe, aut desiderium honoris; licet alter velit illud transversum ponere, interim dum ex parte tua non erit hoc rectum lignum, nullam crucem formare poterit. Si de tempestate quâ messis tua minatur, si de perditione bonorum, de fraude mercatorum, non cupis affligi? noli ponere rectum lignum, noli affectum in illa dirigere; noli illa destinare in usũ antequã habeas, noli spem tuam circa illa erigere; cùm enim hoc rectum lignum deficiet, crucem nemo formare poterit. Hoc est, quod magnus ille Philosophus Seneca, per regulas suas edocere cupiebat, ut hominem hîc beatum redderet; *Qui desideria sua clausit, cum Iove de felicitate contendit:* deficiente quippe desiderio deficit rectum lignum; & deficiente recto, nullum transversum haberi poterit, nec consequenter crux; atque adeò ab omni tribulatione liber erit: felix ergo & beatus dicetur.

Idem veteres probabant.

29. Nec philosophi solùm hanc veritatem intellexerunt, verùm etiam Poëtæ, quorum unus dixit: *qui non potest quod vult, velit quod potest.* Si non possis obtinere quod desideras, desidera obtinere quod possibile erit, & sufficiet tibi. Meliùs hoc declaravit solitâ suâ eloquentiâ S. Joannes Chrysostomus; qui hac regulâ probabat homini justo non posse quidquã molesti accidere; quia ab omnibus rebus terrenis abstractus, via per quam incedit, non potest illi esse impedita, quia nullus illi virtutem, nec cælum adimere potest. Sic verba eius pulcherrimè hoc referunt. *Quid enim quispiam facere possit, quô generosum virum cogat contristari? auferre pecunias? sed habet in cælis divitias: patria eijciet? sed in cælestem civitatem mittet; vincula injiciet? sed habet conscientiam solutam & exteriorem non sentiet catenam; interficiet corpus? at iterùm resurget, & sicut umbra pugnans, & aërem verberans, percutere poterit neminem. Sic & cum justo pugnans, cum vmbra tantùm pugnat, & vires suas dissolvit, nullam illi plagam poterit infligere.*

Homil. 5. ad populum Antio.

S. Petrus idem docuit.

30. Ante S. Chrysostomum S. Petrus fidelibus idẽ scribebat; *Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* quis vobis nocere poterit, si zelosi fueritis pro honore & lege Dei? Quid facies, an desunt persecutores, & infideles qui quærunt vitam auferre, & falsi fratres qui te tradent, iniqui te persequentes, latrones qui bona auferent, superbi qui te conculcabunt, iracũdi qui injuriam inferent, dæmones qui mille modis te offendent: quomodo ergo S. Petrus, inquit, *Quis est qui vobis noceat?* si dixisset si mansueti, pacifici, benigni fueritis, nullus vobis nocebit, de

1. Petri 3. 13.

hoc

Quomodo doctrina S. Petri intelligenda?

hoc nō admirarer, quia illæ virtutes hominem amabilem reddunt, etiam inimicis; sed dicere, *Si boni æmulatores fueritis*, hoc valde miror, cùm inter virtutes nulla sit, quæ majori odio habeatur, & à malis affligatur, quàm zelus, & æmulatio Dei; quia hæc non relinquit hominem in pace vivere, illum agitat, & minatur, unde Prophetæ zelosi, maximam semper sustinuêre persecutionem; non ergo videtur hæc bona monitio S. Petri: Jmò opposita videtur illi, quod promittit. Optimè tamen dixit; non quia zelosos nemo persequatur; sed quia licet à cunctis afflicti fuerint, non tamen possunt offendi; quādoquidem teste S. Chrysostomo multi quærunt lædere justos, illi tamen non læduntur, cùm res terrenas in quibus mali dominantur, nihil æstiment, quæ autem æstimant, illorum injuriæ non sunt supposita.

Voluntas nostra divinæ conformanda.

31. Secundum documētum, quô ab omni tribulatione nos liberare possumus, est; ut semper procuremus voluntatē nostram divinæ conformare: jmò adeò volūtati divinæ nostram unire, ut aliam habere non videamur. Hoc quippe modo non solùm sine tribulatione erimus, verùm etiam majori quàm dici possit felicitate perfruemur. Nulla pro nobis tribulatio erit, quis enim nescit neminem voluntati divinæ resistere posse? *Voluntati ejus quis resistit?* Si nostra ergo eadem erit cum divina, nullus voluntati nostræ resistere poterit, nullus reperiet transversum lignum, & per consequens, nulla crux pro nobis erit. Numquid insuper magna esset felicitas, eandem habere potentiam, sapientiam, & dominium Dei? sine dubio, quia haberemus bonum infinitum; cur ergo non erit eadem felicitas istius, qui habuerit eandem voluntatem Dei? An minoris perfectionis voluntas Dei, quàm intellectus, aut aliud attributum? certè non, sicut enim Spiritus sanctus à volūtate procedens, non minor est filio, ab intellectu divino generatus, sic nec voluntas, est imperfectior intellectu.

Ad Rom. 9. 19.

Deo unitur perfectâ utetur ipsius amicitiâ.

32. Perfectissimâ insuper amicitiâ cum Deo unietur, cùm vera amicitia aliud non sit, quàm *idem velle, & nolle*; amicis quoque omnia sunt communia, juxta vulgare dictum: *Amicorum omnia sunt communia*; nihil ergo erit quod suum non erit; sicut nihil est, quod Dei non est; omnium ergo erit Dominus, & quasi Deus in terra. Ampliùs dico, adeò benignus, noster Deus est, ut non se permittet benevolentiâ vinci, & animabus quæ illi voluntatem donant, ipse suam eis voluntatem tribuit: ubi quoque ipsi cupiunt divinam voluntatem in omnibus exequi,

Deus è contrà voluntatem illorum perficere gaudet; non expectans donec illi suam aperiant, aut aliquid petant, sed advertendo, quid corde desiderent. Hoc est quòd David dicebat: *Voluntatem timentium se faciet*: & sponsa in Canticis: *Ego dilecto meo*; &, *Dilectus meus mihi, & ego illi*: ego videlicet solùm cogito quomodo possim placere illi, obedire, & satisfacere; ipse verò cogitat quomodo mihi satisfacere possit; ita ut vix vlla sit differentia inter talem animam, & Deum. Cor unius dici potest esse cor alterius; imò Deum esse cor animæ justi, & animam sanctam cor Dei esse.

Ps. 144. 19. Cant. 6. 2.

Iustus cor Dei est.

33. Hinc sponsa in Canticis dicebat; *Ego dormio, & cor meum vigilat*, dilectus videlicet, & Deus meus qui cor meum est; sic hoc intelligunt Hebræorum Rabbini, Rabbi Salomi, & Rabbi Mose. Meritò quoque hoc ita intelligendum, cùm enim cor nostrum carneum sit, non potest vigilare dum reliqua membra dormiũt. Justum autem cor Dei esse, colligitur ex Genesi, ubi dicitur, quod postquam Noë gratissimum sacrificium Deo obtulerat: Deus ipsi loquebatur dicens: *Nequaquam maledicam terræ propter hominem*. Advertendum autem est in textu Hebræo legi, & *ait ad cor suũ*, videlicet Deus, ad Noë; licet quoque aliqui legant *in corde suo*, non tamen auferunt vim conceptui nostro; cùm enim Deus voluerit his verbis cõsolari Noë, oportebat eum hoc intelligere; si autem Deus dixerit in corde suo, & Noë intellexit, debebat necessariò esse in corde Dei, aut idem cum corde Dei. Dum Deus vltimis verbis spiritũ suum æterno Patri cõmendasset; quid creditis illum intendisse? S. Athanasius, & S. Anselmus, dicunt illum cõmendasse suos discipulos, & illos quos proprio sanguine redemisset; hi enim sunt anima, spiritus & cor Dei. Quomodo ergo non erunt ab omni malo liberi, & quod bonum ipsis deesse poterit?

Cantic. 5. 2.

Gen. 8. 21.

S. Athanasius oratione de humana natura.

S. Anselm. in Dialogo de passione.

34. Filius in ventre matris nihil metuere, nec desiderare debet, quia mater omnem curam in se suscipit; proprii cibi illum participem reddit, & cùm sui ipsius curam habeat, pariter curam filii habere debet. Anima quæ se Dei volũtati resignavit, quasi infans est in ventre matris. Idem habere cor infantem & matrem dicunt Anatomistæ; hinc enim sequitur appetitus maternos in corpore filiorum quandoque apparere. Idem cor cum Deo justus habet, juxta dictum regii Prophetæ; *Defecit cor meum, & caro mea, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum*. Defecit cor meum, inquit David, & diminuta est caro mea; sed hic defectus bonus fuit pro me, quia

Anima voluntati Dei resignata, ut infans regitur.

Psal. 72. 26

Deus

Deus in locum illorum successit: Deus officium cordis mei exequitur,& ipse totum bonum meum. Infans in ventre matris per vmbilicum cibatur, & non per os, unde sine defatigatione, aut ministerio dentium se nutrit. Non aliter justo se Dei voluntati resignāti evenit, sic enim per Salomonem promisit dicēs:
Prov. 3. 5. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ, sanitas quippe erit vmbilico tuo.* Quasi diceret, age cum illo ut infans, & sanitas sequetur vmbilico tuo. Quare potiùs vmbilico, quàm alijs partibus? quia cibabit te ut infans in ventre matris, per vmbilicum.

Sicut infans in utero matris sic fertur justus.

35. Infans per omnes partes à matre portatur, absque labore, aut defatigatione; pariter justi à Deo portantur, ipsomet
Isaiæ 46. 3. dicente: *Audite domus Iacob qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva.* Mater infantis sui uterini oblivisci non potest, multò minùs Deus nostri obliviscetur; clarè id testatur Deus
Isaiæ 49. 15. per Jsaiam Prophetam; *Numquid oblivisci potest mulier infantē suum? ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen nō obliviscar tui.* O quàm amabilia verba! Quis ergo non multū æstimabit, esse in ventre felicissimo Dei? Quis verò per culpam suā inde ejectus, non planget cum beato Job:
Iob 3. 3. *Pereat dies in qua natus sum.* Quis non arbitrabitur hoc præmiò bene remuneratum tantillum laborem, quem in negatione propriæ voluntatis sentiemus? ô quàm insipienter proprium sequitur cerebrum, & nobis ipsis fabricamus grauissimam crucem.

Plurima bona abrenuntiantibus promissa. Isaiæ 58. 13.

36. Propheta Jsaias idem gaudium magis extollens, dicebat: *Dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem, tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob Patris tui.* Vide quanta bona promittuntur ijs, qui non se mancipium propriæ voluntatis constituunt: *Delectaberis super Domino*, hoc primum præmium; timebas sine delectatione manere negando propriam voluntatē? perfectissimo frueris gaudio, & bibes ex vino cellarii divini. *Sustollam te super altitudines terræ*; metuebas hoc modo deprimi, & inhonorari? nulla erit in mundo celsitudo, quæ dignitatem tuam adæquabit: *Et cibabo te hæreditate Iacob.* Quæ poterit major reperiri felicitas?

Quanta infelicitas divinæ voluntati adversantibus?

37. E contrà verò, quis explicare poterit infelicitatem eorum, qui voluntati divinæ adversari nituntur. Primò quantum in ipsis est, Deum crucifigunt; *Rursus crucifigentes Filium Dei in semetipsis:* ajebat S. Paulus. Ad Hebr. 6. 6. Etenim nónne diximus, crucem formari ex recto, & transverso ligno? Dum igitur divinæ vo-

luntati adversaris, crucem formas, & quãtum in te est, Deum iterùm crucifigis. Recta voluntas Dei erat, quòd tu compatereris proximo tuo, cadẽtem sustineres, in necessitatibus subvenires, nec miserias suas, ei improperares: quid verò egisti? Adversatus es voluntati divinæ, pro eo quòd sublevare, & compati illi deberes; eũ depressisti, conculcasti, ruinam minitãtem destruxisti, injurijs affectum despexisti, & crucifixisti Deum tuum. Vidisti aliàs amicũ tuum divinitus inspiratum velle malam conversationẽ derelinquere, à mundo se abstrahere, & animæ saluti attendere; tu verò adversatus es Dei ordinationi, proposuisti diversa impedimẽta; ab incepto bono eũ revocasti, & animã illam Deô defraudasti, ac iterùm quasi crucifixisti. Et lamentaris Deum factis tuis non attendere, & tribulationes tibi immittere? Miror Deum non aperire terram, & vivum te in infernum dimittere. Sed attende bene pœnam dilatam non auferri; & in fine sive velis sive nolis voluntati Dei obedire cogeris, nec poteris, vilis vermicule, potentiæ divinæ ampliùs resistere. Resolvamus ergo amore illud efficere, quod nihilominùs vi facere cogemur; resignemus nos divinæ voluntatis beneplacito; voluntariè recipiamus, quod nobis immittit. Conformemus denique volũtatem nostram ejus voluntati, quæ semper bono nostro intenta, & directa est in hac, & altera vita, quod Deus per infinitam bonitatem suam nobis concedere dignetur. Amen.

Quàm malum sit aliquem à via salutis avocare?

DIS-

DISCVRSVS SEPTIMVS

Quæ inter omnes humanæ vitæ tribulationes, sit maxima, qualíque modo vitanda.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Philosophi antiqui cælestia indagantes, humanæ miseriæ oblivifcebantur. num. 1. 2. 3.

Quomodo majorem vitæ nostræ tribulationem cognoscemus? num. 4. 5. 6.

An mors major sit tribulatio? num. 7. 8. 9. 10.

An dedecus, & infamia major sit tribulatio? à nu. 11. *vsque ad* 15.

An paupertas major tribulatio? num. 16. 17. 18.

An morbus, & dolor major tribulatio? num. 19. 20. 21. 22.

An invidia major tribulatio? num. 23. 24. 25.

An cumulus miseriarum major tribulatio? num. 26. 27.

Nulla major tribulatio, quàm cruciatus malæ conscientiæ. à num. 28. *vsque ad* 32.

Bona conscientia quanti facienda? num. 33. 34.

Vniversa mala, cum mala conscientia non sunt æstimanda. num. 35. 36. 37.

Pro nulla re mundi bona conscientia perdenda. num. 38.

Conscientia bene disposita, cuncta bona erunt; malè autem disposita cuncta mala evenient. num. 39. 40. 41.

1. DOCTA Græcia tot olim præclarissimis, ac sapientissimis viris excelluit, ut inter illos, septem toti mundo celebres, quasi oracula haberentur, inter quos propter præclara sapientiæ suæ dicta, & facta, facilè principem locum obtinuit Thales Milesius. Casus tamen illum stolidum & incautum parere fecit, dignũque qui à vetula ludibrio haberetur. Nocte siquidem serenâ, fronte elevatâ, mente oculisque mundi fastigium, vagas errantium siderum figuras, cælestium ignium dispositiones & fulgentem stellarum exercitum contemplans; admirabili illorum fulgore, motuumque diversitate quasi extra se raptus; non advertit ante pedes suos foveam luto sordibusque repletam; unde incauta movens vestigia, in illam incidit; dumque se inter sidera versari crederet,

Thales Milesius cælum contemplãdo in foveam incidit.

crederet, intra terræ sordibus abscondi se reperit. Vetula autem hoc conspiciens, illum deridendo dixit; O stolide, & insipiens, quomodo te secreta cælestia penetrare credis; si terræ foveam ante pedes tuos cognoscere nequiveris?

Antiqui philosophi cælestia indagantes terrenorum obliti fuerunt.

2. Sed verè dicamus, hunc errorem nõ Thaleti Milesio solùm, verùm etiam cunctis veteribus philosophis, & astrologis adscribẽdum; cælestis quippe beatitudo, & summum hominis bonum, quod extra cælum reperiri non potest, splendissimum cælum verificari posset, cùm universa bona in se contineat; quia, *Est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Instar quoque profundæ foveæ, summa hujus mundi miseria, & extremum malum apparet. Sed quid egerunt antiqui sapientes? singuli hominum beatitudini adeò fuêre intenti, ut vix vllus fuerit, qui extremam eorũ miseriam contemplaretur. Considerabant longissimè à se dissita; & ob oculos posita, non intuebantur. Summâ diligentiâ bonum numquam ab eis assequendum investigabãt; & oculos ab eo malo avertebant, in quod certissimè casuri erant, vel jam ciderãt. Nulla siquidem quæstio frequẽtiùs agitata, nec famosiùs divulgata, quàm de hominis beatitudine. De hac agit Aristoteles in suis moralibus, de hac Marcus Tullius in libris *de finibus*; de hac Seneca particulari libro *de beata vita*; de eadem quoque fusè scripsit M. Varro, alijque plurimi ut S. Augustinus refert, miseriæ autem humanæ, aut majoris tribulationis, videbantur penitùs obliti, nec de illa cogitare, sed tacitùs præterire censebantur.

Curm huma atten

3. Quid verò hoc sibi volebat? An sermonem ejus uti de re mœsta abhorrebant? vel arbitrabantur felicitate cognitâ, pariter contrarium ejus, quæ est summa miseria, cognosci debere? vel illam ut per se evidentem præsupponebant? vel putabant hominem ad beatitudinẽ, non ad miseriam creatũ posse, ideoque de beatitudine solùm, ut de fine ejus naturali, & non de miseria, quæ extra intentionem erat, discurrere voluerũt? Quomodocumque hoc evenerit, nos qui de tribulatione sermonem instituimus, hanc quæstionem jure meritò indagare possumus. Quandoquidem autem hucusque inquisierimus quid tribulatio sit, meritò ab essentia ad quantitatem transgredi poterimus, magnitudinem ejus considerando, & declarando, quæ major possit esse tribulatio, quam homo in hac vita sufferre posset.

Quomodo majorem tribulationem mundi cognoscimus?

4. Dicet verò quispiã, qualiter hanc comparationem instituere, & justam ferre sententiam

tiam poterimus? Qui multa simul æquiparare cupit, oportet illum singulorum habere cognitionem; qui verò unam rem solam cognoscit, illã solam, non autẽ alias dijudicare potest. Ideoq; S. Iob dicebat: *Nónne auris verba dijudicat? & fauces comedentis saporem?* Quasi diceret, unaquæque potentia suum objectũ judicat, & non alterius; Auris saporem dijudicare nequit, neque lingua sonum, nec oculus odorem: ideoque Philosophi internam potentiam, unum objectum ab alio discernentem, & comparationem diversarum rerum à sensibus perceptarum instituentem, sensum communem appellabant; bene intelligentes, quòd si ipsa ut Judex non audiret unam sicut aliam partem, non æquè dijudicare posset, sed cæco modo progrederetur. Ut ergo judicaremus qualis inter tribulationes, sit maxima, oporteret omnes expertas fuisse: nullus tamen de hoc se jactare posset, nec adeò longa, & durabilis est vita nostra, ut omnium tribulationum capax esse possit. Solus Christus Salvator noster, ut nostræ infirmitati compateretur, omnes in se suscipere voluit; teste S. Paulo; *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, &c.* Non alius ergo illô exceptô, rectam hujus quæsiti sentẽtiam ferre poterit.

Iob 12, 11.

Ad Hæbræos 4.15.

5. Natura nobis certam speciem perspiciliorum in amore proprio indidit, quæ ab invidia formata videntur, ut bona alterius & tribulationes propriæ, majora appareant, quàm sint. Quantùm ad bona; Ecce David à puellis laudatur, & cùm laus sit in se vana, maximẽ ab ore puellarum procedens, quæ sæpiùs absque cõsideratione quid proferunt, ideoque tantò minor æstimanda, idque potissimùm in rebus bellicis, de quibus puellæ nullam praxim, vel scientiam habent; nihilominùs tanta res apparebat Sauli, cùm esset in persona alterius, ut invidiâ succensus diceret: *Quid ei superest nisi solum regnum?* Sed quid? An David divitiis regalibus abundabat? An exercitus paratos habebat? An procerum regni favorem assecutus erat? Nihil eorum, sed simplex erat applausus virginum, & puellarum; quem perspicilia invidiæ Sauli magni quid apparere fecerant. Clariùs in libro 3. Regum; Adonias filius David per Bethsabeam matrem Salomonis, sibi Abisag Sunamitidem iuvenculam, in sponsam dari postulat; Quomodo id exposuit? *Petitionem unam paruulam ego deprecor à te.* Salomoni verò qualis hæc petitio apparebat? adeò magna, ut zelotypiã status sui conciperet, diceretque matri; *Postula ei & regnum.* Qualis est hæc consequẽtia? An regnum Israel

Bona alterius & tribulationes propriæ majora nobis videntur.

1. Reg. 18. 8.

Invidia universa multò majora efficit.

3. Reg. 2. 20.

Iſrael dos erat hujus juvenculæ? certè non. An ex ſtirpe regia orta? ne quidem; quid ergo regno cum his ſponſalibus? perſpicilia hæc erant ambitionis, & invidiæ, quæ rem parvam, adeò magnam apparere faciebant.

6. Phariſæi vident Chriſtum comitatum pauperibus piſcatoribus, & quid dicunt? *Ecce mundus totus poſt eum abijt*: duodecim piſcatores pauperes ſunt totus mundus? ô admiranda perſpicilia! Non aliter aulicus, videns principem ſecretò aliquem alloqui, ſubitò intra ſe dicit, hic omnem gratiam principis poſſidet. Si mulier quampiam meliùs ornatam, aut à marito dilectam videat; illam beatam prædicat, aſſerẽs maritum illi omnia præſtare quæ deſiderat. Quid ſibi hoc vult? ſunt perſpicilia quæ minimam proſperitatem, magnam apparere faciunt. In malis autem contrarium accidit; alterius quippe minora videntur, noſtra verò majora. Lamech ignorãter occidit Cainum, poſtmodum errorem advertens, dicit domeſticis; *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties*. Hic locus difficillimus apparet, & verè ſic eſt; quia nec peccatum Lamech majus fuit peccato Caini, ut majorem mereretur caſtigationem; nec apparet quomodo hoc dictum verificatum fuerit, cùm neſciamus Lamech particulari pœnâ pro homicidio punitum fuiſſe. Expoſitores S. Scripturæ, varia dicunt, propoſito noſtro incongrua, ſi mihi tamen quod ſentio, dicere liceret; dicerem nõ fuiſſe majorem pœnam Lamech, quàm Cain, ſed perſpicilia amoris proprii talem apparere faciebant. Nec hoc extraneum cuipiam videatur, quia Prophetis quoque moris erat tribulationes exaggerare, & præſentes præteritis præferre; ſic Jeremias; *Major effecta eſt iniquitas populi mei, peccato Sodomorum*; & alibi inquit; *Attẽdite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Joel quoq; ſic ait: *Audite ſi nũquam factum eſt iſtud in diebus veſtris, vel in diebus patrum veſtrorum.* Unicuique denique ſuum malum majus omnium videtur: unde notat Ariſtoteles primo moralium, quod unuſquiſque reputet cõtrarium mali ſui ſummum bonum; infirmus, ſanitatem; pauper, divitias maximè æſtimat, ſicque de aliis. Quid ergo nobis efficiendum, ut veritatẽ hujus litis aſſequamur? Neceſſe mihi videtur, ut ſeorſum relinquamus proprium judicium, & bilãce rationis, quantum poſſibile erit, ponderemus majoris tribulationis gravitatem, ut inveniamus quæ magis ponderet.

7. Hic mihi primò occurrit opinio multorũ, quæ majorem hujus mundi tribulationẽ, mortem aſſerit: juxta vulgare dictum;

Ioan. 12. 19.

Mala alterius minora, noſtra majora apparent.

Gen. 4. 24.

Lamech quomodo dicatur punitus?

Thren. 4. 6.

Ioel. 1. 2.

An mors major ſit tribulatio?

ctum;

ctum; *Omnium terribilium, terribilissima est mors.* Cato Censorius cùm ex Africa cum exercitu suo Romam venisset, multi ipsum convenerunt, ut valorem militum cognoscerent, & exhibēdo illi nunc hunc, nūc illum, omnes parum se æstimare monstrabat, dum verò Scipionem, Africanū posteà dictū, nominarent; dixit: *Ille solus sapit, volitant alii velut vmbræ:* Quæ maxima certè exaggeratio fuit, vmbra enim simplex & nuda privatio est, apparētiam corporis, & personæ habens, nihil tamen reale continens; ita ut omnes alii in comparatione Scipionis nihil erant. In exercitu ergo tribulationum quæ hominem oppugnant, Scipionis instar mortem esse puto, alias verò vmbras, apparentiam quidem tribulationis habentem, re verâ tales non esse. Non hæc judicii mei excogitatio, sed SS. Patrum sententia, quibus frequens est hæc locutio vmbra mortis, pro tribulatione; nec omnes tribulationes, sed majores & graviores hoc nomine solùm appellantur, & magna apud illos exaggeratio est: sic David; *Si ambulavero in medio vmbræ mortis*, si videlicet in medio tribulationum fuero: & Zacharias in cantico suo dicebat: *Illuminare his qui in tenebris & vmbra mortis sedent.* Ita, quantò tribulatio aliqua major effecta, tantò magis abest, à comparatione mortis, & pro favore æstimat eius vmbrā, vocari posse. Quantò ergo magis comburit ignis quàm vmbra eius, & quantò magis gladius, quàm vmbra eius vulnerat; tantò præ omnibus pejus est, & magis cruciat tormentum mortis.

Aliæ tribulationes morte exceptâ, vmbræ sunt.

Psal.22.4.

Lucæ 1.79

8. Parum dixi, non solam mortem, aut vmbram eius esse terribilem, verùm etiam sola mortis memoria, aut imago omninò tremenda, & amara est. Dicere solemus memoriā præteritarum tribulationum iucundam esse, iuxta Propheticum dictum; *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Sed mors adeò est terribilis & doloribus plena; ut etiam memoria eius displiceat, & hominem cōtristet. Hoc præclarè testatur qui mentiri non potest, Spiritus sanctus per os Salomonis dicens: *O mors quàm amara est memoria tua.* Dices fortassis, memoriam intelligi futurorum, & non præteritorum; sit ita, hoc quoque in favorē meum cedit; omnes enim Philosophi dicunt, memoriā præteritorum esse, & non futurorum, unde dixit Ecclesiastes; *Non est priorum memoria*, non verò dixit non est futurorum, nullus erit qui tali modo loquetur, recordor istius quod faciā, sed istius quod feci. Sed mors numquid omnibus futura? quare ergo est objectum memoriæ? scis quare? primò,

Sola mortis memoria terribilissima.

Psal.89.15.

Eccli. 41.1

Eccl.1.11.

Vtrum memoria sit futurorum vel præteritorū?

quia res futuræ sunt semper incertę, præteritæ certissimę; mors licet futura, certissima tamē est, ideoque recordatio eius vocatur memoria. Pulcherrimus insuper modus apud Hebræos, aliquam rem exaggerandi est, applicare diversa verborū tempora inter se incōpatibilia; v.g. præteritum, & futurum: in Exodo, ubi nos legimus; *Ego sum qui sum*; in Hebræo habetur: *Ego sum qui ero*: & Moysi Deus dixit; *Miserebor, cui misereor*: sum videlicet totus misericors, & misericordia est mihi per essentiam. Pariter mors est amarissima, & amaritudo per essentiam; ideoque repræsentatur cum amaritudine non solùm futura, verùm etiam præterita; & dicitur: *O mors quàm amara est memoria tua*. Unde etiam Dæmon cum Deo loquens non fuit ausus mentiri, sed verè dixit: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua*. quasi diceret, divitias, & filios & quantum possidet, dabit pro vita sua, omnemque tribulationem amplectetur, ut non perferat illam mortis quæ omnium pessima.

Exodi 3.14

Ad Hebr. 9.15.

Eccli. 41.1.

Mors summa videtur tribulatio.

9. Morti igitur hic primatus debetur, inter omnes tribulationes. Necdum tamen feramus sententiam, quia plurimi contrariæ opinionis fuerunt, quos audire oportet. Thales Milesius dixit mortem adeò bonam esse, ut vitam, cùm ambæ, naturæ filiæ; uni quoque dicenti, si æquè bona est mors ut vita, cur non moreris? Respondit prudenter, per hoc rectè, quia una æquè bona ut altera, non est conveniens, ut relinquam illam quam bonam experior, pro illa quam nondum habeo, aut expertus sum. Seneca cum aliis multis dixit mortem nec bonam, nec malam; *Mors nec bonum, nec malum est*: unde rectè argumentabātur, anima vel mortalis, vel immortalis est, si immortalis, ergo potior hominis pars non moritur; imò mors potiùs transitus dicenda, quàm mors; potiùs mutatio, quàm terminus vitę: si anima mortalis; ergo nec sensus remanet, nec dici potest hominem potiùs malè quàm bene esse. In Thessalia moris erat, mortem amicorum festivis gaudiis extollere; nativitatem verò luctuosis ritibus excipere; factis non verbis exhibendo mortem vitâ meliorem esse.

Mors bona desideranda videtur.

Seneca in consol. ad matrem, cap. 19.

10. Sed quid de Thessalis loquor? numquid apertè dixit Sapiens: *Melior est dies mortis die nativitatis*? quia ille finem cunctis hominum miserijs, hic verò principium ponit. Ecclesiasticus autem quasi verba Salomonis explicans, dixit: *O mors bonum est judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus defecto ætate, & cui de omnibus cura est, & incredibili qui perdit patientiam!* Quasi diceret, bona est mors,

Mors vitâ melior.

Ecclesi. 7.2.

Eccl. 41.3.

mors, non quia bonum aliquod ſecũ adfert, ſed quia multorum malorum finis. Non ergo maxima tribulatio, cũ reſpectu aliorum, illa bonum æſtimetur. Quare ergo adeò timetur? Reſpondeo, quandoque hominem robuſtum ac fortem timere vilem, ac pavidum; non quia ipsô validior, ac fortior, ſed quia ille multis comitatus, hic verò ſolus; unde ortum Proverbium; *nec Hercules contra duos*. Pariter mors ex ſeipſa vilis & abjecta, privatio, & ferè nihil; ſed quia tot doloribus comitata, ab unoquoque timetur: ſicut dum rex cum exercitu venit magis timetur, juxta dictum S. Job: *Calcet ſuper eum quaſi rex interitus*; ſi ſola veniret, quaſi ſomnium eſſet, nullùs illam metueret.

Cur mors timeatur?

Iob 18, 14.

An dedecus ſumma tribulatio?

11. Si mors ergo non ſit maxima tribulatio, quænam erit? An dedecus fortè? ſic multi crediderunt; vidimus ſiquidẽ propter minimam honoris læſionem, omnia cõturbari, & vitam omnium exponi. Sic generoſi Machabæi dicebant: *Moriamur, & non inferamus crimen gloriæ noſtræ:* notandum verò illos nõ dixiſſe; *Non inferamus maculam*, ſed *crimen*: & dicere volebant, tãtum æſtimamus gloriam noſtram, ut non tantùm velimus committere aliquid quod illam maculet, ſed quod ne quidem ſuſpicionem ingerat; nõ ſolùm per quod illa ſit condemnata, ſed ne quidem accuſata; juxta quod Julius Cæſar dicebat, uxorẽ ſuam non ſolùm à culpa, verùm etiam à ſuſpicione liberam eſſe debere. Inter venena illud magis æſtimatur mortiferum, quod in minore quantitate effectũ præſtat, & vitam tollit; ſi enim in magna quantitate ſumendũ eſt, ſignum eſt parvam habere virtutem, cùm multitudo vires tribuere debeat. Pariter inter tribulationes illæ majores æſtimandæ, quæ minori quantitate conſequuntur effectum, & hominem paucis multùm vexant. In his credo tribulationẽ quam aliquis in honore patitur facilè ſuperare; in alijs omnibus parva vix æſtimantur, ſi de perditione bonorum agitur, dum parum amittitur, quis de eo contriſtatur? Levem capitis dolorem nullus æſtimat; parum frigoris aut caloris quis averſatur? Quando autem de honore agitur, nulla eſt offenſio adeò parva, quam homo non ſentit, illumq; totaliter perturbet. Numquam advertiſtis quãdo eſt pax inter aliquos componenda, in quo tota difficultas conſiſtat? In reparatione honoris; honorem meum attigit, non poſſum illi ignoſcere; ſed unde tantus rumor in re tam parva; tantum te attigit? credebam te per latera transfoſſum, aut membrum aliquod præciſum; quia verò te in honore tantùm attigit, tanta indignatio?

1. Machab. 9. 10.

Perditio honoris maximè æſtimatur.

dignatio? si personam meam læsisset, inquies, non ita curarem, sed honorem meum lędere, sufferre non possum.

Quãtò quis honoratior, tantò magis honorem æstimat.

12. Amplius est, quòd ubi prosperitates alijs tribulationibus contrariæ, solent majorem habere vim (quantò siquidem aliquis est ditior, tantò minùs sentiet parvum pecuniarũ damnum, & quantò sanior, tantò minùs parvam infirmitatẽ æstimat) in materia honoris, contrarium accidit; quantò enim aliquis est honoratior, tantò magis minimum dedecus æstimat, & magis illum affligit, & cruciat; nec illum honore acquisito frui permittit. In Aman totum experiẽtiâ clarè patebit, cùm enim in magno Assueri Regno honoratior esset, ita ut ab omnibus ut Deus adoraretur; eò quòd tamen solus Mardochæus non genuflecteret ut omnes alii; tantus illi dolor erat, & afflictio, ut nihil habere videretur; nullâ suâ felicitate frueretur; seque vilissimum totius mundi æstimaret. Ut autem Mardochæus ab oculis eius efferatur, vult Assuero Regi solvere sex milliones auri; quantam igitur vim parvum dedecus in corde humano exercet?

Minima honoris perditio, summa tribulatio est.

13. Nec solummodò parvum dedecus superatur à magnitudine honoris, aut aliorum bonorum; sed ne quidem à magnitudine tribulationum: natura tamen harum talis est, ut major tribulatio efficiat, ne sentiatur minor. Qui vitam amittit, parum curat, utrum facultates perdat, hæc siquidem minor tribulatio, à majori superatur. Diabolus omnium astutissimus, volens Job maximè affligere, nõ à majoribus tribulationibus incœpit, tunc siquidem non sensisset minores; non primò filios ademit, posteà quippè non curasset perdere bona; sed à minoribus incœpit, primò illum divitijs spoliavit, posteà filios ademit, ultimò sanitatem abstulit, ut unumquodque vulnus plenam haberet efficaciam. Perditio verò honoris tanta est, ut nulla tribulatio sensus obtundere sufficiat, ut illam non sentiant. Sauli ex parte Dei minatur Samuel, perditionem regni: *Scidit Dominus regnum Israel à te?* Maxima tribulatio; quid ait Saul? *Honora me saltem coram senioribus Israel.* Non dicit, conserva filios meos, permitte mihi aliqua bona, sed quod illum premit, est honoratũ esse. Clariùs adhuc in ipso Saule; amittit prælium contra Philistæos, totum exercitum perditum conspicit, nulla spes vitæ servãdæ superest, chariores amicos se perdidisse videt; in hac tamen summa afflictione quid illi magis cordi? Honor, prę timore quippe ne à Philisthæis occidatur, aut illudatur, imperat armigero suo ut se occidat; illi verò animô

1. Reg. 15. 28.

Ibid. 30.

Mors potiùs eligenda, quàm perditio honoris.

animô deficiente, propriô gladiô pectus transfigit, sicque moritur. Non mirum ergo S. Chrysostomum dicere, multos, dum honoratè vivere non possunt, seipsos propriis manibus occidere; *Multi etiam ad laqueum convolarunt, famæ opprobria non ferentes.* Item de S. Job, inquit, inter omnes tribulationes nullam ipsi majorem fuisse, quæ cor eius magis transfixit, quàm sinistra opinio amicorum de eius vita: *Perfacilè, inquit, cuncta superavit,* (Job) *ubi verò exprobrare sibi amicos atque insultare vidit, & malignam illam de se existimationem fovere, tunc demum utique turbatus est, ille vir maximus, ille fortissimus.* Ut denique palmam tribulationi huic tribuamus, concludit S. Chrysostomus hanc materiam, dicendo: *Nescio quomodo omnibus rebus amariùs solent mordere maledicta.* Ejusdem opinionis Philistæi fuisse videntur, qui dum Samsonem capitalem illorum inimicum, cepissent; non pietate moti in vita conservarunt, sed ut illi tormentum morte pejus inferrent; ut nimirum illum deridendo, blasphemando, & injurias inferẽdo vitam finire cogerent. De quo ita inquit Tostatus: *Non reputabant impletam vindictam, si eum occiderent, ideò conati sunt accipere eum vivum ad illudendum ei.*

S. Chrysost. hom. 15. supra Matth.

Tostatus libro 9. in cap. 16. Judicum.

Diversitas pretiorum

14. Magna ergo tribulatio infamia est; num majorem reperiri poterimus? Affirmare vix audeo, quia pretium honoris, ut pretium gemmarum esse videtur: ergo dices, ingens erit pretium honoris, verum est. Particularem tamen differentiam inter pretiũ rerum, quæ ad victum pertinent, ut sunt grana, panis, vinum, oleum, &c. & pretium gemmarum notare licet; illud à lege vel Magistratu constitui solet; hoc verò in arbitrio cujusque relinquitur: numquam statuitur, Adamãtem, aut unionem tanti vendi oportere. Quænam autem hujus diversitatis ratio? An non ita pretio gemmarum decipere possunt, ut in pretio victualium? Certè ita; cur ergo non statuerunt pretium? ratio est, quia panis, & vinum sunt res ad vitæ sustentationẽ pertinentes, quas omnes emere debent, ideoque princeps bonum commune respiciẽs, pretium statuit, ut nemo remaneat qui propter exaggerationem pretii illa emere non possit. Gemmæ verò non sunt res necessariæ, ab ijs tantùm emuntur; qui pro gustu illas desiderant, valeant quãtum valere possint: quidam illas pluris æstimat, quidam minoris: ita ut pretium illarum in existimatione nostra dependeat. Pariter in rebus mundanis contingit, aliqua sunt necessaria, & habent pretium determinatũ, valorẽ suum secum adferunt, talia sunt sanitas, vita, amici, bona temporalia.

inter victualia, & gemmas.

15. Ho-

Honor tantum valet, quantum æstimatur.

Prov.26.8.

15. Honor verò instar gemmarum est, tantum valet, quantum æstimatur, teste Sapiente: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, sic qui tribuit insipienti honorem.* Hic locus difficilis æstimatus est, quia non scitur quem ad finem ponatur nomen Mercurii: aliqui dicunt significari, tantum malum esse honorare, & dignitatem tribuere ignoranti, quantum committere peccatum idololatriæ, adorando Mercurium, quod fiebat mittendo lapidem in acervum lapidum, ipsi dedicatum. Alii dicunt per hūc acervum Mercurii intelligi certa signa mercatorum, quibus pecuniam numerant; & quod dignitatem tribuere ignoranti, tantum est ac lapidem rudem iacere inter alios lapides qui quasi docti aliquid significant, aut numerum indicant. Textus verò Hebræus, nos ab hoc dubio liberat; quia loco Mercurii, ponit unionem, dicens: *Sicut qui mittit lapidem in acervum margaritarum, sic qui tribuit insipienti honorem:* sensus autem est, quòd sicut malè facit, qui vilem lapidem inter uniones, & gemmas pretiosas ponit; sic meretur blasphemiam, qui ignorantem inter doctos collocat; quia aliud non est, quàm lapis rudis; iuxta dictū Philosophi, qui interrogatus à Patre, quidnam lucraretur filius eius si Philosophiæ studeret; respondit, quod exprobrari illi non posset dum sederet supra petram, una Petra super aliam sedet. Lapis rudis ergo est indoctus, & hic inter gemmas ponitur, dum in gradu, & dignitate collocatur; ita ut dignitas, & honor aliud nō sint, quàm gemmæ pretiosæ, pulchræ aspectu, sed quæ tantū valent, quantum æstimantur. A multis tanti fit honor, ut pro illo vitam darent, ut olim Romani; ab alijs vilipenditur, sicut ab Epicuro, qui dicebat: *Sic vive, ut te vixisse nemo sciat.* Ab aliquibus vocatus est honor, idolum vagum, sine subjecto: ab alijs umbra & fumus, re verâ autem apparet, illum veluti gemmas esse, pulchras aspectu, sed ad nihil aliud utiles: quia nec ad famem tollendam, nec ut se quispiam à frigore aut nuditate defendat, nec alicui necessitati inservire potest. Rectè ergo dixit Sapiens: *Melior est pauper, & sufficiens sibi, quàm gloriosus, & indigens pane:* & Ecclesiasticus: *Melius est qui operatur, & abundat in omnibus; quàm qui gloriatur, & eget pane.* Iuxta sententiam ergo horum sapientum, melius est abundare rebus necessarijs, quàm multùm honorari; & minùs malum est, privari honore, quàm pane. Sicut denique bonum est possidere gemmas, non tamen magnum est malum illis privari: sic in honore esse, multùm æstimandum, sed sine honore seu dignitate

Quis sensus hujus sententiæ.

Ibidem.

Honor apparenter bonus.

Prov.12.9.

Eccli.10.30.

tate esse, non multùm dolẽdum.

An paupertas summa tribulatio? 16. Qualis ergo erit maxima tribulatio? An paupertas quæ hominem necessarijs privat? ingens hæc certè malum, imò calamitas maxima, morbi siquidem quò tendunt? Ad pauperes, & Xenodochia; injuriæ, contemptus, quos afficiunt? pauperes: nullus illos aspicere potest, ne quidem proprii fratres & amici: *Fratres hominis pauperis*, inquit Sapiens, *oderunt eum: insuper & amici procul recesserunt ab eo.* Prov. 19. 7. Quantò denique opibus pauperior, tantò ditior in miseria. Ut quis dives evadat, non est melior modus, quàm multùm lucrari, & parum expendere; & quò minùs expendis, eò melius. *Pauper ditissimus in miseria.* Pauper ergo est ditissimus in miseria, quia multum recipit, & nihil expendit: divites licet calamitates, & miserias recipiant, multas quoque expendunt; si injurias recipiunt, vindictam retribuunt; si infirmẽtur, optimè curare se norunt: *Non est firmamẽtum in plaga eorum*, quia subitò se curant. Psal. 72. 4. Pauper verò cùm omnia mala, & calamitates recipiat, nulla expendit, sed universa sibi retinet: *Dives*, inquit Sapiens, *injustè egit, & fremet; pauper læsus tacebit:* Eccli. 13. 3. dives injuriam alteri inferet, & bene fecisse videbitur; pauper lædetur, & calũniabitur, quid faciet? tacebit, afflictionem illam intra se retinere, nec vicem rependere oportebit: ita ut in miserijs & calamitatibus ditissimus evadat.

Pauper panis divitum, subitò devoratur. 17. Inter reliquos cibos nullus majori periculo expositus, ut dentibus conteratur, & comedatur, quàm panis, qui cibus ordinarius est, nec umquam derelinquitur. Cognoscere verò posses, quis sit panis divitum? Pauper, si pecuniâ indigeant, quis eã reperire debet? pauper; si tempestas ingruit, quis patitur? pauper, si delitijs & voluptatibus se dare velint, cujus expensis id peragunt? pauperum. Unde Psalmista de ijs lamentando dixit: *Qui devorant plebem meam sicut escam panis*; Psal. 13. 4. devorant populum ut panem, non ut carnem, quia in ea ossa resistunt; non ut piscem, quia in eo spinæ impediunt; sed ut panem, de quo nihil timetur, & securè manducatur, sine vlla resistẽtia. Non sicut fructus, qui certo anni tempore comeduntur; & quod pejus est, in pane vix vllus gustus sentitur, propter necessitatem, non propter gustũ manducatur. Hi verò nullũ videntur sentire gustum, nisi dum pauperem devorãt; de quibus Abacuc Propheta dicebat; *Exultatio eorũ, sicut eius qui devorat pauperem in abscondito.* Abacuc 3. 14. *Pauper summo gustu à divite devoratur.* Ut ingentem exhiberet lætitiam, non aliam novit invenire similitudinem, quàm divitis pauperem devorantis. Sicut dum quispiam gustosum reperit cibum, in abscondito

illum comedit, ne ab aliis repertus, teneatur illos participes reddere. Talem pariter gustum sẽtit avarus in comestione pauperis, ut illum abscondité comedat, nolens quempiam id scire, ne de manibus illum rapiat, aut ne ex substantia eius teneatur advocatis aut judici partem dare. Quod autẽ pejus est, sicut animalium quæ mẽsis adferuntur, comeduntur carnes, ossa autem superflua proijciuntur canibus: sic ne pauperibus quidpiam remaneat, partem quam ipsi consumere non possunt, canibus & equis suis donant: quia expensis pauperum illos alere volunt. In Evangelio legimus non sine mysterio canes divitis epulonis, linxisse vlcera mẽdici Lazari: sed ut doceamur, pauperes propriô sanguine quãdoque oportere pascere canes, & expensas superfluas eis subministrare. Tantũ denique malum est pauperem esse, ut Cicero existimarit (licet impiè) opus misericordię fore illum mori permittere, ut à tantis miseriis morte liberari possit. *Malè meretur*, inquit, *de se, & de paupere, qui illi cibum & potum tribuit: nam & quod dat perdit, & vitam ejus in miserijs perducit.*

Cicero lib. de Officiis.

Paupertas non major tribulatio.

18. His tamen positis, dicere non audeo, paupertatem majus malum esse: licet enim tales ab hominibus despiciantur, & vilipendantur: videmus tamen Deum particularem illorũ providentiam gerere, & sæpiùs hoc exiguum quod possident, illis plus proficere, quàm omnes opes divitibus: juxta dictum Prophetæ regii: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* S. Augustinus refert, dum quadam vice ad Imperatorem pergeret anxius, & solicitus ut orationem quam mente cõceperat, rectè proferret: vidit pauperem in via omninò hilariter jubilantem, unde sanctâ quadam invidiâ stimulatus, dicebat comitibus suis: *Quàm nos cum tanto studio & labore securam lætitiam affectamus, ad eam miser ille jam pervenit.*

Psal. 67. 11.

S. Aug. lib. 6. Confess. cap. 6.

An morbus, & dolor major tribulatio?

19. Quódnam ergo majus malum omnium? morbus qui secum multos corporis dolores adfert? podagra, aut dolor laterum? S. Augustinus dicit hanc fuisse opinionem Cornelii Celsi, cui quandoque infirmus consentire debebat. *Cogor interdum*, inquit, *Cornelio Celso assentiri, qui dicit summũ bonum esse sapientiam, summum autem malum dolorem corporis. Nam summum bonum est melioris partis optimum, summum autem malum pessimum deterioris.* Sicut enim, inquit, summum bonum debet esse melius, quod præcipuæ parti hominis accidere possit, sapientia videlicet, ad animã pertinens: sic summa miseria erit illa, quæ pejor est in viliori hominis parte, dolor videlicet corporis. Ut verũ fatear, hæc

S. Aug. lib. 1. Soliloq.

hæc ingentia mala sunt, quia sũt externa ut paupertas, non interna, aut imaginaria, ut honor: non brevi tẽpore duratura, ut mors, sed infrà nos varia, & realia, ac multo tempore duratura. Qui in confinibus duorũ principum belligerantium cõmoratur, pessimè situs est: quia modò ab hoc, modò ab illo destruitur: ita ut dici possit, illum mala utriusque pati: & vitam ac mortem simul confligere: *Mors & vita duellô conflixere mirandô.* Qualis est vltimus terminus mortis & vitæ infirmitas ad mortem tendens, quia in fine vitæ est, & in principio mortis: qui se in eo reperit, mala utriusque patitur; suspiria vitæ, & dolores mortis; privationem omnium delectabilium, ac si mortuus esset, & sensuum dolorem, ac si vivus esset.

Infirmitas diuturna, mors continua.

20. Podagricus quidam ingeniosè de morbo suo conqueri solebat dicens: *Ambulandum est, pedes non habeo; dolendum est pedes habeo.* Idem de vita sua infirmus affirmare potest; si agatur de delicijs, de recreationibus, & negotiis vitam non habeo; si verò de doloribus, & passione, vitam habeo. Ideò rectè ajebat Sapiẽs; *Melior est requies æterna, quàm languor perseverans:* quid enim aliud est infirmitas, quàm mors continua, aut mori millies in die? Sic videtur hoc intellexisse Jeremias Propheta, dum contra quosdam dixit: *Mortibus ægrotantium morientur:* Non unã minatur mortem, sed plurimas. Tiberius Cæsar quemdam maximis affecerat tormentis, qui postea innocens repertus fuit; in compensationem injustæ punitionis jussit illum quamprimum occidi, dicens; meliorem ipsi mortem esse, quàm miserabilem & doloribus plenam vitam.

Eccli. 30. 17.

Ierem. 16. 4.

Multi alacriter sustinuerunt dolores.

21. Maximum ergo malum est infirmitas, & dolor carnis; Plurimi tamen reperti fuerunt, qui in medio dolorum, & tormentorum læti, & gaudentes manserunt. Anaxarcus in mortario pistus, deridebat tyrãnum dicens; age quod tibi placet de veste Anaxarci, quia Anaxarcũ numquam attinges. De plurimis gladiatoribus scribitur, illos tãtâ alacritate recepisse vulnera, adeoque gaudẽtes se in doloribus exhibuisse, ut ad nuptias pergere videbantur. Pluris ergo vulnera animi quàm corporis facienda videntur: & multò magis dolores interni, quàm externi æstimandi, iuxta dictum Sapientis; *Omnem plagam, & non plagam cordis.* Sicut serpens dum caput salvat, parùm curat si corpus lædatur: sic homo prudens, dum cor custodit, & mentem, parũ curat dolorem, & vulnera corporis. Hoc rationibus confirmari potest, quia subjectum doloris verè non est corpus, sed anima: unde non solùm dum corpus sine spiritu est nullum

Eccli. 25. 18.

ſentit dolorem, verùm etiam, ſi animus ab alio objecto raptus nil de corpore cogitet, etiamſi lędatur, nullum ſentit dolorem, aut tormentum. Si ergo anima non ſuum tantùm, verùm etiam corporis ſentit dolorem; credibile eſt illam magis proprijs, quàm alienis doloribus affligi.

Majores dolores interni quàm externi.

22. Supra dicta inſuper confirmari poſſunt ex eo quòd Salvatori noſtro accidit: conveniunt ſiquidem in eo omnes, dolores eius internos majores fuiſſe quàm externos, & animæ vehementiores quàm corporis dolores; unde nō legitur de his illum doluiſſe, ſicut conqueritur de illis dicens: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, & Patri æterno ajebat; *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*: dico igitur dolores internos naturâ ſuâ vehementiores eſſe externis. Conſequentia probatur, nam Salvator noſter tantum habuit patiendi deſiderium, ut nullum dolorem licèt vehementiſſimum recuſaret; imò majores qui in hac vita reperiri poſſent, in ſe recipere voluit. Dolores igitur ſui ſacratiſſimi corporis licet intenſiſſimi fuerint, ab internis tamen doloribus ſuperati fuerunt. Hi ergo verè erāt majores juxta regulam Ariſtotelis; quòd illa ſpecies rerum major dicenda eſt alterâ, quando non omnia individua, ſed pręcipuum eius individuum majus eſt, quàm præcipuum individuū alterius; ſicuti equus abſolutè major dicendus eſt eſino, licet aliquis aſinus major foret equo, quia maximus equus, major erit maximo aſino.

Matth. 26. 38.
Matth. 27. 46.

23. Quandoquidem igitur dolores animi graviores ſint doloribus corporis, qualis erit major dolor & afflictio animæ? An videre inimicum ſuum in proſperitate exaltatum? magna certè afflictio invidia. In libris Regum peccatum filiorum Heli deſcribitur hoc modo: *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino*: non ſufficiebat dicere peccatum magnū fuiſſe, ſed adjungendum erat, *nimis*; nec hoc contentus ſacer textus, adjungit; *coram Domino*, non ſolùm videlicet coram hominibus, ſed etiam coram Deo. Qualis ergo fuit pœna tanti peccati? Illa de qua modo loquimur; *Videbis æmulum tuum, in cunctis proſperis Iſrael*; dixit Dominus ad Heli Patrem illorū. Sicut ergo peccatum hoc maximum fuit, pariter dicendum eſt pœnam fuiſſe: ſi verò dicas idololatriam majorem fuiſſe culpam, quàm filiorum Heli; dicā idololatriæ quoque hāc pœnam inflictam: *Provocaverunt me*, inquit Deus, *in eo qui nō eſt Deus, & ego provocabo eos in eo qui non eſt populus, in gente ſtulta irritabo eos*: me ad indignationem provocaverunt, adorando ſtatuam inſēſatam pro Deo; ego

An invidia major tribulatio?

1. Reg. 2. 17
Ibid. 32.
Deuteron. 32. 21.

ego autem vindicabo me benefaciendo genti quæ non meretur nomen populi, sed ut animalia vivit. Hæc denique pœna inferno videtur similis, iuxta
Cant. 8.6. dictum Cantici; *Dura sicut infernus æmulatio.*

24. David ab inimicis persecutus, advertens æmulos suos à Saule benevolè excipi: exclama-
Psal. 17.6. vit, *Dolores inferni invenerunt me:*
Invidia doloribus inferni similis. & S. Augustinus legit, *Dolores invidiæ*, qui inferno assimulātur; sicut enim in inferno nullū est remedium, nec consolatio; sic omni consolatione, & remedio dolor invidiæ privatus est, in-
S.Cyprian. lib. de zelo. quit S. Cyprianus: *Calamitas sine remedio, est odisse felicem.* In inferno peccata quæ hîc maximum attulerunt gaudium, animabus illis infelicibus alterum tantum
Apoc. 18,7. adferent tormenti: *Quantum glorificavit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*: invidia verò hoc infelici privilegio gaudet, quòd incipiat animas possessas in hac vita affligere; ideoque meritò dicitur, pœnam eius esse infernalem: Quin imò in inferno fortè nulla major est pœna, quàm invidiæ. S. Petrus Chrysologus considerans interrogationem divitis Epulonis;
Lucæ 16. 24. *mitte Lazarum*, &c. ingeniosè dicit, quòd illa ab eo excogitata, non tantùm propter remedium ardentium flammarum; quam enim mitigationem ijs afferre poterat gutta aquæ? Videmus quippe fabros ferrarios quandoque ignem aquâ aspergere ut fortiùs ardeat: sic quoque accidisset misero Epuloni. Non tam, inquit S. Chrysologus, quærit ut Lazarus mittatur ad mitigādam ardoris flammam: quàm ut mitiget ardorem invidiæ, quem habebat vidēdo *Ex invidia dives epulo Lazarum mitti rogabat.* Lazarum in sinu Abrahæ felicem: ideoque non quærit conduci ad Abrahamum, aut Lazarum, sed ut Lazarus ad ipsum mittatur, ut per tantillum tēpus illâ felicitate privetur: verba ipsius verè aurea audiamus: *Quòd agit dives, non est novelli doloris, sed livoris antiqui: zelô magis incēditur quàm gehēnâ, est grave illis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contēptui videre felices. Adhuc diuitem malitia non deserit, quem jam poßidet pœna, qui non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci*, &c.

25. Multis quoque diabolis è cælo dejectis, cur creditis hūc locum inter cælum & terram concessum vsque ad diem judicii? Scio à Theologis multas ac insignes rationes allegari: sed pulcherrima mihi videtur illa, quam S. Bernardus assignat, ut *Diaboli maximè torquentur invidiâ.* majori torquerentur invidiâ, videntes se in medio justorum in cælo gaudentium, & eorum qui in terra meritis & gratiâ augentur: *Diabolus*, inquit, *in pœnam suam locum in aëre medium inter cælum & terram sortitus est, ut videat,* S. Bernard. serm. 54. super Cantica.

deat, & invideat, ipsaq; invidiâ torqueatur : & paulò pòst de ipso sub metaphora montis Gelboë loquens; de quo David dicit: *Omnes montes qui sunt in circuitu ejus, visitet Dominus, à Gelboë autem transeat* : sic inquit: *Quàm miser dum suspicit cœlum, in quibus innumeros montes intuetur divinâ claritate fulgentes? Quàm miser cùm respicit terram, montes quamplurimos de populo acquisitionis habentem?* Si ergo tormentum invidiæ est infernale; imò, teste S. Petro Chrysologo, pœnam infernalis ignis superat; & si suspicio solùm vel zelotypia, quòd alius fruatur objecto desiderato, à Salomone infernus vocetur; quem dolorem & afflictionem afferet ijs qui continuò ab invidia corroduntur?

Major tribulatio in cumulo miseriarũ sita.

26. Magnum sanè tormentum invidia, sed credibile non est alterius bonum magis nos torquere quàm proprium malum. Sicut enim major est amor proprius, quàm odium versus alterum; cùm amor sit fons & origo aliorum affectuum, ita majorẽ dolorem afferet malum amori oppositũ, quàm bonum odio oppositum. Quale ergo malum huic amori magis erit oppositũ? possem dicere, quod sicut summa hominis felicitas non in uno bono, sed in cumulo bonorum omnium consistit, sic summam miseriam, non in una sola, sed in unione omnium malorum cõsistere: quæ definiri deberet; *Status omnium malorum aggregatione refertus*. Remaneret tamen semper hoc dubiũ, qualis inter tot miserias, fuisset major, unaquaque seorsum considerata: qualem ergo hanc esse dicemus?

Summa miseria in potiori hominis parte collocanda.

27. Ut hanc summam miseriam reperire possimus, nullo potiori medio hanc indagare possem, quàm discursu Peripateticorum principis quô ad majus bonum investigandum usus fuit; Argumentabatur ille à nobiliore hominis parte, & conclusit quòd sicut nobilior hominis pars erat intellectiva; sic in illa summa hominis felicitas cõstituenda erat. Pari modo mihi dicendũ videtur; in malo nempè quod ad nobiliorem hominis partem, intellectivam videlicet pertinet; summam miseriam ponendam esse. Ad objectionem verò Cornelii Celsi, à S. Augustino relatam, quòd sicut summum bonum, in nobiliori hominis parte collocandum est; sic summum malum, in ignobiliori, respondeo; hoc doctrinæ omnium Philosophorum contrariari, qui docent, *Contrariorum eandem esse rationem*. Sicut enim unum contrarium recipi non potest, in subjecto alterius contrarii incapace; sic idem subjectum quod recipit summum unius extremi, debet pariter esse capax alterius extremi,

tremi; probavimus insuper dolores corporis non esse majores, quos homo patitur. Ad partem ergo rationalem major hominis pertinet tribulatio. Quod verò malum proprium partis rationalis? Peccatum dices, quod directè rationi opponitur; verum quidem est, sed proposito nostro non congruit, cùm hoc non sit tribulatio, ut suprà diximus; nos verò hîc inquirimus, non quod majus malum sit hominis, hoc enim absque dubio peccatum est, sed quæ sit major tribulatio.

Cruciatus malæ conscientiæ summa tribulatio.

28. Illa ergo tribulatio mihi major videtur, quæ majorem connexioné cum peccato habet: vultis scire quænam? cruciatus malæ conscientiæ, quia hic sequitur ut proprietas peccati, & ad partem intellectivam pertinet, unde peccatum nascitur, & quasi filia aut soror peccati est. Hic cruciatus tribulatio est, quia dolorem, & afflictionem adfert, ut experientiâ patet, & non dependet immediatè à nostra voluntate; quia contra voluntatem, & malam inclinationem, quivis malefactor torquetur. Hic ergo major omnium tribulatio, ut notat S. Augustinus; *Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla est major tribulatio, quàm conscientia delictorum*; & iisdem ferè verbis idem affirmat S. Gregor. dicens: *Inter multiplices humanæ animæ tribulationes, & innumerabiles afflictionum molestias, nulla est major afflictio, quàm conscientia delictorum.* In ratione quoque assignãda conveniunt, quia ab aliis tribulationibus possumus nos aliqualiter defendere, ad Deum cõfugiendo, qui est refugiũ afflictorum; ab hac verò tribulatione, nullum scutum nos defendit; si foris in campo affligeris, in civitate recurrere potes, si in civitate, in domo te abscõdere potes; si in domo quis tibi molestias inferat, in cubiculo secretè latebis; si afflictus es in corpore, in conscientia te recipere vales; sed à conscientia tua quomodo effugies? si illam ubique conferas? rectè ajebat Sapiens de vulnere peccati quod in conscientia remanet loquens; *Plagæ illius non est sanitas. Magna*, inquit S. Gregor. *tribulatio, ubi nullus evadendi aditus, ubi nulla libertatis spes, ubi nulla ereptionis fiducia.*

S. August. in psal. 45.

S. Gregor. in psal. 7. pœnit.

Conscientia ubique nos affligit.

Eccli. 21. 4.
S. Gregor. in eumd. locum.

Ingens malum uxor maligna.

29. Magna est tribulatio, conjunctum esse uxori malignæ, undè siquidem ex consortio eius consolationem, & auxilium recipere deberemus, cùm ad eum finẽ à Deo creata sit; ut in principio dictum; *Faciamus ei adjutorium simile sibi:* aliud non reperitur, quàm amaritudo, & afflictio, quia continuò murmurat, clamat, & obstrepit, nec est possibile quietam tenere: bene de illa, inquit Sapiens: *Commorari Leoni, & Draconi placebit, quã habitare*

Gen. 2. 18.

Eccli. 25. 23.

bitare cum muliere nequam. Non dicit minus malum esse, sed delectationem esse: maximè certè hoc admirandum: ergóne delectationem adferet, commorari Leoni, à quo omni momẽto expectas dilacerationẽ? potéstne delectabile videri, demorari cum Dracone, qui flatu suo venefico, te inficit, & occidit? Totum hoc delectabile videtur, respectu habitationis cum muliere maligna: potest siquidem esse, ut animalia illa, vel mansuefacta, vel à fame non instigata, nos non tangãt: aut si occidant, subitò hoc fit: mulier verò maligna, implacabilis est, nũquam affligere cessat, nũquam satiatur, nec sufficit ei vitam tollere, vult etiam bona, & honorẽ auferre. Talem & multò pejorem, dicite malam conscientiam esse: fuit illa spiritui ut uxor data, quæ illum ad bona dirigeret, consolaretur, & adjuvaret: sed à peccato irritata, & in rabiem acta, numquam in pace quiescere finit; semper illi peccata exprobrat, semper minatur, continuò excruciat: sicut ergo vir uxore malignâ domi vexatus, libenter egreditur, ut eius consortium fugiat, nec ibi moratur, nisi quando aliter non potest. Pariter anima malâ conscientiâ internè vexata, per portas sensuum continuò exit, delectationes, consolationes & voluptatès, in rebus externis quærens, nec pejus illi accidere potest, quàm dum intrà se recipere se debet.

Pejus malũ, est mala conscientia.

30. Crudelis fuit inventio tyrãni Mezentii, qui hominem vivum, cadaveri putrido colligare jubebat. Etenim si quispiã horret, tale cadaver conspicere: quid erit illi taliter conjunctum esse, ut nil aliud videat, tangat, odoretur, quàm putredinem cadaveris, & halitum fœtidum cum vermibus simul attrahat? Quale erit tormentum à vermibus scaturientibus continuò rodi, nec illos abigere posse, à quibus insuper nec longam vitam, nec subitaneã mortem sperare possis; sed lentâ morte, & pœnosâ vitâ priùs sepeliri, quàm mortuũ esse oportet. Tale & multò magis tormentum malæ conscientiæ esse dicas; strictissimè quippè nos conjungit tot mortuis, quot peccata mortalia commisimus; mortuis fœtidioribus, & horribilioribus quovis cadavere. Non ego id solus assero, sed S. Paulus mecũ, qui ut virtutem sanguinis Christi pro nobis effusi, ostenderet, dicit illum conscientias nostras ab his mortuis liberasse: *Sanguis ejus, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis.* Ut nos ergo à mortuis liberaret, pretiosissimum sanguinem fudit Salvator? Nónne melius fuisset nos liberasse ab inimicis vivis? Quis inimicum mortuum timet? verùm quidem est, nullas nos

Crudele tormentum hominem vivum cadaveri putrido conjungi.

Tale tormentum mala conscientia.

Ad Hebr. 9. 14.

nos molestias recipere ab eis, cùm lōgè separemur; sed si quis inimico mortuo conjungeretur, ita ut ab eo separari minimè posset, qualis illi esset pœna, & quantas gratias deberet ei, qui illum solveret, & à tanto tormento liberaret? Qui autem hoc remedio uti non potest, quàm infelici consortio est sociatus? continuò fœtorem eorum sentire debet, unde de ijs dicebat Propheta regius; *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis*. Sunt etiam ipsi corrupti, & putrefacti, instar mortuorum, quibus conjunguntur, & continuò à vermibus ex ipsis scaturientibus corrosi, quia *vermis eorum non morietur*.

Psal. 13. 1.

Isaiæ 66. 24.

31. Dum aliquem se occidisse conspicimus, argumentamur maximas eius fuisse tribulationes, per quas ad tantam desperationē adductus, in seipsum adeò crudeliter sævijt. Tormētum verò malæ conscientiæ vlteriùs progreditur; quia non solùm efficit, ut homo contra seipsum sæviat, verùm etiā corpus, & animam occidat; nec hoc contentus, contra cælum, terram, sanctos universos, & Deum ipsum crudeliter sæviat, quibus si posset, vltimam ruinam, & ignem admoveret, ut omnia ad nihil redigeret. Exemplum Judæ proditoris clarissimè probabit, quid efficiat; hic enim nec à tortoribus persecutus, nec timore agitatus, sed furiâ propriæ conscientiæ actus, sibi ipsi crudeliter vitam ademit.

Mala conscientia cuncta mala infert.

32. Malam autem conscientiam animas occidere, & totum mundum invertere; contra propriam voluntatem testabuntur illi, qui fidem abnegarunt; tot hæretici qui immortalitatem animæ negant, qui infernum non admittunt, qui quantum in ipsis est cælum & omnia destruunt; qui Deum superiorem non agnoscunt. Vnde creditis errores hos provenire? ex mala conscientia; cùm enim nec illius minas sufferre, nec pacem tot stimulis agitati invenire possēt; sed continuò nunc infernum, nunc tremēdum Dei judicium, nunc pœnas infinitas peccatis illorum debitas, illis suggerat, statuerunt omnia negare, ut à latratibus infernalis canis, & malæ conscientiæ liberari possent. Non mea hæc excogitatio, sed doctoris gentiū, dicentis; *Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt*. Custodias benè bonam consciētiam, eam siquidem cùm aliqui perdidissent, circa fidem naufragium passi sunt. Quasi diceret; desperantes se ad portum æternæ salutis pervenire posse, pretiosas fidei merces in mare projicientes, in varios errorum scopulos, nunc huc, nunc illuc errabundi inciderunt, ac tandem

Mala conscientia animam occidit, & mundum invertit.

1. ad Tim. 1. 19.

ab undis sæculi submersi perierunt.

Bona conscientia quanti facienda?

33. Quanti ergo bona conscientia facienda? Nullo thesauro eam redimere, nullis mercibus commutare possumus; imò quodvis malum pro ea libenter sufferendum. Generosus miles Cinegirus dictus, in prælio navali navem inimicam unâ manu retinens, alterâ pugnabat; cumque se ab eius violentia liberare nequirent, manũ præsciderunt, at ille aliâ manu & dentibus eam tamdiu retinuit donec vinceret. Non minor profectò constantia nostra esse debet, in bona conscientia retinenda; sed dextra potiùs & sinistra amputanda, quàm illa amittẽda. Hoc clarè Salvator noster docebat dicens: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te:* quod etiam S. Job rectè intelligebat, de quo Christus diabolo dicebat; *Numquid considerasti servum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex, ac rectus, ac timens Deum, & adhuc retinens innocentiam?* Potuit diabolus bona eius & filios auferre, sed numquam bonam conscientiam, aut innocentiam. Vidit se in mare tribulationis immergi, vidit se ab undis absorberi, nũc divitias, nunc filios auferri; *sed adhuc retinens innocentiam.* Quid verò hoc admirandum, cùm gentiles etiam cognoscerent, quantum bona conscientia referat; de hoc M. Tullius ad Atticum scribens sic ait: *Curandum est, atque hoc in omni vita sua, quemque à conscientia ne transversum vnguem oportere discedere.* At tu Christiane, quàm parvi illam pẽdis? ut divitias cumules, conscientiam non curas; ut amicum non perdas, conscientiæ pacem perdere non metuis: ô stolide! *Tene, tene bonam conscientiam:* hæc enim magis quàm alia bona te adjuvare poterit.

Marci 9. 44.

Iob 2. 3.

Bona conscientia semper retinenda.

Cicerò lib. 3. ad Atticum.

SECVNDA PARS.

Conscientia mille testes.

34. Dicere auderem, numquam fuisse judicium, in quo plura testimonia pro una parte concurrerunt, quàm ego pro mea opinione adducere possem; nimirum tormentum malæ conscientiæ, maximũ esse, aliaque omnia excedere. Quanti, dicetis, erunt? centum, multò plures; An mille? & ampliùs; fortè infiniti? adhuc parum dicis; quanti ergo esse possũnt centies millies infiniti. Attendite, & clarissimè exhibebo: est commune dictum, & verissimũ, *conscientia mille testes*: Per mille credo auctorem hujus infinitos intellexisse; aliàs parum dixisset, cùm nec mille nec centum mille testes, ad conscientiam convincendam sufficiant: quin imò hæc sola plus valet, quàm omnes illi, ad aliquem terrendum, vel securum reddendum. Quæ

verò

verò conſcientia non docebit; tolerabilius eſſe quodvis malũ, quàm illud, quod ipſa inferet, niſi audiatur, aut ſi contemnatur? nulla certè, alioquin ipſa eſſet occaſio, cur ſibi quandoque non obediretur, quod rectæ rationi repugnat. Omnes ergo hominum conſcientiæ ſententiæ meæ favent; ſed unaquæque conſciẽtia plus valet quàm centum millia teſtimonia, & hæ conſcientiæ quaſi infinitæ ſunt; plura ergo quàm centum millia infinita teſtimonia pro cauſa mea habeo.

Mors melior malâ conſcientiâ.

35. Qualis ergo tribulatio cum tormento malæ conſcientiæ cõtendere poterit? An mors? ſi illa vim quandam habeat, erit virtute conſcientiæ: fac moribundum tranquillam habere conſcientiam, & nullo modo mortem timebit, imò ſe feliciorem æſtimabit ijs qui in omni voluptate vivũt cum mala conſcientia. Hoc teſtantur ipſi mali, dicẽtes de juſto; *Abſtinet ſe à vitiis noſtris, tamquam ab immunditijs, & præfert noviſſima juſtorum*, ita ut mors juſtorum quia bonâ conſcientiâ comitata, non tantùm non eſt pœnalis; verùm etiam prævalet omnibus voluptatibus, & conſolationibus juſtorum. Sap. 2. 16.

Mala conſcientia omni dedecore pejor.

36. An dedecus cum mala cõſcientia cõtendet? Sed primo congreſſu devictum cedet; verus quippe honor à conſcientia dependet; & qui ab hac non judicatur infamis, parum aliorum hominum judicium curat. Hoc rectè Apoſtolus dicebat; *Mihi autẽ pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die*; 1. Corint. 4. 3. quaſi diceret, minor tribulatio, quam habere poſſũ, eſt ab hominibus judicari quod verò plus refert, eſt judicari à mala cõſcientia, & à Deo. An paupertas ſe malæ conſcientiæ opponet? Non credo certè, ſi enim bonæ conſcientiæ juncta eſt, non æſtimabit divitias, nec propter pecunias paupertatem dimittet; ſcit enim veriſſimum eſſe, quod Propheta regius dixit: *Melius eſt modicum juſto, ſuper divitias peccatorum multas*. Pſal. 36. 16. Melius nempe eſt pauperem eſſe, & juſtum, quàm cum mala conſcientia divitem.

Paupertas melior malâ conſcientiâ.

37. An infirmitas cum mala conſcientia bellum geret? At Sapiens, illam ſubitò cõdemnabit, dicit enim; *Omnis plaga, & non plaga cordis*: Eccli. 25. 18 omnia nempè vulnera recipere poſſumus, excepto vulnere cordis, quod eſt mala conſcientia. An denique æmulatio, & invidia; videre inimicum in proſperitate, & dignitate, poterit palmam malæ conſcientiæ eripere? In vanum hoc prætendet: licet enim figura quædam inferni eſſet: *Dura ſicut infernus æmulatio*: Cant. 8. 6. potiùs infernus, quàm mala conſcientia ſufferenda. Hoc rectè intellexit venerãdus Senex Eleazarus dicẽs: *Præmitti ſe velle in infernum, quàm* 2. Mach. 6. 23.

Non vulnera carnis, ſed cordis æſtimanda.

Ediverus Anglus in vita S. Anselm.

maculare senectutem: S. Anselmus quoque, referente Edivero Anglo, dicere solebat; si ab una parte horrorem peccati, ab alia verò, tormentum inferni conspexisset, & oportuisset unum de duobus eligere, potiùs infernum, quàm peccatum elegisset. Hic est infernus à quo se liberatum gratiâ Dei dicebat David: *Eduxisti ab inferno animam meam.* Iuxta expositionem S. Augustini: qui enim in bona conscientia est, non æmulatur, nec infernum timet. Liber ergo remanet campus tormento malæ conscientiæ, & tamquam victrix judici se sistit, ut palmam, & coronam recipiat; nos interim de more, aliqua documenta animæ nostræ proficua, ex dictis colligemus.

Psal. 29. 4.

Pro nulla re mundi bona conscientia perdenda.

38. Primum ergo documentum quod in utilitatem nostram elicere possumus, est; propter quamcumque rem, amicitiam, voluptates, honores, aut divitias, numquam bonam cõscientiam perdendam esse. Deprecationes amicorum, multùm valere solent; sed bona conscientia magis æstimanda. A principe Atheniensium Pericle, amicus quidam rogabat, ut pro eo falsum juraret; at ille sapienter respondit; *pro amico vsque ad Aras:* videlicet, amico omni loco favendum, excepto in altari: ubi enim agitur de perjurio (idem esto de alijs peccatis) pro nemine illa committenda; maximè circa divinum cultum pertinentia. Si hoc gentilis cognoverit, maximum erit nobis dedecus, si nos idem non servemus. Miles qui propriô sanguine honorem adeptus est, potiùs vult vitam perdere, quàm illo privari. Sed quæ major potest esse gloria, quàm propriæ conscientiæ? Germani mulieres & filios in bello secum conducere solebant; ratio autem hæc erat, ut testes fierent illorum rectè factorum, & stimulos adderent, ad meliùs debellandum; cùm, Tacito dicente, *sanctissimi, & probatissimi laudatores essent.* Verior tamen, & sanctior laudator est propria conscientia, quæ inspectrix, & omnium nostrarum actionum testis est: & hic esse debet efficax stimulus ad bene operandum: *Bonum est mihi mori,* inquiebat sanctus Paulus, *quàm ut quis gloriam meam evacuet:* adeò ergo ambitiosus es sancte Apostole? tanti gloriam æstimas? non erat hæc ambitio, vel si eam ambitionem esse velis, sancta erit, & laudabilis; non enim de gloria humana, aut hujus mundi loquebatur, sed de gloria propriæ conscientiæ, ut alibi dixit: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Gloria nostra non ex ore hominum, sed ex testimonio conscientiæ nostræ dependet. Hanc gloriam, Auditores, vos ambire

Bona conscientia gloria maxima.

1. Corinth. 9. 15.

2. Corinth. 1. 12.

ambire cuperem, illamque omnibus rebus hujus vitæ præponere; nullum ſiquidem pretium ei ſufficiens inveniri poteſt: teſte S. Bernardo: *Nihil eſt jucundius, nihil eſt ſecurius, bonâ conſcientiâ, mundus enim volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, tranſeat; numquam marceſcet conſcientia, ſubigatur corpus in pœna, iejunijs maceretur, verberibus laceretur, equuleô diſtendatur, gladiô trucidetur, ſuppliciô affligatur, ſecura erit conſcientia.*

In tribulatione primò conſcientia conſiderãda.

39. Secundum documentum eſt, ut dum tribulatione opprimeris, primum quod agere debes, eſt conſcientiã tuam conſiderare, & inſpicere, qualiter ſit diſpoſita; ſi enim malè diſpoſita, maxima foret ſtoliditas, illam non æſtimare, & attendere alijs plagis curandis. Adoleſcens quidam cùm digitum malè affectum haberet, medico oſtendit; at ille eum intuitus, & cognoſcens quàm malè internè fuiſſet diſpoſitus, dixit; malum digiti nihil curandum, ſed quod refert & citò te ad ſepulturam deducet, niſi remedietur, eſt malum internum. Quot pariter conqueruntur de malo externo, de paupertate, infirmitate, alijſque afflictionibus, & non aduertunt verum malum intus latere in conſcientia, nec de hoc vllo modo cogitant? Tales erant Scribæ & Phariſæi, quibus Salvator ajebat; *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, quia mundatis quod deforis eſt calicis, & paropſidis, intùs autem pleni eſtis rapinâ, & immunditiâ.* Tu ergo qui affligeris, de quo conqueris? Te pauperem eſſe, & pecuniâ carere? minimum hoc malum eſt, lamentare, te conſcientiam operibus bonis vacuam habere; aut peccatis plenam. De quo conquereris? de infirmitate? exiguum hoc malum eſt, lamentare animam tuam infirmam eſſe, & in periculo æternæ damnationis. De quo doles? De filio mortuo? parum hoc eſt, dùm anima ſalvatur: doleas ſpiritum fervoris tui extinctum eſſe, teſte conſcientiâ. Quis tibi moleſtias ingerit? creditor ille, qui pecuniam exigit, nec ſcis qualiter ſatisfacies? Parum refert, cogita quomodo tantis debitis quibus Deo obligaris ſatisfacies; de quibus chirographum tuæ conſcientiæ exſtat.

Matt. 23. 13

Si conſcietia bene videatur diſpoſita, totum bonum erit.

40. Communi Proverbio dici ſolet; malum cognitum, mediâ ex parte ſanatum; in alijs malis ſæpiùs falſum eſt, ſed in malo conſcientiæ adeò verum, ut non ſolùm hac cognitione ſanetur; verùm etiam ſecum adferat remedia, pro alijs malis. Hujus rei pulcherrimum exſtat teſtimonium in libris Regum; poſtquam Salomon ædificaverat celeberrimum, & ſumptuoſiſſimum templum; Deum ſupplex rogavit, ut omnes afflictos

3. Reg. 8. 37. in eo rogantes, exaudiret, optimâ tamen additâ conditione; *Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aër, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus ejus, portas obsidens, omnis plaga, & universa infirmitas, si quis cognoverit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cælo.* Sed quæ fuit conditio requisita, ut exaudiretur populus? *si quis cognoverit plagam cordis sui:* sed quid plagæ cordis, cum fame, aut peste? nónne potest aliquis corde sanus esse, & tamen pati pestem, & famem? aut ab inimicis infestari, aut aliâ tribulatione affligi? Nónne magis referet, si cognoscat tribulationem, à qua liberari desiderat, quàm plagam cordis? Minimè, inquit Salomon; sit quæcumque tribulatio, ad plagam cordis respiciendum est; hæc siquidem principalior, & origo aliarum omnium, & hac curatâ, aliæ sanæ erunt.

Conscientia malè dispositâ, cuncta mala erunt.

41. Ad plagam ergo cordis, ad vulnera conscientiæ attendendum, hæc siquidem sanitas multùm refert, quam vltrà omnem aliam procurare debes. Si verò conscientia infirmetur, originem eius inquiras, & reperies aliam non fuisse, quàm cibum fallacem delectationis, quem tibi diabolus præparaverat; de quo dixit Sapiens; Prov. 20. 17 *Suavis est panis mendacii, & postea os eius implebitur calculo.* O fallax pistor, diabolus, panem tibi exhibuit, externâ apparentiâ pulchrum, album, ac ex flore farinæ factum apparentem; sed intùs terrâ, & lapidibus repletum; vix comedere inceperas, quin lapidem in ore sentiebas. Videbatur panis suavis, ô juvenis, conversatio objecti infamis, socii tui maligni; sed vix expertus, sensisti lapidem in ore; conscientia peccatis aggravata, non te quiescere sinebat. Panis suavis tibi videtur, ô mulier, dona recipere, favoribus decorari, dulci alloquio perfrui; sed respice finem, conserva te bene, quia intra hunc panem terram, & lapides reperies, qui dentes tuos disrumpent, Deo & mundo infamis eris, conscientia continuò te remordebit: peccatum erit lapis in stomacho, quem digerere non poteris. Sed quid de stoliditate peccatorum referam? nullus reperitur adeò stolidus, qui terram, & lapides in pane reperiens, illas deglutire velit, sed statim eijcit; peccator verò sentit in pane quem comedit lapidem, videt in voluptatibus suis duritiam peccatorum mixtam, remorsum conscientiæ patitur, non tamen incœptum deserit, sed in despectum remordentis conscientiæ, deglutire, & perficere cupit. Quandoquidem ergo lapides non times, scias hos carbones

Lapis in ore conscientia mala.

accensos

accensos deventuros, qui in æternùm viscera tua comburent. Ita quippe intelligit venerabilis Beda locum superiùs citatum; *Postea os eius implebitur calculo*, per calculum lapidem intelligens. Non velitis ergo adeò brevi voluptate, æternum, & inextinguibile incendiũ emere, quod Deus avertat. Amen.

Vbi suprà.



DISCVR-

DISCVRSVS OCTAVVS,

In quo confirmatur, malam conscientiam esse maximam tribulationem mundi, & modus illam sanandi exhibetur.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

PRudenter, & consideratè cuncta peragenda. num. 1. 2.
Quid sit tormentum malæ conscientiæ? num. 3. 4. 5. 6. 7.
Illicò maximum esse omnium, probatur. à num. 8. vsque ad 22.
Quid magis torqueat malum præsens vel futurum. num. 23. 24.
Quomodo tormentum malæ conscientiæ maximum est, si à multis non sentiatur? num. 25. 26.
Cùm sit omnium maximum, cur non sufficit ut hominem à peccatis retrahat. num. 27.
Quale remedium ut ab illo tormento liberemur? à num. 28. vsque ad finem.

Bene dictum à Cæsare: Festina lentè.

1. ÆSAR Augustus, de quo dicere nescirem, an felicior, quàm prudentior; sapiẽtior, quàm potentior; factis magis, quàm verbis excelluerit. Inter frequẽtes laudabilesq; sententias ab ipso prolatas, de nulla talem promeruit laudem, quàm de breuissima in verbis, & utilissima in negotijs; *Festina lentè.* Sententia quæ verè ænigma videri potest. Quomodo siquidem possibile erit me festinare, si lẽtè progredi nõ cesso? Et quomodo lentè procedam, si festinè perrexero? Hoc tantum est ac dicere, me simul esse calidum, & frigidum; crudelem, & misericordem; prodigum, & avarum, audacem & timidum. Sapientissimè tamen hoc dictum fuit; nec solùm ab Augusto frequenter vsurpatum; verùm etiam à Vespasiano adeò æstimatum, vt symbolicè monetæ imprimi jusserit; figuram nempe Delphini velocissimi, cum anchora instrumento quâ naves firmantur.

Prudẽter & consideratè cuncta agenda.

2. Nec hoc impossibile, imò rationabile videtur: etenim ut norũt philosophi, ex duobus cõtrarijs in uno subjecto repertis, ac simul commixtis, tertiũ quid resultat, naturam utriusque participans.

ticipans. Ita à frigido & calido, tepidum; à prodigo, & avaro, liberalis; ab albo & nigro, alius color efficitur. Cupiebat ergo Augustus dicere, festinationem tarditati conjungi oportere; ita ut nec propter festinationem fuisset inconsideratus, nec propter inconsiderationem perderet occasionem bene operandi. Alioquin quis nõ videat, quanta damna, ex uno & altero malo non vitato accidere possunt? si medicus nimiùm retardans, tempestivè medicinam infirmo nõ porrigat, moritur, antequam recipiat: si verò inconsideratè det, loco sanitatis mortẽ infert. Si Dux absque consideratione temerariè aggrediatur fortalitium; cum dedecore & infamia, inde discedere cogitur: si verò nimiùm tardet, dat tempus inimico, ut sibi provideat, propriasque vires frustrà consumit. Si Judex absque consideratione causæ, injustè ferat sententiam, privat aliquem suis bonis; si verò non se resolvat, nec citò illam proferat, defraudat alium: si nimis festinet, conqueritur una pars, si nimis lentè procedat, ambæ partes conqueruntur. Si inconsideratè condemnet, injustus agnoscitur, si absque ratione protrahat, justitiam rectè administrare, non dicitur. Extrema ergo maximè fugienda: particulariter nimia festinatio: ubi enim nimiâ morâ relinquimus bene agere, nimiâ festinatione frequenter malè agimus: sicut etiam moram varijs modis corrigere possumus: sic festinatio tollit viam quâ auxilia, & succursus dirigere possumus.

Inconsideratè procedens, malorum est occasio.

3. Cùm igitur discursu præcedenti in lite & negotio præcellenti, quænam videlicet esset major tribulatio: tulerimus sententiam in favorem tormenti malæ conscientiæ: ne fortè nimis festinè, & absque debita causæ examinatione id fecisse videamur: volo nos hodie eam revidere, considerando quid sit hoc tormentum malæ conscientiæ, & in quo alias tribulationes superet, ac remedia exhibere, quibus illud omninò tollere possimus. Quid ergo est remorsus, & tormentum malæ conscientiæ quod peccando sentimus? An à nobis vel ab alio procedit? si ab altero, quomodo ergo vitari nõ potest? si à nobis, quomodo nos ipsos, quos tantum amamus, ita affligimus? éstne naturale, vel supra naturale? si naturale, quomodo non æquale omnibus? si supra naturale quomodo peccando non perditur? éstne actus intellectus, aut voluntatis? si intellectus, quomodo peccatum non producendo, pœnam sustinet? si voluntatis, quomodo illâ liberâ existente non poterit, sic volendo, illud non producere? Quid dicam illud esse? An Echo operum nostrorum? sicut enim

Quid remorsus malæ conscientiæ & à quo procedat?

Est Echo peccatorum. vox altè prolata, versus cavernam montis, ibi fortitudinem recipiens, in seipsam quasi revertitur, & sibi respondet; sic peccatum, cujus vox adeò altisona, ut etiam in cælum vsque ascendat, de quo dicebat Deus;
Genes. 18. 20. *Clamor Sodomorum multiplicatus est*, percutiẽs profundam cordis cavernam, Echo, & sibi ipsi responsum excitat; ideoque dixit
Isaiæ 59. 12 Isaias Propheta: *Peccata nostra responderunt nobis.*

4. Vel etiam est vox misericordis Dei, & Patris nostri, nos ad bonum incitantis, & reprehendentis dum extra viam ab-
Isaiæ 30. 21 erramus; dicente Isaia: *Audient verba mea post tergũ monentis; hæc est via ambulate in ea.* Quomodo
Est vox divina nos monens. verò hæc vox immediatè à Deo venit, vel ab aliquo Angelo, aut etiam ex nobis? Nulli dubiũ est quin aliquando Deus loquatur immediatè servis suis, unde Da-
Psal. 84. 9. vid dicebat: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*; sæpiùs quoque per Angelum, sicut di-
Zachar. 1. 3 xit Zacharias: *Angelus qui loquebatur in me dixit:* Hæc verò vox, de qua loquimur, est formata à corde nostro, & potest vox Dei dici. Pariter à S. Joanne Chry-
Chrysost. hom. 3. de verb. Isaiæ sup. Dom. sostomo conscientia vocata est tribunal divinum: *Hoc tribunal*, inquit, de conscientia loquens, *non pecuniâ corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eò quòd divinum est, & à Deo nostris impositum mentibus.* Non quia à Deo actualiter cor nostrum moveatur, vel conscientia nostra particulari influxu dirigatur; hoc siquidem non semper accidere inde probatur, quòd quãdoque tale dictamen non rectè veritatem asserit, & tunc vocatur conscientia erronea, aut scrupulosa. Dicitur ergo hoc tribunal à Deo esse, quia Deus hanc regulam; & hunc magistrum conscientiæ in mentibus nostris statuit, ut esset stimulus ad bonum, & frænum ad malum coërcendum.

5. Ut autem meliùs intelligamus quomodo Deus hoc operetur in anima nostra; advertendum est, Deum duas potentias in anima nostra ut intellectiva est, constituisse; una est intellectus, altera voluntas: illa ad bonum cognoscendum, hæc ad volendum, & acquirendum; prout animæ sensitivæ dati fuerunt sensus, ad cognoscendum quid opus esset, & appetitus sensitivus ad appetendum. Hoc *In nobis duplex potentia, & duplex bonum.*
bonũ est duplicis generis, unum speculativum, quod solùm à nobis cognosci, & intelligi debet; & aliud practicum, quod à nobis amplecti, & ad opus redigi debet. Deus summũ bonum est, sed à nobis solùm cognosci, & amari potest; non autem redigi ad opus: virtutes sunt bonum, quæ à nobis possunt, & exerceri debent. Hinc sequitur intellectum duas habere cognitiones, unam speculativam, alte-

ram

ram practicam; Illa tendit in bonum, & verum, in quantum pulchrũ & cognitione dignum; hæc verò tendit in bonum in quantum à nobis exercendum. Ut ergo intellectus officiũ suum dignè exercere posset, Deus illi lumen naturale tribuit virtualiter duplex, ut veritates speculativas & practicas cognoscere posset. Verum quidem est hoc lumen non docere omnes virtutes in particulari, ita enim haberemus omnes sciẽtias à natura, sed in universali certa principia, ex quibus per discursum possimus postea conclusionem educere, & cognitionem particularem acquirere; ita ut sit veluti semen, quod virtualiter continet arborem, & fructus; quod tamen à terra per agriculturam foveri, & enutriri debet, ut germinet, & crescat. Est etiam sicut pecunia, quâ aliquis omnia necessaria sibi providere potest; sed necesse est ut illam expendat & commutet. Hoc autem egit Deus, ut occasionem haberemus nos exercendi, & scientiam ac virtutem nostrâ industriâ acquirendi: illæque nobis chariores essent, nosque redderemus laude & præmiô dignos. Hinc dicimur principium omnium sciẽtiarum habere, & semen omnium virtutum. Socrates docendo alios per discursum, ut veritatẽ agnoscerent, & scientiam acquirerẽt; dicebat se adjuvare illos ut parturirent & producerent cognitionem illam, cujus anteà in se semen habuerant, & quasi gravidi fuissent.

Lumen naturale nos dirigens.

6. Hoc est lumen, quod in nobis derivatum est, à resplendẽte vultu divino, iuxta dictum Dauidicum; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hoc est lumẽ quod nemini negatur; quo S. Joannes dicit, quòd Deus, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hic est sol quem S. Paulus supra iracundiã nostram occidere non vult; *Sol non occidat super iracundiã vestram;* ab hoc lumine derivantur prima principia quæ præsupponũtur ut fundamẽta omniũ scientiarum, nec probari debent, uti sunt: *Quodlibet est, vel non est, & contradictoria non possunt verificari de eodem:* in moralibus hæc sunt: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & reddendum vnicuique quod suum est.* Nondum ad conscientiam pervenimus? Non, sed appropinquamus: hoc quippe lumen naturale, in quantum manifestat principia virtutum moralium, potest dici pater conscientiæ, quæ pariter lumen naturale est, respiciens veritatem practicam: sed diversum à jam dicto: quia illud demõstrat hanc veritatem in universali, & in primis principijs: hæc autem versatur circa conclusiones, & veritatem in particulari: illud respicit habitum primorum principiorum

Hoc lumen à Deo nobis inditum.

Psal. 4.7.

Ioan. 1. 9.

Ad Ephesios 4.26.

Quid sit lumen conscientiæ, & quid efficiat?

rum in ſcientijs ſpeculativis; hęc habitum ſciētificum; illud voce Græcâ vocatur ſinderesis; hæc propriè conſcientia: illud te docet honorare Deum, hæc te ſtringit, & dicit, nunc vade & ora Deum, audi Miſſæ ſacrificium, reverenter illi interſis, ſinderesis oſtendit, te non debere damnum inferre proximo; conſcientia te vrget, & dicit, ſolve creditoribus, lacera falſum chirographũ, reſtituas depoſitum; omitte litem injuſtam; ſi verò non exequaris quod præcipit, te reprehendit, accuſat, minatur, nec relinquit vivere in pace.

Conſcientia ut canis vigilans. 7. Quaſi canis ad cuſtodiam animæ deputata, qui advertens furem, & latronem, peccatum, inquam, intraſſe, numquam latrare ceſſat; ideò Caino dictum
Gen. 4. 7. fuit; *Si malè egeris, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit*; in Hebræo meliùs; *Ad oſtium peccatum tuum cubabit*: erit quaſi fiſcus diligens, curiæ cæleſtis, nõ permittens præjudicari Domino ſuo; ideò ſemper cum peccatore litigat; iuxta dictum illud in tex-
Geneſ. 6. 3. tu Hebraico; *Non litigabit ſpiritus meus cum homine*, ubi nos legimus; *Non permanebit ſpiritus meus in homine.* Erit quaſi puriſſimum ſpeculum, ſemper animæ ſordes ſuas, & deformitates exhibens;
Pſal. 49. 21. uti à Deo ipſi minatur; *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.*
Conſcientia accuſator, & carnifex. Conſcientia denique pro centũ valet teſtibus; ubi ſiquidem in alijs tribunalibus multę perſonæ interveniunt: v.g. Judex, accuſatores, teſtes, carnifex &c. conſcientia ſola munus omniũ exequitur, teſte S. Bernardo: *Omniũ ſiquidem debitorum noſtrorum, ipſa eſt teſtis, ipſa Iudex, ipſa tortor, ipſa carcer, ipſa accuſat, ipſa judicat, ipſa punit, ipſa damnat.* Hoc eſt ergo quod dicebam, quòd illa plus quàm aliud nos cruciat, affligit, & torquet: quod modò probaturi ſumus. Numquid tamen rationes contrarias audire volumus? in præcedẽti diſcurſu multa dicta fuerunt, in favorẽ aliorum litigantium, hîc volo unum tantummodo argumentum in generali proponere, ſed quod vires ſuas habeat. *S. Bernard. lib. de conſcient.*

8. Argumentum hoc probãs malam conſcientiam non eſſe majus tormẽtum, tale eſt: ſi mala conſcientia eſſet maxima tribulatio, nullus umquam peccaret: hoc clarè probatur: nullus ſiquidem peccat, niſi à voluptate quadam allectus, vel per tormentũ exterritus: v.g. ſi frangis iejunium, vel hoc facis voluptate ciborum allectus, vel fame excruciatus, vel alio fine: ſi fureris, vel hoc concupiſcentiâ divitiarum allectus, vel à paupertate, & neceſſitate ſtimulatus agis: ſicque de alijs peccatis dicere poſſumus. Hæc voluptas in peccatis reperta, nullam in te vim haberet, ſi major voluptas aut delectatio tibi propoſita eſſet: *Mala conſcientia non videtur maximũ tormentum.*

prout

prout nec hoc tormentum te excruciaret, si majus tormētum timeres. Si ergo tormentum malæ conscientiæ, majus est omnibus alijs, & toties, quoties peccamus, illud præ oculis objicitur: ergo ut majus tormentum fugiamus, nullus erit adeò stolidus, qui peccet: cùm minus malum fugiens, in majus incidat, tormentum videlicet malæ conscientiæ. Si tormentum insuper malæ conscientię est maximum: ergo delectatio & consolatio bonæ conscientiæ erit quoque maxima, & per consequens ut non perdamus hanc maximam delectationem, nullus erit qui amplectatur minorem. Licet quoque bona cōscientia nullam adferret delectationē: sufficeret tormentum malæ conscientiæ, ad enervandum robur aliarum calamitatum: faciliùs siquidem est abstinere se ab aliquo quod placet, quàm sustinere aliquid quod displicet: & citiùs relinquimus cibum nobis gratum, quàm comedamus amarum, & nobis contrariū. Animalia quoque verberibus castigata, se à cibo abstinent. Si ergo tormentum malæ cōscientię adeò grave est, ut dicitur, nullus erit, qui nō relinquat omnem illicitam voluptatem, ut illud non sufferat: etenim si hoc faciamus propter timorem verberū, aut infamiæ, multò magis illud faciemus propter timorem alterius tormenti,

Si majus esset tormentum illud evitaremus.

quod certius, & magis præsens. Negare non possum, hoc efficax esse argumentum: non tamen à proposita conclusione recedo, nullum videlicet majus esse tormentum, quàm malæ conscientiæ: cujus favoribus & privilegijs consideratis, argumenti propositi rationem solvemus.

9. Primum ergo privilegium tormenti malæ conscientiæ est, quod diutiùs duret; si enim principium eius consideremus, est prima pœna quam peccator patitur: si finem, est vltima, si continuationem, numquam est interrupta. Prima est, quia cùm prima sit in cognitione culpæ, prima quoq; erit in retributione condignæ mercedis. Hoc est quod Christus Caino dicebat: *Si malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit*: dixit *statim*, quia nullum posuit tēpus intermedium. Conscientia Judex est qui nullum dat reo tempus defensionis: sed subitò pœnam infert: ideò per hoc: *statim in foribus peccatum tuum aderit*, intelligitur pœna, & castigatio. Per rationem oppositam hoc rectè probatur, primò siquidem immediatè dixerat: *si bene egeris recipies*, præmium videlicet, *si malè egeris*: quid expectas dicturum, nisi castigaberis? Hoc ergo indicare vult: *statim in foribus peccatum aderit*: Cur verò hîc non dixit *Recipies?* nónne pœnam recipimus uti præmium? si ergo

Majus tormentum esse probatur.

Genes. 4. 7.

Mala conscientia subitò torquet.

Deus inquit, nos pro operibus bonis præmium recepturos; cur non dicit pro operibus malis pœnam recepturos? Ut ostēdat, hîc pulcherrimum mysterium, peccatorem nimirum non debere castigationem culpæ ab aliquo expectare, subitò quippe ante fores suas reperiet, absque scitu unde veniat: ipsa siquidem consciētia erit carnifex, & gladius eius, cor, & viscera penetrabit, ut dicitur in Proverbijs; *gladiô pungitur conscientiæ.* Pariter notat S. Chrysostomus, quòd dū Salvator pronuntiabit sententiam in favorem electorū, dicet: *Venite benedicti Patris mei*; quando verò malis loquetur, solùm dicet; *Ite maledicti*, non adjungendo *Patris mei*: sicut enim boni benedictionem à Deo habent, perversi maledictionem à seipsis habent; illam sibi acquirunt, & per conscientiam executioni mandabunt, sicque Caino dicitur; *in foribus peccatum tuum aderit*; sed quis illud adducet? aut qualiter adveniet? Tu qui illud produxisti, ibi pariter in pœnam tuam collocasti. Unde rectè inquit S. Chrysostomus; *primum malum est, esse malum*; & Boëtius, *improbis, nequitia ipsa supplicium est.* Gentiles quoque idem intellexerunt, inter quos Seneca, ita inquit: *Prima peccantium pœna est, peccasse, nullum enim scelus, licet illud fortuna exornet, muneribus suis impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est.*

Prov. 12. 18.

Chrysost. hom. 80. in Matth.

Ubi suprà.

Chrysost. serm. 5. de Jejunio. Boëtius, lib. 4. de consolat. Seneca Epist. 98.

10. Fortè etiam sicut tormentum malæ conscientiæ est primum in inceptione, sic quoque est primū in finitione? Quin imò numquam finit; quiescunt dolores, inducias cōcedunt tentationes, carnifices lassi subsistunt: sed hoc nūquam desinit, aut defatigatur; te comitatur ad sepulturā vsque; *Ossa eius*, inquit S. Job de peccatore; *replebuntur vitijs adolescentiæ suæ, & cum eo in pulvere dormient.* Fratres Joseph eum Jsmaëlitis vendunt adhuc iuvenem, fit vir, & multis peractis annis Gubernator Ægypti, non ampliùs eum cognoscunt; sed intra tantum tempus erátne illorum conscientia tranquilla? nequaquam; sed illos affligebat, & accusabat, ita ut fuerint coacti dicere: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Moritur Iacob pater eorum, & precantur Josephum, ne recordetur injuriarum ab ipsis receptarum; sed quid illos movit? quis accusavit? An in Josepho aliquod irati animi signum viderant? non, quis ergo illos persequitur? propria conscientia quæ illos post tot annorum spatiū quiescere nō sinebat. Cùm via denique omnia tormenta expirant, excepto tormento malæ conscientiæ, quod peccatorem etiam in inferno excruciat; quia *vermis eorum non morietur*: continuò viscera corrodet, nec illum occidere

Mala conscientia numquam quiescit.

Job 20. 11.

Gen. 42. 21.

Job 7. 13.

occidere poterunt, nec ipſe morietur vmquam.

Mala conſcientia tormentum continuum.

11. Cùm autem hic vermis conſcientiæ ſubitò incipiat, & numquam finiat; an in medio interrumpetur eius cruciatus? nequaquam, erit tormentum continuum; nónne erit ut febris, quæ quandoque ſe intermittit, ſic ad minùs reo aliquod ſpatiū liberum concedet? deciperis, eſt febris continua, eſt tormentum non ceſſans, nec ſpatium vllum admittens. Nulla tanta eſt miſeria aut infelicitas, quæ ſomno nō ſopitur; nullus adeò pauper, afflictus, vel infirmus, qui dormiens non ſentiat aliquā quietem. Philoſophus quidam ajebat, medio vitæ tempore, omnes homines æqualiter beatos eſſe; eô nempe quô dormiūt, in quo nec felices, ſuâ felicitate fruuntur, nec miſeri ſuâ calamitate affliguntur. At mala conſcientia, ne quidē dormiens te quieſcere ſinit: hoc in perſona ſimili teſtatur Job dicens: *Si dixero, conſolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens in ſtratu meo: terrebit me per ſomnia, & per viſiones horrore concutiet.* De Apollidoro, homine ſcelerato, refert Plutarchus, quòd in ſomnis videbatur, ſe à Scythis excoriari, & ſubitò in ollam bullientē injici, in quo tormento cor eius illi tacitè inſinuabat: *Ego tibi horum ſum cauſa:* conſcientia ita illum exagitabat: Seneca quoque generaliter de hoc tormento loquens ait: *Putat ſe etiamſi non deprehenditur, poſſe deprehendi, & inter ſomnos monetur, & quoties alicujus ſcelus loquitur, de ſuo cogitat: non ſatis illi obliteratum videtur, non ſatis tectum, nocens aliquādo habuit latendi fortunam, numquam fiduciam.* Ita ut lectus impii, ad inſtar equulei, craticulæ ferreæ, & rotæ ſit, quæ illum excruciat. Si lectus ergo ad requiem defatigatorum, & afflictorum repertus, à mala cōſcientia factus eſt inſtrumentum torquēdi, quando vmquam quieſcere poterūt, hoc tormentô gravati? *Quid ærumnoſius,* ajebat S. Ambroſius: *cùm ipſe lectus ad communem quietem datus; grave vulnus infligat?* Propheta David experientiâ didicerat, quale tormentum ipſi mala conſcientia in lecto attulerat, ideoque dicebat: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo:* Sed cur potiùs lectum, quàm pavimentum? Quare de nocte & non de die? Quia illo loco & tempore particulariter illū conſcientiâ affigebat, & peccata exprobrabat: unde alibi dicit; *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini:* quaſi diceret, particularem compunctionem & dolorem habeatis peccatorum veſtrorum, quæ vobis conſcientia exhibet, dum in lectis iacetis.

Iob 7. 13.

Nequidem dormiens quieſcere ſinit.

Seneca Epiſt. 105.

S. Ambroſ. libro de int. cap. 3.

Pſal. 6. 7.

Lectus quieti datus, tormentū malæ conſcientiæ eſt.

Pſal. 4. 5.

12. Sed hæc mala conſcientia,

tia, tempore noctis, & in lecto contenta erit? Non est certè locus, in quo te non comitatur, non tempus in quo te non cruciat, quorsum enim illam fugies, si intra te sit? Quô tempore te non torquebit, si magis quâvis re temporali tibi conjuncta sit? Quod remedium reperire poteris, si in interiori parte cordis tui sit, ubi nec medicina, nec emplastrum adhiberi potest? quomodo illã placabis, si ex illis sit serpentibus, quibus non est incantatio? de quibus etiam Jeremias Propheta dicebat; *Mittam vobis serpentes quibus non est incantatio?* Magna est differẽtia inter superbiã, & alia vitia; alia quippe vitia videntur quandoque cessare, & quiescere; gulosus dum ventrem planè replevit, cogitur manum à mensa levare; iracundus & vindicativus, inimico occiso, nil ampliùs desiderat; superbia verò quæ in mentis cogitatu consistit, non habet finem; unde dixit Psalmista: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper:* & patiens Job inquit: *cunctis diebus suis impius superbit:* ut autem sciremus dolores illos superbiæ non aliundè quàm ex seipso venire, Biblia regia traduxerunt; *se excruciat:* alii verò ut hos dolores explicarent; dixerunt: *impius omni tẽpore sibi asciscit dolores, parturientis fœminæ:* pariter Osee Propheta dixit: *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius, dolores parturientis venient ei.*

Ierem, 18. 17.

Superbia semper hominem torquet.

Psal. 73. 23.

Iob 15. 20.

Oseæ 13. 12.

13. Non solùm hæc tormẽta diuturna sunt, verùm molestissima; cùm dolores partus vocẽtur, qui sunt graviores quàm sentiri possunt. Meritò quoque illis assimulantur; primò, sicut enim mulier formavit creaturã unde dolorem sẽtit: sicque non alijs sed sibi imputare debet, ita anima generat peccatum, quæ postea non de alijs, sed de seipsa cõqueri debet. Generat insuper prolẽ cum aliquo gaudio, quod posteà dolores partus lenire solet: sic anima infelix propter exiguam delectationem quam peccando sensit, se adducere sinit, ut sibi ipsi hoc tormẽtum infligat. Mulier quoque finem dolorum expectare non debet, donec partũ emiserit: nec anima peccatrix dum peccatum intra se retinet, finem tormenti sui, sperare non debet. Adjungendum quoque productionẽ sive cõmissionem peccatorũ omni alio partu dolorosiorem esse: primò, dum siquidem proles mortua est, majorem dolorem matri adfert, & difficiliùs foras extrahitur: hic autem infelix proles mortua est: ideoque S. Paulus ajebat: *Emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis:* Quantò insuper mulier debilior est, & pauciores habeat vires ut infantem emittat, tantò majores sentit dolores, unde Isaias

Tormentum malæ conscientiæ gravissimum.

Ad Hebr. 9. 14.

Doloribus partus assimulatur.

Isaiæ 37. 3. Isaias dicebat: *Venerunt filii usque ad partum, & non est virtus pariendi*; anima peccatrix viribus destituta est, *quia comederunt alieni robur eius*. Quantò major est proles, tantò majorem dolorem adfert; peccatum verò adeò magnum est, ut summoperè mirandum sit, quomodo ab anima retineri possit. Quis nescit trabē magnitudine oculum excedere? Quis nescit locum majorē, vel ad minùs æqualem debere esse locato? Quis ergo diceret trabem ab oculo capi posse, Christus tamen peccatori hypocritæ dixit: *Eijce primū trabem de oculo tuo*; præsupponēdo, illam ibi fuisse; & ostendendo illam proportionem, vel potiùs improportionem peccatum habere cum anima nostra, quàm habere videmus trabem cum oculo; anima tamen illud intra se retinet: quid mirum ergo, si sentiat dolores, doloribus partus majores?

Oseæ 7. 9.

Lucæ 7. 42

Confirmatur ratione, majus esse tormentum.

14. Clariùs magnitudinem tormenti malæ conscientiæ cognoscemus, si consideremus rationes, quæ ad hunc dolorem concurrunt: quæ tres sunt, ut in aliis omnibus, nēpe subjectum, objectum, & unio, subjectum bene considerandum, quantò enim hoc est delicatius, tantò vehementior dolor: eadē quippe percussio in oculo, & brachio, majorem dolorē in oculo excitabit, quàm in alia parte, quia oculus nobilior est. Quale est subjectum tormenti conscientiæ? nobilius membrum hominis, cor, & anima, in nobiliori quoque parte animæ, rationali nēpè, & superiori: sicut enim peccatum solùm in parte rationali committitur, quia illa sola est capax, sic remorsus, & pœna commissionis, ad illam, & non aliam partem pertinet. Ratione ergo subjecti nulla pœna major esse potest, cùm nulla sit nobilior, aut magis sensitiva pars.

Nulla pœna sibi æquari potest.

15. Adjungamus quoque nec pœnam ęqualem reperiri posse, nihil siquidem est, quod cor lædere possit: cùm ad ipsum non perveniant vulnera, percussiones, venena, injuriæ, nec aliquid quod offendere possit. Licet quoque de simili casu quandoque doleat, hoc tamen non facit ut vulnerata, aut damnum propriè passa, sed ut amicis charis condoleat. Cùm ergo affectum à rebus externis, & propria carne abstraxerit, nullum sentit dolorem ex omnibus afflictionibus; S. Joannes Chrysostomus optimè quoque dicebat; *Nemo læditur, nisi à seipso*: ad partem siquidem propriam hominis, nulla perveniunt vulnera, nisi quæ sibi ipsi per peccatum infligit, à quo tormentum malæ cōscientiæ derivatur. Hinc argumentari licet, quàm grave sit hoc tormentum; quia non tantùm nobiliori

biliori parti proprium, verùm etiam solum est; ita ut cùm tormenta partis rationalis debeant esse majora quàm aliarum partium, quia delectationes sunt majores; omnia quæ in tormento malæ conscientiæ restricta sint: dicendum erit, quòd omnibus doloribus, tribulationibus, & infirmitatibus, quas caro, aut homo in quacumq; parte pati posset simul collecti, non pervenient ad tormentum malæ conscientiæ; alioquin capacior, aut potentior ad patiendum esset caro, quàm anima.

Omnibus doloribus majus est.

16. Imò quod amplius est, licèt hoc tormentũ sit proprium animæ rationalis, pertransit tamen ad alias partes, & carnem ipsam inficit, quia teste Sapiente; *Spiritus tristis, exsiccat ossa.* Licèt quoque hoc commune videatur omnibus doloribus, cujuscumque partis, propter maximam unionem earum; pede siquidem dolente, lingua conqueritur, cor suspirat, voluntas attristatur; illa tamen est differentia, quòd pars rationalis, ut superior, & domina, licèt naturaliter sit disposita, ad participãdum dolores alterius partis; potest tamen quandoque sibi vim inferre; & carne languente ac dolente, læta permanere. Hoc sæpiùs in martyribus, alijsque apparuit, qui exquisitissimis tormentis excruciati, hilares tamen ridendo pœnas suscipiebãt; carne verò, quæ serva est animæ, dolente non potest de angustijs eius non particeps reddi, licèt quoque exteriùs gaudeat, est gaudium fictum & simulatum, ab ipsa voluntate imperatum. Tormentum malæ conscientiæ cùm parti rationali sit propriũ, debet quoque à partibus inferioribus participari, sicque dici potest tormentum totius hominis.

Proverb. 17. 22.

Totum hominem inficit, & turbat.

17. Rectè igitur Sapiens, de castigatione peccatorũ loquens dixit: *Vindicta carnis impii, ignis & vermis*; Quid verò per vermem intelligit? An illos qui carnem ab anima separatã in sepulchro rodent? Hanc pœnam parum curaret impius, cùm non sit illi propria, quia ab omnibus bonis, & malis sustinenda, nisi particulari privilegio à Deo præserventur: Tunc quoque non diceret *vermis*, in singulari, sed *vermes* in plurali, vermis ergo de quo loquitur, non alius esse potest, quàm vermis malæ consciẽtiæ, de quo idem ferè inquit Isaias; *Vermis eorum non morietur.* Cur hunc vermem carni potiùs, quàm animæ tribuit? videbatur debuisse dicere, *vindicta animæ impii*, vel ad minùs, *vindicta impii*, & non *carnis impii*, cùm hic vermis in anima sit, & non in carne. Optimè tamen dixit, quia impius nil nisi caro est, vivit quasi animâ careret, & hanc nisi ratione carnis amãdo, illamque in

Vermis impiorum non morietur.

Eccli. 7. 19.

Isaiæ 66. 24.

Impii non aliud quàm caro sunt.

in carnē transmutādo, iuxta sacrum dictū; *non permanebit spiritus meus in homine in æternū, quia caro est.* Ideoque Sapiens sub nomine carnis, & non animæ, totum impium intelligit. Rectè insuper dixit, quantumvis enim hic vermis proprius sit animæ, & in illa nascatur, nō tamen carnem affligere desinit; impius quippe non aliud quàm carnem curat, idcircò Sapiens ei insinuat hanc quoque non tantùm ab igne, sed à verme conscientiæ affligendam. Hanc etiam pœnam, vltimô locô ponit, post ignem, ut ostendat pejorem esse, ipsoque infernali igne magis timendam.

Genes. 6. 3.

Peccatum objectū malæ conscientiæ.

18. Cōsideratâ igitur primâ ratione hujus tormenti malæ conscientiæ quæ est subjectum; secunda ratio, videlicet objectū considerandum est. Hoc objectum nil aliud est, quàm peccatum, ut bene noverat Propheta David, dicens: *Peccatum meum contra me est semper:* & Cicero; *suum quemq; scelus exagitat;* Quod Caino pariter dictū fuit: *Si malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit:* ut te affligat, & cruciet. Sed quis nescit peccato nil pejus reperiri posse? vulnus ergo eius & dolor inde natus, major erit omni re totius mundi. Ex uno insuper effectu alterum rectè colligere possumus. Duo effectus principales ex peccato oriuntur; unus privativus, alter quasi positivus; privativus, nos multis bonis spoliat, positivus, multis malis nos replet. Cùm ergo hi duo effectus ex eadē causa oriantur, quæ totis viribus ad utrumque æqualiter concurrit, ex magnitudine unius alterius magnitudinem colligere licet. Magnitudinem verò effectus privativi, quis explicare poterit? ne quidem intellectum, & eloquentiam Angelicam, sufficere puto; quia nos bono infinito privat, quod est Deus. Alter effectus quem positivū dicimus, qualis est? Tormentum malæ conscientiæ, quæ est afflictio, & pœna, filia peccati; si verò hic secundus effectus proportionari debet primo, qualis erit? Quā ingēs, quàm excedens, quàm insupportabilis, quàm inexplicabilis? nec humana, nec Angelica lingua illam explicare sufficeret. Hoc clarè exemplo mortis corporalis explicari poterit; sicut enim hæc quia nos vitâ & omni bono temporali privat, est pariter terribilissima, & maxima totius mundi pœna; ita peccatum, quod est mors spiritualis animę, sicut nos summo bono privat, sic quoque dolor ab illo causatus maximus esse debet.

Psal. 50. 5.

Genes. 4. 7.

Duo mali effectus ex peccato oriuntur.

Anima intimè unitur peccato.

19. His duabus rationibus consideratis; tertiam denique investigemus, quæ est unio inter objectum, & subjectum, inter animam, & peccatū; hæc autem est una ex maximis quam repe-

rire possumus. Quod tali modo probatur, quia multa objecta suis potentijs, medio aliquo uniri solēt; ut color per speciem, seu imaginem suam, quæ à philosophis vocatur species intentionalis cum potētia visiva; hîc tamē sine aliquo medio, sed per seipsum, peccatum immediatè animæ unitur. Nec solùm in superficie se sistit, ut multa accidentia in corpore, sed ad partes interiores penetrat; quod melius quàm accidentia corporea efficere potest; cùm quantitate careat, quæ in corporalibus penetrationē impedit. Adjungamus insuper non solùm unitum esse cum anima, ut forma cum sua materia, & accidens cum subjecto; verùm etiam ut effectus suæ causæ, & objectum potentiæ, nec transitoriè, ut multæ formæ, sed firmiter & inseparabiliter, nisi per divinam potentiam separetur. Ab hac igitur strictissima unione, quid aliud expectādum, quàm ut totum eius venenum, malitia, & damnum, miserrimæ animæ à peccato communicetur?

Si peccata aliena tantum dolorem in Christo excitaverint, quid facient peccata propria.

20. Sic igitur argumentemur, unio peccati cum sacratissima humanitate nostri Salvatoris, multò minor fuit illâ, quā peccatū habet cum anima peccatrice; illi siquidem unitū non fuit, ut forma subjecto, nec ut effectus causæ, quia fuit innocentissimus, & impeccabilis, sed solùm fuit unio extrinseca, & imputativa: cùm ipse in se suscipere voluerit pœnam peccatorum: seque illi univit ut objecto, considerans malitiam eorum. Hæc tamen tot dolorum causa fuit: ut illum sanguinem in terra defluentem sudare, ac miserrimam, & ignominiosissimam mortem pati coëgerit. Quid ergo efficiet peccatum in anima peccatrice, cui intimè & strictissimè unitum est: ita ut eadem res dici possit? Hoc Salvator mulieribus se sequentibus, & plangentibus dicebat: *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros, quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet.* Lucæ 23. 28.
Quasi diceret, si ego qui vermem peccati non patior, tantum sustineo, quid faciet lignū aridum, totaliter à vermibus mortiferis peccatorum & malæ conscientiæ corrosum? Si ergo peccati alterius consideratio, tantam afflictionem Salvatori cōtulit, ut dolorem acerbissimum crucis & mortis superaret; cùm dolores eius interni, externos excederent? Qualem dolorem, & afflictionem illi causabit, cuius est proprius partus? Nec per hoc inferre volo, tormentum malæ conscientiæ, absolutè excedere tormēta Salvatoris; hæc enim vltra modum excedebāt, ratione subjecti in quo erant, quòd meliùs deformitatem peccatorum, & amorem quem Patri

tri æterno exhibere debebant, cognoſcere poterat. Sed quod ſolummodò ratione majoris unionis, peccatũ majus tormentum illi exhibere poteſt, qui illud committit, quàm Salvatori; in altera quoque vita animabus damnatis credibile eſt majus inferre. Si ergo, ut hanc probationem concludamus, ſubjectum eſt pars nobilior hominis; & objectum eſt res pejor totius mundi, & unio inter illa ſit ſtrictiſſima; quis non videt, tormentum malæ conſcientiæ admodum crudele, & ferum eſſe?

Tormentum malæ conſcientiæ acerbiſſimũ.

21. Infideles hoc tormentum non ita ſentiunt, ut fideles; ſicut enim hi majori abundant lumine, & clariùs cognoſcunt deformitatem peccati: ſic illud committentes, majorem ſentiũt dolorem. Illi tamen adeò grave hoc æſtimabant, ut nullum illi par reperiri poſſe arbitrarentur: unde dixit Seneca; *Prima & maxima peccantium pœna, peccaſſe.* nec ſolùm conſcientia peccati, eſt prima pœna, ſed major omnium aliarũ. Quod Poëta quidam bene explicabat, ſic de illa loquens;

Fideles magis hoc ſentiunt, quàm infideles.

Seneca epiſt. 16.

Pœna autem vehemens, ac multò
ſævior illis,
Quas, & Cæditius, gravis invenit
& Rhadamantus,
Nocte dieq́ʒ ſuum geſtare in pectore teſtem.

Iuvenalis Satyra 3.

Nec aliud per furias infernales capillis ſerpentinis ac facibus accẽſis, in manibus depictas, intelligebant Gentiles, quàm hoc tormentum malæ conſcientiæ; ut bene intellexit Latinæ eloquentiæ princeps, dicens: *Nolite putare quemadmodũ in fabulis ſæpenumero videtis, eos qui aliquid impiè ſcelerateq́ʒ commiſerunt, agitari, & perterreri furiarum tædis ardentibus; ſua quemque fraus, & ſuus terror maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit, ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent, hæ ſunt impijs aſſiduæ, domeſticæque furiæ.* Quibus adjũgere poterat; hi ſunt vultures Tityi, Aquilæ Prometei, rotæ Siſiphi, Cerberi Plutonis, aliæque id genus pœnæ à Poëtis deſcriptæ, qui pœnas alterius ſæculi non cognoſcebant. Quin imò Philo licèt lacte Moſaicæ legis enutritus, opinionem tamen poëtarum ſequens, dixit, non alium eſſe infernum quàm malæ conſcientiæ: in quo licet malediceret; monſtrabat ſe nihilominùs bene intelligere, quã grave fuiſſet tormentum malæ conſcientiæ. Si dixiſſet in inferno pœnam non eſſe majorem illâ, non malè dixiſſet, hoc enim S. Baſilius, inquit, *ſed longè magis horrendus quàm tenebræ, & ignis, & ille æternus pudor, quem perpetuò ii qui ſe vitijs obſtrinxerunt retinebunt.*

Cicero orat. pro Sexto Roſcio Amer.

Mala conſcientia furia, & pœna infernalis.

S. Baſil. orat. 23. de futuro judicio.

22. Meritò ergo S. Paulus de impijs dixit; *Mercedem quã oportuit erroris ſui, in ſemetipſis recipientes:*

Ad Rom. 1. 27.

tes: quod certè magnâ exaggeratione dictum, scimus siquidem peccatum mereri pœnam infinitam? Infernum etiam ipsi debere? Quomodo ergo iniqui receperunt condignam mercedem in hac vita? non est certè condigna illorum demeritis, & peccatis; nec hoc vult dicere S. Paulus; sed illam maximè illis convenire cùm in hac vita nulla major reperiatur. Quod Sapiens quoque suâ auctoritate confirmat; postquam enim varia enumerasset tormenta, quæ Ægyptii tempore Pharaonis sustinuerunt, & particulariter tenebras horrendas, quibus ad instar catenarum ad invicem constricti erant; *Vnâ enim*, inquit, *catenâ tenebrarum omnes erant colligati*: unde colligitur tenebras illas non fuisse ut nostras tenebras, quæ solùm visum impediũt, sed terribiliores, & inferni tenebris similes; subjunxit tamẽ in fine; *Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris*: Quantũcumq; videlicet tenebræ illæ molestissimæ fuissent, molestiores tamen sibi ipsis erant, propter malã conscientiã, quæ hominem sibi ipsi, intolerabilem, & odiosum efficit. Quid pejus expectare possumus? Quid amplius in exaggerationem hujus tormenti adferemus?

Nulla major pœna in hac vita.

Sapient. 17. 17.

Ibid. 20.

An malum præsens vel futurum majorem afflictionem afferat.

23. Nondum finem pertigimus, multumque dicendum restaret; sed unam rem solam utilissimam, & fortè pejorem quàm hactenus audistis, vobis nunc exhibere cupio. Sed quid pejus afferri potest? Maxima est cõtentio, Auditores, quid pejus, aut quod majorem dolorẽ vel afflictionem afferat; malũ præsens, aut futurum? & licèt quis incõsideratè facilè diceret malum præsens; si tamen cuncta rectè expendere velimus, reperiemus ad minùs sæpiùs pejorem esse timorem dolore; majusque, expectatione suâ, tormentum adferre, quàm præsentiâ. Ratio hujus rei in primis est, quòd nostrâ imaginatione ab amore proprio adjuti, semper fingamus multò majora mala, quàm in se sint; cùm insuper malum est præsens: natura ex necessitate faciendo virtutem; se accommodat, prout meliùs sustinere novit: ad quod se resolvere nescit, dum absens est. Malum denique adveniens, unô solô vulnere ferit, sed expectatio omni hora, omni momento nova vulnera infligit. Cùm quidam vulnerari metuens, multos dies in tali timore peregisset, vulnere tandem acceptô, gratias Deo egit dicens; tandem hoc timore solutus sum. Chirurgi quoque omni modo infirmum dum ferire cupiunt, à timore eripere student. Quod Poeta quidam argutè expressit dicens:

Magis timor quàm vulnus exagitat.

Mitius ille perit, subitâ, qui mergitur undâ,

Quàm

Quàm sua qui liquidis brachia
lassat aquis.

Scimus quoque ad mortē condemnatos procurare quātociùs expediri; unde natum Proverbium; *Misericordiæ genus est citò occidere.* Instrumentum quoque mortis reis abscondi solet, quia talis consideratio, & expectatio, morte ipsâ majus videtur tormentū. S. Propheta Iob, inter felicitatē impiorū numerat, quod,
Iob 21. 13. *in puncto ad inferna descendunt:* sine infirmitate morientur subitò; &
Psal 72, 4. Propheta Regius ait: *Non est respectus morti eorum:* videlicet non prævident mortem, sed inadvertenter illos adoritur. Quid amplius? ipse Redemptor noster, inter plagas, spinas, & clavos, ad crucem vsque se demonstrabat invictum, quasi non sentiret tormenta, & dolores præsentes, illorum autem expectatio, tantam afflictionem in eo causavit, ut sanguinem sudaret, diceretque dilectis discipulis; *Tristis est*
Marci 14. 34. *anima mea vsque ad mortem*, malum igitur futurum, & jam propinquum, non minus tormentum excitat, quàm præsens, jmò quandoque majus.

Ingens miseria peccatoris. 24. Vide qualis miseria peccatoris tormētô malæ consciētiæ agitati, qui non solū ab ipsa sentit continuò corrodi cor, verùm etiam cōtinuâ expectatione, & timore futurorum affligitur. Rectè hoc indicat Prophe-
Iob 15. 21. ta Job; *Sonitus terroris in auribus ejus semper, & cùm pax sit, ipse insidias suspicatur.* Sicut condemnatus ad patibulum esse videtur, qui sonitum tubæ mortis futuræ judicium & adventantium satellitum murmur audiēs: sicut è patria fugitivus, cui princeps magnam pecuniæ summam imposuit ut comprehendatur, in omni loco se intercipi timet nec cuiquam fidēs, omnia cautè suspicit, omnes personas vitæ suæ insidias tendere arbitratur. Hoc clarè in Caino patuit, qui furiâ malæ conscientiæ agitatus dicebat: *Omnis qui invenerit me, occidet me:* quæ verba S. Ambrosius Gen. 4. 14.
considerans ait: *Cùm adhuc percussor deesset, ipsa sese injusti vita cruciabat.* Moraliter cuivis impio omnia videntur mortem minari, peccatum improperare, infortunia prædicere, & tormenta; quibus non solùm sacri libri, sed & prophani pleni sunt. Minus quoque malum esset, si pœnas tantùm hujus vitæ minarentur, sed quod maximè terrere deberet, quòd pœnas quoque æternas, cælestis gloriæ privationem, societatem dæmonum, & carcerem ac ignem infernalem numquam finiendum pariter minentur. Quomodo hæc solummodò cogitando non tremimus? Ex ijs tamē reperiūtur, qui conscientiam peccatis mortalibus repletam habentes, bibunt, dormiunt, comedunt, ac si de sua salute securi essent. Cæsar. *Mala consciētia cuncta minatur.*

Augustus summopere admirabatur, quòd homo multis debitis aggravatus, somnum capere posset: quantò magis admirandum, quòd qui plurimis debitis Deo obstringitur, & fortè in inferno æternas pœnas persolvere debebit; se quietè somno dedere possit? S. Bernardus de remorsu consciẽtiæ loquens ait: *A facie illorum morsuum quis sustinebit?* quis salvus esse, aut morsum conscientiæ sustinere poterit? Plurimi tamẽ illum sustinent, nec æstimãt, nec somnum ideò in minimo interrumpere cogitant. Sed heu, non somnus hic quietis, sed mortis est. Quid ergo de ijs expectandum, nisi quòd oculos occludendo, morte æternâ moriantur, & ad perpetuas tenebras descendant, ut in persona satisfaciant debitis, quibus in hac vita operibus satisfacere neglexerunt. Nolite, Auditores, hujusmodi esse, sed consciẽtiæ admonitionibus obediendo disponite vestra negotia dum tempus habetis.

SECUNDA PARS.

Quomodo tormentum malæ conscientiæ non sentiatur.

25. NOlo objectionem illam relinquere, quæ mihi meritò objici posset. Quomodò videlicet, tormentum malæ conscientiæ sit maximum, & tamen à multis sentiri non possit. Licet enim possit aliquis esse dives, pauper, honoratus, aut infamis, absque eo quòd sciamus; cùm hæc bona vel mala extra nos sint. Quòd tamen aliquis torqueatur, & non sentiat, non videtur possibile; sensus quippe est de essentia tormenti; percutiendo namque petram non dicetur afflicta; quãdoquidem non sentiat; pariter si quispiam percutiatur, vulneretur, clavis trãsfigatur, si non sentiat, non dicetur torqueri. Quomodò ergo dicimus tormentum malæ conscientiæ esse maximum, si à multis parum, aut nihil sentiatur? Hoc tamen verum esse experientia, & ratio suprà adducta clarè exhibent: alioquin homines ut hoc tormẽtum effugerent, non peccarent; aut quando peccassent, à peccatis abstinerent, ut hoc tormentum vitarent.

Quomodo tormentum malæ conscientiæ maximum dicatur?

26. Ut hanc non levem difficultatem solvamus. Primò advertendum, omnia tormenta malæ conscientiæ non esse æqualia, prout peccata quoque inæqualia sunt; nec omnes infirmitates ad eandem speciem pertinentes, æquales sunt, ut omnes febres, dolores capitis, aut dentium. Ad conclusionem nostram etiam verificandam, non oportet tormentum malæ conscientiæ maximum esse omnium, ita ut maximum ipsius tormentum superet maximum tormentum in quovis genere; hoc enim falsum est. Quid ergo requiri-

requiritur? Aristoteles in Topicis docet, quòd comparationem instituendo inter duas species rerum, ut videamus quæ excellat, non oportet omnia individua, utriusque speciei, ad se invicem comparare, ita nempe numquam esset finis; sed sufficit majus individuum unius speciei, cum majore individuo alterius speciei conferre. v. g. volo scire quis sit majoris staturæ vir, aut mulier; non oportet me singulos viros singulis mulieribus comparare, hoc enim in infinitum duraret, & inveniremus minores, & majores; sed, inquit Aristoteles, accipiendus est major inter viros; & major inter mulieres, illosque simul conferre, si vir major fuerit, absolutè dicendum est, virum altitudine excedere mulierem. Eodem ergo modo, ut in veritate dicere possim, tormentum malæ conscientiæ majus esse omnibus alijs; non oportet in singulis viris, aut mulieribus, esse majus omnibus aliis tormentis; sed sufficit mihi, quòd dum est in summo gradu, excedat omnia alia tormenta. Ut hoc melius penetremus, observanda est alia Aristotelis regula, ut quando duo simul conferenda sunt, debemus unumquodque illorum conjungere contrario alterius, sic enim meliùs apparebit, quod majus, aut melius. v. g. si scire velimus quid sit melius, sanitas, aut divitiæ; conferamus unum cum contrario alterius, v. g. sanitatem paupertati, & divitias infirmitati; & videamus quid melius sit, sanum, & pauperem; aut divitem, & infirmum esse, cùmque nullus sanæ mentis reperiretur, qui non eligeret potiùs pauperem esse, & sanum, quàm divitem, & infirmum: concludere debemus meliorem esse sanitatem divitijs. Pari modo si inquirere volimus, utrum majus sit tormentum malæ cõscientiæ quovis alio: Ponamus in uno homine tormentum malæ conscientiæ, & omnes mundi voluptates; in alio autem constituamus maxima tormenta, cum conscientia secura, & hilari. Quem statum nos feliciorem judicabimus? qualis ex his duobus securior erit, & jucundior? Ex mea parte non dubito, quin secundus: ratio est, quia tormenta externa non conturbabunt umquam mentem ejus, & conscientiam, ita ut ad minus in una parte erit contentus, & consolatus ut in martyribus patuit. In primo autem tormentum malæ conscientiæ conturbabit omnes eius voluptates, nec invenire quid poterit, quod delectationem ei adferat. Cornelius Tacitus de Tiberio Cæsare optimè dixit: *Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas*

Utrum melius sit cum mala conscientia voluptates quã cum bona tormenta sustinere?

Cornel. Tacitus lib. 6. Annal.

Lib. 14. Annal. *nas fateretur.* De Nerone quoque ait; quòd postquam matrem occidi jussisset, nullam requiem invenire poterat; videbaturque lucem ruinæ suæ allatricem expectare. De varijs quoque crudelibus tyrannis, refertur, quod ipsis videbantur umbræ occisorum repræsentari, omnesque concitari erga illos. Guicciard. lib. 1. anno 1495. Cùm igitur in hoc mundo nulla major sit dignitas quæ omnia pro gustu habere possit, quàm regia, aut Imperatoria; videmus tamen illam tormẽto malæ conscientiæ comitatam, nullam adferre delectationem, aut voluptatẽ, sed perdere omnem virtutem & operationem. Martyres è contra in medio acerbissimorum tormentorum hilares & contenti erant, propter consolationem, quam illis secura conscientia adferebat.

Cur mala conscientia non sufficiat ut à peccatis retrahat? 27. Hoc dubio ita resoluto, ad aliud accedamus; videamusque cur hoc tormentum, cùm adeò grave sit, non sufficiat ad homines à sceleribus retrahendos, vel ad minus efficiendum, ut se emendent? Respondeo, ad hominum volũtatem commovendam, sæpiùs magisque conveniunt res viciniores, & præsentes, quàm majores, aut potentiores absentes: ut sæpissimè videmus, homines magis allici minimâ hujus mundi voluptate, quàm æternâ beatitudine; magisque terreri minimo dolore hîc repræsentato, quàm omnibus inferni tormentis. Quando peccatum committendum est, tunc non sentitur tormentum malæ conscientiæ, vel parum admodum, sed solùm consideratur quod nos movet ad peccandum. Sic de Nerone, inquit Tacitus: *Perfecto demum scelere, magnitudo eius intellecta est:* quia tunc conscientiæ stimulis agitari incepit. Hinc dolor voluptatem sẽper comitari solet, iuxta dictum Sapientis: *Extrema gaudii luctus occupat:* Prov. 14. 13. & Græcus orator; *Non tanti emam pœnitere.* Adjungamus quoque paucos esse qui bonæ conscientiæ quietem experti sunt, ideoque non mirandum, si parum æstiment; nec adeò ab illis dolor malæ conscientiæ sentiatur, quia unum contrarium, per aliud cognoscitur; & qui numquam fuit dives, non ita sentit incommoda paupertatis. Quòd saltem non se emendent; post peccatum, & tormentum malæ conscientiæ; Primò respondere possem, pondus peccati adeò esse grave, ut homo illud à se proprijs viribus auferre non possit, sicque verum dicerem; quia tamen numquam divina gratia deest, & propria hominis voluntas obest, ut à peccato liberari possit: Dicamus licet sentiat remorsũ, & stimulos malæ conscientiæ, non tamẽ ad verum remedium recurrit; quia à diabolo deceptus, *Cur post peccatum non se emendant?*

ptus, alijs remedijs hoc vulnus curare putat. Hinc plurimi se voluptatibus, & delectationi sensuali donant, hoc remedio, & quasi dulci cibo latranti conscientiæ os occludere volentes. Alii spe misericordiæ divinæ, & bono proposito pœnitendi, seipsos decipiunt: alii falsâ opinione boni status se decipere procurant, atque ita seipsos miserrimè condemnant.

Quale remedium malæ conscientiæ?

28. Quale ergo tantis malis verum remediũ? si de remedio curativo loquamur, nullum melius, Sacramento pœnitẽtiæ, per bonam confessionem nobis applicato. Sicut enim vulnus cui ferrum adhuc inhæret, etiam multis unctionibus adhibitis, sanari non potest, nisi ferrô extractô, quô factô, faciliter sanatur, & occluditur: ita conscientiam ferrum peccati retinentem frustra alijs remedijs mederi cogitas. Voluptatibus te addices; Consilia in favorem tuum quæres? deciperis; dicendo faciam, faciam; omnia ista unctiones extrinsecæ sũt, dum ferrum est intus, parum tibi prodesse possunt. Oportet primò ferrum peccati, mediâ confessione extrahere; ita S. Gregor. Papa inquit: *Vulneri mederi non poteris, nisi traxeris pugionem infixum.* Ad hoc fortè respiciebat David, dum dixit: *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea, dum clamarem totâ die, conversus sum in ærumna mea dum configitur spina*; insipiens fui, inquit, spinam peccati cõscientiæ infixam habebam, præ dolore undique me vertens, quasi mutatio loci mihi prodesse posset; nec tamen ad verum remedium recurrebam, ut manifestarem nempe peccatum meum, & spinam evellerem? Hoc ergo verum est remedium, ad hoc omnes peccatis gravati accurrere debent, quia reliqua peragere, est operam perdere.

Confessio peccatorum verum remedium. Psal. 31. 3.

Visio Ieremiæ quomodo explicata?

29. Ex allegato remedio, quis explicare poterit, quanti fructus oriantur? Pulcherrima visio Jeremiæ Prophetæ exhibita fuit; tempus erat ficuũ, fortè esuriebat; & ecce videbantur ipsi ante templum duæ esse corbes ficuũ, quibus appropinquans, advertit in una esse ficus præmaturas, & optimas, in alia verò corruptas & insipidas, quę comedi nõ possent; dixit itaque ei Deus; *Quid tu vides Ieremia?* ficus diversas ego video respondit; quia, *ficus bonas, bonas valde, & ficus malas, malas valde.* Magnũ quid, fructus eiusdem speciei, eiusdem temporis, & fortè eiusdem arboris, tãtam diversitatem inter se habentes. Quid sibi hoc vult? idem Dominus visionis interpres fuit, & dixit: ficus bonas, significare Jechoniam, & qui cum eo in Babyloniam proficiscerentur: ficus malas, indicare Sedechiam, & illos qui secum in Ægyptum fugerent. Hîc tamen dubitans Je- Jere. 24. 3.

 ronymus

ronymus dicit; nónne Jechonias malus fuit, & impius, nónne adorabat idola, nónne de ipso dicitur; *Fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Pater eius?* Quomodo ergo hic comparatur fructui dulcissimo & optimo? in Osea assimulantur optimis fructibus illi SS. Patriarchę, Abraham, Jsaac, & Jacob: *Quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius, vidi Patres eorum*; ut demonstretur posteros illorũ non fuisse eis assimulatos, dicitur in Michæa; *Præcoquas ficus desideravit anima mea.* Quid ergo de Jechonia fuit quòd illum primis Patriarchis assimularet? S. Jeronymus dicit illam rationem fuisse, quia Jechonias sequendo divinum præceptum, quo per Prophetas suos jubebat in Babyloniam omnes cõmigrare, statim obedivit; Sedechias verò fugit in Ægyptum. Babylonia numquid à gentibus inhabitabatur, & figura peccatorum erat? Quomodo ergo ab Jerusalem in Babyloniam ire, illum sanctum reddebat? quin imò ex sancto potiùs sceleratum efficere poterat. Fuit hoc pulcherrimum, ni fallor, mysteriũ. Babylonia quid significat? non aliud quàm confusionem; Quid verò Ægyptus? tenebras: quales sunt peccatores qui in Babyloniam vadunt? illi qui post errorem commissum, confunduntur, & accedentes confessorem, peccata sua aperiunt, & voluntariè cõfusionem amplectuntur; de qua Sapiens, inquit; *est confusio adducens gloriã.* Quales sunt qui in Ægyptum descendunt? illi qui post divinã offensionem tenebras quærunt, ut peccata sua abscondant, nolunt illa patefacere, celant, & excusant; Ægyptus enim non aliud quàm tenebras significat. Vide ergo, licèt omnes sint peccatores, omnes ficus: ii tamẽ qui in Babyloniã eunt, quia se confũdunt, ficubus optimis assimulantur, Sanctis, & justis comparantur: qui verò in tenebras Ægypti fugiunt, dum peccata sua manifestare nolunt, ficus malæ remanent, quæ sine aversione conspici nequeunt. De ijs quoque Deus dicit: *Ponã oculos meos ad placandum, & reducam eos in terram hanc, & ædificabo eos, & non destruam, & plantabo eos & non evellam*, de illis è contra inquit: *Dabo eos in vexationẽ, afflictionemq; omnibus regnis terræ, in opprobrium, & in parabolam, & in Proverbium, & in maledictionem, in omnibus locis, ad quæ ejeci eos.* O qualis promissio, qualis cõminatio! quanta circa hæc dicere possemus si tempus permitteret? sed ad remedium pręservativum transeamus.

30. Quale ergo remedium inveniemus, ut à tormẽto malæ conscientiæ non vexemur? unicum solũ est quod unusquisque dicere poterit, non committere peccatum,

4. Reg. 24. 19.

Oseæ 9. 10.

Micheæ 7. 1.

Cur Iechonias malus Sanctis assimulatur?

Eccli. 4. 24.

Per ficus peccatores diversi figurantur.

Ierem. 24. 6

Ibid. 9.

Quale remedium ut à mala conscientia liberemur?

peccatū, sed quomodo hoc fiet? Quomodo à tantis diaboli tentationibus, & laqueis liberari poterimus? quomodo insidias mundi, & carnis effugiemus? Remedium in promptu est; tormentum malæ conscientiæ præ oculis semper habendo. Rerum militarium periti docent, optimum remedium inimicum superandi esse, si illum à tergo assilire possimus, cùm enim ibi ad resistendum paratus non sit, in fugam redigitur, aut miserè occiditur. Non aliter cum spiritualibus nostris inimicis agendū; si victoriam assequi cupimus à tergo sunt apprehendendi; quid autem sibi vult à tergo insurgere? An tergum habet diabolus, tentatio, vel peccatum? Imò faciem & tergum habent; facies pulcherrima, venusta, & amica, & dorsum deforme, monstrosū, & horribile; sed quæ est facies? delectatio seu voluptas quæ capitur, aut persuadetur. O quàm delectabile, & suave est, dies in lætitia transigere, suis effrænatis passionibus indulgere; appetitus sensuales sequi, res alterius sibi usurpare, inimicum suum, ex oculis auferre, objectô amatô frui. Noli aspicere, noli intueri hāc faciem, noli vultum Sirenis contemplari, quia victus remanebis. Ad tergum, ad tergum, oculi convertendi; considera paulisper, qualis pudor, qualis dolor, qualis obligatio, quale

Quæ facies, & tergum peccatorum?

conscientiæ tormentum, te consequetur, & sic victor evades. Noli fatigationem præsentis pugnæ, delectationi peccatorum assimulare; sed delectationem æternam, quam pugnâ finitâ consequeris, dolori & afflictioni consecuturæ assimula, cogita multò breviorem fore fatigationem pugnæ, supportatione stimulorum, & tormenti malæ conscientiæ, quam sustinere debebis. Quando te appetitus cibos prohibitos die ieiunii comedendi invadet, aut cōedendi ex cibis tibi placitis plusquam oportet; Noli attendere voluptati præsenti, quæ subitò transit, sed ad pœnā tibi reservatam, quam stomachus, & conscientia statim patientur attende. Quando tentaris ut rem alienam auferas; non respicias momentaneum quod delectat, sed pœnam, & obligationem restitutionis. Sicque in omnibus alijs tentationibus agendum, & certissimè victor existes.

A tergo peccatum adoriendum.

31. Deus ipse hanc præclaram artem nos edocuit, dum Philistæorum exercitus, rectè contra exercitum Davidis erat; nō ausus fuit David illis bellum offerre, ne fortè perderet: recurrit ad oraculum, & ad Deum ipsum, & responsū illi fuit, quod circumiret petram, & à tergo illos adoriretur, sicque certissimè vinceret: ita factum, & victum. Cur autem Deus hoc stratagemate,

Exemplo Davidis confirmatur.

tagemate militari, voluit Davidem uti? An sine eo victoriam dare non poterat? Quin imò non fuisset melius paucis plurimos assilire, etiam loco improportionato, ut favorabile, & potens Dei adjutorium meliùs innotesceret? poterat sine dubio hoc efficere, sed voluit Davidem hanc docere artem, ut pariter modum daret, spirituales inimicos vincendi, nimirum ut diximus à tergo illos occupando. Idem Aristoteles intellexisse videtur dum dixit: *Oportet considerare voluptates abeuntes:* miserabilia, & immunda vestigia quæ relinquunt, non autem fallaces promissiones, tergum non faciem intueri oportet.

Abigail officium conscientiæ exercebat.

32. Meliùs Aristotele hoc scivit Sapiens mulier Abigail, quæ, ut mihi videtur, officium conscientiæ cum Davide exercebat, illumque à malo exercendo avocabat. David summoperè indignatus erat adversus Nabal Carmeli, eò quòd se suosque malè exceperat; jamque irâ fervescente, ad eum omniaque sua perdẽda properabat; quãdo illi obviam facta prudẽs mulier Abigail, suisque verbis ad condonationem tanti mali adduxit; sed quæ illi dixit? Inter cætera hæc adjecit: *Cùm fecerit Dominus tibi Domino meo omnia, quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis Domino meo:* quasi diceret; Noli intẽdere exiguæ delectationi quã modo capies, in vindicta inimici tui, sed afflictioni & tormento malæ conscientiæ consecuturo. Notandum quoque illam dicere, hoc ei futurum in scrupulum, & singultum, quãdo erit rex Israel; quod nos anteà quoque dicebamus, nullam esse dignitatem in mundo adeò magnam, quæ sufficiat ad tollẽdum tormentum malæ conscientiæ. Meritò insuper hunc remorsum malæ cõscientiæ singultum vocat; sicut enim hic reprimi non potest, etiamsi velimus, sic remorsum malæ conscientiæ reprimere non possumus. Sicut etiam singultus quamcumque actionem interrumpit, teque confundit, nec tali modo auderes principem alloqui; sic remorsus conscientiæ voluptates nostras interrumpit, ut non audeamus Deum in oratione alloqui, & confundamur coram hominibus apparere.

1. Reg. 25. 30.

Tormentum malæ conscientiæ singultus meritò vocatur.

Licet non esset infernus à peccatis abstinendum.

33. Quando ergo nec fuisset infernus, nec cælum, nec judicium, nec alia vita expectanda; solummodò ut non sentiremus remorsum conscientiæ, ut non pateremur molestum singultum, deberet peccator à peccatis se cohibere. Noli ergo avare, opprimere pauperem injustè, quia; *Erit tibi in singultum*, qui guttur tuum invadet, qui tibi semper molestus erit; ita ut nullam delectationem

ctationem ex aliqua commoditate, aut lucro sperare possis: supra omnia autem in hora mortis te maximè cruciabit. Noli mulier, esse scandalum, aut occasio ruinæ incautis juvenibus, quia: *Erit tibi in singultum*; subitò transibit vana illa delectatio, quod ab omnibus sis expetita, & concupita, ac in voluptatibus enutrita: & remanebit tibi semper remorsus ille, quòd fueris occasio offensionis divinæ. Noli Judex propter lucrum aut favorem, injustam proferre sententiam, quia, *Erit tibi in singultum*, alii fruentur bonis, & tu restitutioni obnoxius manebis; quia conscientia te semper remordebit. Noli denique Christiane te à diabolo permittere decipi; & committere hoc, vel illud peccatum; quia, *Erit tibi in singultum*; valde carè persolvere debebis; præteribit statim dulcedo illa, & gustus; & remanebit singultus te excrucians. Si autem passiones tuas domueris, & tentationes diaboli deviceris, respiciendo ad tergum illarum; fruêris æternâ pace, & conscientiâ securâ. Optimè hoc S. Bernardus asserit: *Hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, Arca fœderis, thesaurus regni, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti*; est videlicet bona conscientia; illam denique possidendo, delitiis paradisi fruêris in terris, & in cælum perpetuò fruiturus postmodum ascendes. Ad quod Deus nos conducere dignetur. Amen.

Conscientia bona juge convivium.

S. Bernard. libro de consc. c. 4.

DIS-

DISCVRSVS NONVS,

Altaris Sacramentum unicam consolationem, & potentissimum remedium afflictis esse. Vnde pulcherrima documenta dignè communicandi eliciuntur.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Hoc SS. Sacramentum securum asylum. num. 1. 2.
Fortitudinem contra hostes tribuit. à num. 3. vsque 12.
Victoriam de cunctis inimicis referre efficit. à num. 13. vsque ad 18.
Medicina est corporis & animi. num. 19. 20.
Iuvenes, & immortales reddit. num. 21. 22. 23.
Non medicina amara, sed dulce lac est singulis. num. 24. 25. 26. 27.
Qui hîc eo lacte non utitur, in fine repelletur. num. 28. 29. 30.
Diversos in sumentibus causat effectus. à num. 31. vsque ad 36.
Indignè sumentes gravissimè peccant, & puniuntur. num. 37. 38. 39. 40.
Quali præparatione sumendum? nu. 41. 42. 43. 44. 45.
Summa requiritur humilitas. num. 46. 47.
Hoc lacte inebriari oportet. nu. 48.
Orationi, & morum immutationi incumbendum.

Refugia malefactoribus ubique erecta.

1. Os antiquissimus, à pietate introductus, à clementia cõfirmatus à magnanimitate stabilitus, & à ratione status adjutus, & promotus, fuit apud omnes gentes, loca quædã sacra, & refugii habere, Asyla vocata; tantis privilegijs dotata, ut à quavis injuria, aut castigatione promerita, immunis æstimaretur, qui illa adijsset: in multis quoque servi libertatem consequebantur. Sic Romulus Romanorum fundator, ut ad se multitudinem gentium alliceret, in loco fundationis suæ; asylum & publicam libertatem prædicabat. Pariter effecerat Cadmus Thebæorum fabricator; & nepotes Herculis Athenis, ut se ab inimicis vindicarent, Asylum erexerũt, quod templum misericordiæ nuncupabant. Talia quoque Deorum altaria, & fana æstimata. Inventor

tor autem hujus misericordiæ, ac benignitatis, non alius esse potest, quàm Pater misericordiarum, noster verus, & æternus Deus: qui in lege sua per Moysen data, voluit sex civitates refugii constitui, in quibus securi essent, qui inculpatâ tutelâ, aut fortuitò quemquam occidissent. Si autem hoc in veteri lege constituerit, quæ lex timoris & servorum erat; quid non in lege Evangelica effecerit, quæ Lex amoris, & filiorum est?

Inventor horum Deus.

2. Asylum absque dubio, mirabile, & securum constituit; non pro peccatoribus solùm, verùm etiam pro afflictis, & tribulatis. Scitis quale? sanctissimum altaris Sacramẽtum, quod etiam Propheta regius optimè prædixit his verbis: *Ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula.* De quo autem templo loquebatur ille? dicunt aliqui de sanctuario quod suo tempore erat: alii autem inquiunt, eum de Salomonis templo prædicere, quia instar cornu Rhinocerotis erat altum, forte, & unicum in Judæa. Multò tamen meliùs de SS. altaris Sacramento intelligitur; non solùm quia materiale illud templum figura erat sacratissimi corporis Salvatoris nostri; ut ostendit dum dixit: *Solvite tẽplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud:* verùm etiam quod David dicebat, meliùs divino Sacramento, quàm templo Judæorum conveniebat: ne siquidem unum pro alio acciperemus, quasi differentiam adjunxit dicens: *in terra, quam fundavit in sæcula.* Quasi diceret, attendite me non loqui de quovis templo, sed de eo quod Deus fundavit in terra per omnia sæcula. Sed de qua terra intelligit Propheta? An de hac quam pedibus calcamus? sed ubi hoc templum fabricari poterat? An in aëre, vel mari? Certè non, superfluum ergo erat dicere, illum fabricaturum in terra; cùm nullum templum in alio loco ædificatum fuerit. Meliùs ergo dicamus, his verbis non explicari locum, ubi hoc templum fabricatum fuit, sed tempus durationis; ita ut idem sit dicere; *in terra quam fundavit in sæcula*; quàm dicere, *sicut terra quam fundavit in sæcula*, hâc enim vim sæpiùs habet particula *in*; ut in illo loco; *Defecerũt in vanitate dies eorum*, id est, *sicut vanitas: & sicut terra*, ut legit hîc Liranus; quasi David dixisset; attendite me non loqui de hoc sanctuario pauco tempore duraturo, sed de illo quod ad finem vsque terræ duraturum est, quæ fundata est per omnia sæcula; tale est sanctiss. Sacramentum, quod in finem vsque mundi durabit.

SS. Sacramentum Asylum securum.
Psal. 77. 69
Joan. 2. 19.
Psal. 77. 69
Psal. 77. 33

3. Cur autẽ hoc Sacramentum unicorni simile dicitur? An quia

Cur hoc Sacramentum unicorni assimulatum.

quia hic est unitatis symbolum, voluit indicare David, quòd sicut in lege veteri plurima erât sacrificia, in lege nova omnia ad unum redigenda erant? sicut ad demonstrandum, populum Israel singulariter à Deo diligi,
Psal.28.6. dictum fuit; *Dilectus quemadmodum filius unicornium?* Bene quidem, sed meliùs proposito nostro aliter hoc declarabimus. Duas mirabiles proprietates hoc animal habet; prima est fortitudo, adeò excellens, ut omnia animalia superet, & ipsum Elephantem occidat. Secunda est virtus medicinalis, sui cornu; unde dicitur animalia Libyæ ubi ipse moratur, non audere bibere aquam, præter eam quam unicornis suo cornu attigerit, ut à veneno secura essent. Hinc duæ pulcherrimæ conditiones nobilissimi nostri unicornis, per quas cognoscitur verũ Asylum, & refugium peccatorum, & afflictorum, fortitudo, & virtus medicinalis: fortitudine quippe ab omnibus inimicorum insidijs securos reddit, & medicinali virtute, omnia mala interna abigit. Has verò duas conditiones in hoc discursu considerandas proponam, ut afflicti ad ipsum recurrere consuescant.

Duplex virtus unicornis.

Duplex virtus in SS. Sacramento.

Prima fortitudo.

4. Ad primam ergo quod attinet, quis nescit fortitudine admirabili & monstrosâ Davidem in juventute fuisse præditum? qui in armorum exercitio inexpertus, non solùm ausus est aggredi gigantem Goliath: sed contra illum excutiendo lapidem, in terram decidere cogẽs, sceleratũ caput amputavit? Sed nostis quâ virtute David tanta potuerit? non aliâ quàm virtute hujus sanctiss. Sacramenti: Ne autem extraneum vobis id videatur: audite Philonem Hebræum id ipsum enarrantem: dicit enim, Davidem in quinque illis lapidibus de torrente sumptis, scripsisse nomina quinque illustrium virorum qui in mundo fuerant. In Primo nomen Abraham, in secũdo Jsaac, in tertio Jacob, in quarto Moysis, in quinto nomen fortissimi Josue, qui in Hebræo Jesus vocatur, sed quo ex his quinque creditis illum gigantem percussisse? dicetis, primô quem ex pera sua tulit, bene quidem: quis verò fuit ille? quando multa in vase simul ponuntur, quod vltimò ponitur, primò accipitur: postremus lapis hic fuit, cui nomen Jesu inscriptum erat, ergo primò illum accepit, eoque gigantem percussit. David quoque idem asseruit: *Tu venis ad me cum gladio, hasta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum:* sed numquid etiam pugnavit David? Jmò certè, quomodo ergo dixit, illum pugnare in nomine Domini? Quia in lapide illo nomen Jesu erat: unde bene dixit, illum pugnare 1.Reg.17.45.

in

Lapis quo Goliath percussus, SS. Sacramentum indicat.

in nomine Jesu. Sed lapis albus in quo nomen Jesu scriptum, qualis figura est? Quis in eo demonstratur? nônne advertitis sanctiss. altaris Sacramẽtum esse? Lapidis candor, nónne candorem hostiæ; & nomen Jesu præsentiam Salvatoris indicat? David hoc rectè intellexisse videtur, quia lapidem hunc in pera, uti Pastores panem suum ponere consueverunt, posuerat; quasi diceret; hic est verus panis qui me sustinet, & fortitudinem tribuit. In Apocal. clariùs idem exprimitur; *Qui vicerit dabo ei calculum candidum, & in calculo nomen scriptum*; per quem iuxta multorum expositionem aliud nõ intelligitur, quàm sanctiss. Sacramentum. Idem quoque rectè figuratum fuit per carbonem ignitum, quô labia Jsaiæ Prophetæ mundata fuerunt, si figura ergo hujus SS. Sacramenti victoriosum efficit Davidem, cõtra gigantem Goliath; quomodo verum & reale corpus Domini nostri, nobis victoriam contra omnes inimicos nostros non retribuet?

Apoc. 2. 17.

Cunctos inimicos hoc Sacramentũ destruet.

5. Ampliùs dico, ad præsentiam solius SS. Sacramenti, omnes inimici nostri, confusi, & conterriti deficient. In fabulis Poëtarum fit mentio principis cujusdam, qui scutum habebat lucidissimi crystalli, adeò mirabile, ut quotiescumque cum inimicis confligendo, scutum detectum monstraret; fulminis instar adeò splendentes emittebat radios, ut sine defensione vlla, adversarii in terram decidere coacti forent. Ecce verum scutum lucidissimi crystalli, sanctiss. Sacramentum, quod solâ præsentiâ omnes inimicos exagitat. Verè scutum, de quo fortè intellexit S. Paulus dum dixit: *In omnibus sumentes scutum fidei.* Numquam advertistis, quomodo fides depingitur? An gladio, & scuto pugnãs? minimè; quod ergo scutum eius? nullum aliud in manu reperio, quàm SS. Sacramentum: sicut ergo dicendo scutum Bacchi, intelligitur scyphus quem manu tenet (liceat mihi hac similitudine uti, ut conceptum explicare possim) sic dicendo scutum fidei, hoc Sacramentum quod in manu tenet, intelligetur. Nónne videtis illud adeò proprium esse fidei, ut vocetur *mysterium fidei?* sic in persona Salvatoris omni die Sacerdos in Missa dicit: *hic Calix novi Testamenti est in meo sanguine, mysterium fidei.* Sed omnia alia Sacramenta, & articuli fidei, nónne mysterium fidei sunt? omninò. sed hoc est mysterium in quo ille particulariter relucet, & quod ille pro insignibus, & emblemate, in scuto deferre solet. Quæ verò materia hujus scuti, nisi lucidissimum crystallum, cùm æternum verbum aliud non sit, quàm iuxta

Ad Ephes. 6. 16.

Scutum fidei SS. Sacramentum.

Sap. 7. 26. dictum Sapientis: *Speculum sine macula, & candor lucis æternæ?*

SS. Sacramentum scutum crystallinum.

6. Hoc ergo est verum scutum crystallinum, quod victoriam inimicorum omnium obtinere facit. Si mihi hoc dicenti non creditis; audite Prophetam regium, mirabiliter idem prædicantem, & fideles ad laudem Dei invitantem; cùm enim felicitatem Ecclesiæ, sub nomine Jerusalem describeret, inter cætera dixit: *Lauda Ierusalem Dominum*, qui *mittit crystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* (Psal. 147. 12.) Sed per hoc crystallum quid intelligitur? multi frigidissimam glaciem in hieme quãdoque repertam intelligunt; hoc autem David pro maximo enumerat beneficio? glacies quæ frigore tremere nos efficit, quæ usu liquidi, & elemento utilissimo aquæ privat; quæ arbores reddit mortuas, herbas exsiccat, vias inaccessibiles, & terram efficit sterilem, pro ingenti favore enarrat? non loquebatur, ni fallor, de hac glacie, sed de præstantissimo crystallo, quod sub forma panis tribuitur; quis hoc asserit? ipsemet, & ne quis errorem committeret, hanc circumstantiam adjunxit, quod comedatur, ut buccella panis; *Mittit crystallum suam sicut buccellas.* (Ubi suprà.) Quis umquã vidit glaciem instar panis? quis umquam audivit, aliquem se glacie cibare? non est ergo hoc crystallum de quo loquitur, sed SS. Sacramentum, quod sub forma panis datur, & verus est cibus animarum nostrarum. Quid amplius desiderares? An victoriam omnium inimicorum nostrorum? quòd omnes ad præsentiam eius timore pleni, in fugam converterentur? Audi sequentia: *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* (*Omnes inimicos in fugam convertit.* Ubi suprà.) Sed hoc SS. Sacramentum éstne occasio frigoris? nónne totum ignis est? nónne amore inflammat, qui illud recipiunt? Respondeo omnia vera esse, est ignis, & glacies; ignis amicis, glacies inimicis; ut ignis recipientibus fervorem causãt, ut glacies producit frigus in ossibus inimicorum; ut ignis nos totaliter accendit, ut glacies præ timore sanguinem in venis inimicorum congelare facit, & in fugã convertit. Pulcherrimam hujus rei vobis experientiam exhibebo; mementote illius facti S. Claræ, quæ advertens patriam suã Assisium, à Saracenis occupatam, ipsa sola omnes in fugam convertit. Quali modo? exhibendo ipsis hoc lucidissimum crystallũ SS. Sacramenti. Vix enim hoc scutum in civitatis muris apparuit, quin omnes Saraceni gelido timore perfusi, in fugã se subitò receperint. Quid verò mirandum præsentiam regiam hujus SS. Sacramenti hoc effecisse, cũ ipsamet figura hoc prçstiterit.

7. Exer-

Iosue scutum elevans inimicos in fugam convertit. 7. Exercitus Jsraëliticus quãdoque devictus; & ab habitatoribus civitatis Hai fugatus, & persecutus; tamdiu cedere debuit, donec Deo sic præcipiente, Josue scutum in altum elevans subitò victoriam commutare fecit, & Jsrael persecutores suos in fugam convertens, occidit, & civitatem illorum in vltimam adduxit ruinam. Ut sciremus autem quanti referebat elevatio scuti Josue, notat sacra Scriptura, illum non dimisisse scutum, donec victoria completa fuisset: ita refert sacer textus; Josue 8.26. *Iosue verò non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Ad quem verò finem vsque defatigari voluit in scuto elevando? nónne meliùs socios in prælio adiuvisset? aut si scutô uti volebat, quid opus erat in altum levare? potiùs ante pectus, aut faciem ponẽdum, ut tela inimicorum averteret. Hoc certè mysteriosè factũ puto, in figura SS. Sacramẽti, quod verum scutũ ducis nostri Jesus; *Figura SS. Sacramenti fuit.* hoc verò in altum quotidie levatur, quia revereri, & adorari ab omnibus debet, eoque tantummodò visô, fortitudo, & audacia amicis, & pavor ac fuga inimicis immittitur. Idẽ quoque David alio loco asserit; Psal. 67.2. *Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, à facie eius*; Justi autem quid interim agent? *& justi epulentur, & exultent in conspectu Dei*: Ibid. 4. ita ut eadem divina facies, & justos gaudere faciat, & malos in fugam cõvertat. Ubi quæso, justi, epulantur, nisi in sacra mẽsa altaris, & in præsentia SS. Sacramenti? eadem ergo inimicos in fugam conijcit. Clariùs hoc exprimit Propheta David; Psal. 22.5. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.* Maximè, inquit, ab *Hæc mensa contra inimicos defendit.* inimicis persecutus fui, & Dominus defendit me; sed quomodo? An exercitibus armatis? mirabilem mihi præparando mensam; illam nempe in qua sanctissimus hic cibus proponitur.

8. Hoc mysterium pariter intellexit sponsa in Cãticis, ideoque de sponso suo dicebat; Cant. 2.9. *En ipse stat post parietem nostrum, prospiciens per cancellos*: qualis hic paries post quem cælestis spõsus se vidẽdum exhibet, nisi species Sacramentales, quæ illum ab oculis nostris abscondunt? Ibi *In SS. Sacramento pro defensione nostra stat.* ergo reperitur, sed in qua figura, sedendo aut iacendo? in situ defendentis, vel pugnantis; *stat*, ut notant SS. Patres, sic etiam S. Stephanus illum vidit, in cælo stantem: promptus videlicet ad pugnandum pro illo; non quia in sacra Hostia situ aliquo sit, cùm ibi non circumscriptivè, sed definitivè sit, ut loquuntur Theologi; sed quia promptissimum se ad auxilium nostrum exhibet.

9. Licet ergo in hoc SS. Sacramento clarè pateat defensio nostra, victoria tamen eius contra inimicos nostros distinctiùs & clariùs elucescit. Clarè testatur Jsaias Propheta; *In die illa visitabit Dominus super militiam cæli, in excelso; & super reges terræ qui sunt super terram:* qui Scripturæ locus tātò pulchrior, quantò minùs cognitus ab expositoribus; vindicabit se nempè de Angelis rebellibus, & impijs qui dominantur in terra; quid autem sequetur? *Et erubescet luna, & confundetur sol; cùm regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, & in Hierusalem, & in conspectu servorum suorum fuerit glorificatus.* Quando hæc Prophetia impleta est? in passione dicunt aliqui; quia tunc sol & luna obscurati fuerunt; aliæ tamen circumstantiæ non conveniunt; non enim tunc fuit dies regni eius, sed mortis, nec tunc clarificatus fuit, sed reprobatus, non tantùm in conspectu senum, sed totius populi. S. Hieronymus & Haymon dicunt hanc Prophetiam adimplendam, in die Judicii, quādo luna tota erit sanguinea, & sol quasi sacco contextus apparebit. Plurimæ tamen difficultates obsunt; primò quia diem judicii præcedent hæc signa, hîc verò dicitur quòd sequentur; tunc apparebit Dominus in valle Josaphat, & regnabit supra universos, hîc verò dicitur quòd regnabit in monte Sion, & in Jerusalem; illic Angelis cingetur, hîc verò senibus. Quomodo ergo hic Scripturæ textus intelligendus? Textus Græcus facillimè hoc indicabit, ubi enim nos legimus *in cōspectu senum*, illi legunt, *in conspectu presbyterorum*. Quales sunt hi presbyteri? sunt Sacerdotes qui consecrant, & ministri sunt hujus SS. Sacramenti; quæ autem glorificatio potiùs ad presbyteros pertinens, quàm ad alios, potest intelligi, nisi illa, quæ fit per manus illorum supra Altare?

Jsaiæ 24.21

Quomodo hæc Scriptura intelligenda?

Ibid. 23.

10. Quomodo verò intelligetur; *Erubescet luna, & confundetur sol?* dicere possem, Jsaiam ut aulicum loqui de his nobilibus planetis, prout in aulis principum quandoque accidere solet: aulici quippe dum in atrio expectantes nullis rebus occupantur, ut tempus transigant: fingunt aliquem suorum principem esse, ipsique reverentiam exhibent, quique illis sua auctoritate responsa det, & majestatem principis fingat: cùm ecce repentè princeps egrediens, & factum reperiēs, fictus ille princeps rubore suffusus remanet. Non aliter dicendum aulicos Dei, omnes creaturas esse, particulariter autem stellas, quæ adeò sunt obedientes, ut ab illo vocati, subitò dicant, *adsumus:* dum verò Deus in cælo reclusus nondum apparuerat, tunc unusquisque

Ubi suprà.

Insignis comparatio, & explicatio.

quiſq; honorem divinum uſurpabat; & maximè Sol & Luna, ob pulchritudinē, & efficaciam, ut dii habebantur. Sed quid accidit, Deus per incarnationem ſuam mundum viſitans, & in Sacramento Altaris ſe ut Deum verum cognoſcere faciens; neceſſariò Sol & Luna qui hunc titulum uſurpabant, confundi debuerunt.

Cur Sol & Luna in paſſione, & judicio erubeſcent.

11. Dicamus quoque meliùs; *Erubeſcet Sol, & Luna confundetur,* in mentibus fidelium, propter memoriam illorum temporum, in quibus hæc ſigna apparuerunt, vel apparebunt. Ad duo tempora hæc ſigna Chriſtus reſervare voluit, ad tempus ſuæ paſſionis, & ad tempus extremi judicii; ad demonſtrandū nempe dolorem quem ipſe in paſſione habuit, & dolorem quem omnes in die judicii habere deberent; oſtendens ſe non minùs æſtimare condemnationem hominum, quàm mortē propriam. Qui ergo ad hoc SS. Sacramentum accedit, quid illi faciendū? Recordari horum temporum, paſſionis Chriſti, & extremi judicii. Paſſionis recordandum, ut gratam ſemper memoriam tanti beneficii habeamus; judicii verò, ut examinemus propriā conſcientiam, & ab omni culpa purgemus; Paſſionis, ut excitemus amorem, & confidentiam, judicii, ut retineamus humilitatem, & reverentiam paſſionis, ut incitemur ad virtutes in ea reſplendentes; judicii, ut lugemus peccata in illa die detegēda; paſſionis, ut fruamur eius fructibus ſi bene fuerimus diſpoſiti; judicii, quia puniendi ſumus, ſi malè acceſſerimus; paſſionis, ut gratias agamus quòd tanta pro nobis pertulerit; judicii, ut remiſſionem petamus tantorum peccatorum contra ipſum commiſſorū: paſſionis denique, ut conſideremus bona quæ ibi promeritus eſt; judicii, ut cognoſcamus peccata, à quibus nos liberauit. Hæ ſunt duæ cōſiderationes quas David univit dicens: *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine, pſallam & intelligam in via immaculata quando venies ad me:* Quando videlicet Domine tuâ præſentiâ me dignaberis reficere in SS. Sacramento, tūc binas tibi cantabo laudes, miſericordiam, & judicium; miſericordiam quam in redemptione mea exhibuiſti; judicium, quo me es caſtigaturus ſi tantô bonô abutar, ideoque non tantùm cantabo, verùm etiam intelligam: non tantùm de redēptione lætabor, verùm etiam reſpiciam judicium ut timeam. Multò clariùs S. Paulus idem expreſſit: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat:* ubi evidenter judicium, & redemptionem exprimit, in ſequentibus quoque verbis

Communicans horum temporum recordari debet.

Pſal. 100. 1.

1. Corint. 11. 26.

verbis idē proprio nomine expressit: *Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.*

Ad præsentiam Eucharistiæ Sol & Luna erubescent.

12. Sensui insuper litterali conformiùs sic explicatur; *Erubescet Sol, & Luna confundetur*; ad præsentiam tanti Sacramenti, metaphoricè ait Jsaias; quia tāta erit majestas, & gloria eius, ut ad præsentiam illius, duo illa cæli luminaria, obscura, & deformia videbuntur: hic quippe gloriosè de omnibus inimicis suis triumphabit. Quis ergo non animosè, & intrepidè procedet, etiam per medios hostes, hoc defensore protectus? in hoc se plurimùm confidere monstrabat David, dicens: *Si ambulavero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Si videlicet adeò morti vicinus fuero, ut vmbra eius me cooperiat, non tamen timebo cùm Dominus mecum fuerit. Idcircò postea subjungit; *Parasti in conspectu meo mensam, adversùs omnes qui tribulant me.*

Psal. 22. 4.

Psal. 22. 5.

Hoc Sacramēto pignus gloriæ, accipimus.

13. Non solùm hoc SS. Sacramento Dominus intimè unitur; verùm etiam pignus gloriæ, & arrham mirabilem, nūquam nos derelinquendi tribuit; quin imò efficiendi, ut omnes cælestis curiæ milites nobis inserviant, & favoribus præveniant. O quàm singulare beneficium, ut hoc probemus, advertendū est, quanti fiat ab omnibus ducibus, & militibus, vexillum militare; in hoc defendēdo omnis honor eorum situs videtur: ad hoc omnes cōcurrunt, & potiùs quàm perdere sinant, propriam exponunt vitam, illamque deperdūt, ut milites quoque promptiores ad defensionem eius redderentur quandoque moris erat, bursam pecuniæ pro solutione vexillo appendere, hanc enim milites maximè appetunt: unde quidam generosi duces, vexillum inter medios hostes inferebant, ut eo omnes concurrerent, ne præda hostibus fieret, sicque gloriosam referrent victoriam. Dum ergo sacratiss. corpus Domini intra te sumis, scis quid agat Deus? vexillum suum in te collocat, ita ut omnes Angeli, & cælestis curiæ milites particulari favore tibi succurrere obligentur. Non hæc mea inventio, sed cælestis illius sponsæ in Cāticis: quæ particularem favorem dilecti sui enarrat, dum se in cellam vinariam introductam ait: *Introduxit me rex in cellam vinariam*, sed quæ hæc cella vinaria? non alia quàm sanctum Altare, in quo sanguis Christi, qui vinum Ecclesiæ est, offertur: vel hostia consecrata, in quo vinum hoc pretiosum reconditur, fuit denique particeps effecta sanguinis dilecti sui sub similitudine vini: quid inde secutum: *Ordinavit in me charitatem*, inquit: textus Hebræus clariùs proposito

Sumendo corpus Christi, vexillum eius erigis.

Cantic. 2. 4.

Ibid.

ſito noſtro idem exponit; *Vexillum eius ſuper me charitas:* Omnes ergo cæli milites ad defenſionem vexilli convolabunt; quid igitur nobis timendum? ille cunctos adverſarios abſque labore devincet.

Victoria Gedeonis figura SS. Sacramenti.

14. In mentem revocemus, quod Gedeoni fortiſſimo duci accidit; innumerabilis Madianitarum exercitus eum invaſerat; cumque paucos haberet milites, ſūmoperè metuebat; Deus verò ut illum confortaret dixit, ſurge Gedeon vade modeſtè ad tentoria inimicorum & auſculta quid ibi dicetur; vadit Gedeon, & audit militem enarrantem alteri ſomnium ſuum, tali modo; *vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcineritius panis ex hordeo volvi, & in caſtro Madian deſcendere, cumque perveniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud & ſubvertit, & terræ funditus coæquavit. Reſpondit is cui loquebatur, non eſt hic aliud niſi gladius Gedeonis, tradidit enim Dominus in manus eius Madian & omnia caſtra eius.* Quô auditô Gedeon animum ſumpſit, & ordinans trecentos ſuos milites, dedit eis tubas & lumen in vaſis cretaceis abſconditum, eoque modo inimicum aggreſſus, inſignē obtinuit victoriam. Notandum verò, tria in hac hiſtoria cōcurriſſe, quorum unum eſt figura & prædictio alterius, non tamen videntur vllam habere ſimilitudinem, aut proportionem inter ſe; primum fuit ſomnium; ſecundum, interpretatio; tertium, effectus; in primo dicitur panis ſubcineritius viſus, in ſecundo interpretatio gladii; in tertio, nec panis nec gladius eſt, ſed tuba. Res ſanè mirabilis, quid panis ſubcineritius cum gladio, quod unum alterius figura eſſe debeat? Quid Gedeon poſtea audit? gladium ſuum vincere oportere, quare ergo illum reliquit, & tubam accepit? Totum hoc altiſſimis myſterijs plenum eſſe oportet. Poterat quippe Deus efficere, ut ille gladium ſomniaret; non verò panem; voluit tamen nobis pulcherrimam exhibere figuram hujus SS. Sacramenti, quia eſt verus & vivus panis cæleſtis. Cur verò ſub cineribus coctus? An quia cineres ſunt quaſi accidentia viſibilia ſub quibus corpus Chriſti abſconditur? Vel quia in cinere pœnitentiæ coqui debet, & manducari? vel fortè ut diſtinguatur à ſacrificio Crucis, ubi hic panis quidem coctus fuit, ſed in fornace ignis ardentis, & reſplendentis; hic autem coquitur abſconditè, ſed in virtute ignis quē ex cruce recepit, à quo virtutem, & efficaciam traxit. Hæc quidem bene; ſed cur idem gladius vocatur? ut ſcias tibi panem eſſe, inimicis autem gladium; tibi nutrimentum, & vitam præſtabit, inimicis autem fortitudinem

Judicum 7. 13.

Cur panis gladius interpretatus?

Non gladiô sed oratione vincendum.

auferens, mortem inferet. Cur verò Gedeon qui cuncta intelligebat, non vadit eo gladio armatus, aut pane provisus, sed tubâ tantùm præparatus? ut cognoscas te sine labore victurum; non gladio utendum sed tubâ tantùm sonando: oratione videlicet te Deo cõmendando ipse enim pro te pugnabit. Dicamus quoque te posse tubam inflare, in signum victoriæ obtentæ, quæ tibi secura est; non solùm propter mirabile adjutorium quod de cælo accipies, verùm etiam propter fortitudinem quam acquires, & in teipso senties.

Qui dicantur Equites mensæ rotundæ?

15. In libris prophanis multi referuntur bellicosi duces, præcipuè in libro Equitũ, de mensa rotũda vocatorum; ubi quidam extraordinarii enarrantur; quod nomen extraneum videtur; cùm fortitudo in bello, non in mensa probetur; hic autẽ titulus inde ortus, quia famosus rex Angliæ Artus, nobiles suos adeò diligebat, ut illos quos viribus & virtutibus pollere videret, equites crearet, volebatq; secum mensę assidere; ne autẽ ratione præcedentiæ contentio oriretur, mensam rotundam conficere curavit, ubi omnia loca æqualia essent, nec primus aut vltimus nominari possent; nullis siquidem alijs quàm istis equitibus illi assidere licebat; hinc natum Proverbium quod virtutibus & præclaris factis pollens, dicatur eques mensæ rotundæ. Multò tamẽ meliùs asserere possumus, de mensa Domini communicantes, posse appellari equites mensæ rotundæ; nempe magnanimes, & mirabili virtute præditos. Hæc mensa rotunda est, quia nulla in ea differentia, pauperum aut divitum; hîc pauperes saturantur; *quia, edent pauperes & saturabuntur*; hîc divites Psal. 21. 27. lautiores cibos reperiunt; quia, *Munducaverunt omnes pingues terræ*: mensa rotunda est, quia Ibid. n. 30. Christus in medio est, & omnes eum cingunt: *Ego in medio vestri sum*: equites sunt omnes assidentes, quia omnes crucem in pectore ferunt, recordantes mortis Salvatoris: *Quotiescũque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*: omnes quoque mirabilem acquirunt fortitudinem. Quàm rectè hoc Propheta regius intellexit dum dixit: *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Ecce mensam rotundam, cui assident *filii tui*, id est, Christi: unde omnes nobiles, & equites dicuntur. *Sicut novellæ olivarum*, ecce fortitudinem: quia oleum fortitudinis symbolum est, cùm luctatores olim se oleo perungerent. Meritò ergo S. Joannes Chrysostomus, inquit, ut ex hac mensa discedentes, instar Leonum esse debeant: *Tamquam Leones ignem spirantes ab hac mensa*

Lucæ 22. 27. — 1. Corinth. 11. 26. — Psal. 127. 3.

Mensa rotunda in qua Christus sumitur.

mensa recedamus. Quare, inquit, ignem spirantes, quis umquam tales vidit Leones? quin imò Leo maximam oppositionem cum igne habet, nihil magis timet: Propterea dico, vult hic gloriosus sanctus, ut simus Leones, non ex ijs qui ignem metuunt, sed adeò intrepidi, ut etiã ignẽ conferamus, quô infernali Leoni terrorem incutiamus.

Hîc fortitudinem & victum acquirimus.

16. Dico insuper, non solùm nos in hac sacra mensa fortitudinem, verùm etiam victum acquirere, ne nobis accidat quod quandoque ab exercitu obsessis evenit, ut viribus invicti, necessitate ciborum, se inimicis dedere cogantur. Nec plurimi desunt, qui hac occasione à diabolo se vinci permittẽtes mancipia eius evadunt. Nullâ tentatione, licet validâ, superantur: sed fames, & necessitas corporalis, quod nec sine delectatione vivere, nec scire possint quò se vertant, ut panem consolationis reperiant animæ sitienti, & esurienti; hoc sæpè efficit, ut in prædam diabolo cedant. Ille
1. Petri 5. 8. siquidem numquam deficit hominem obsidere; quia *circuit quærens quem devoret.* Hoc bene intellexit Propheta David, qui
Psal. 24. 17 Dominum precabatur, in hac obsidione dicẽs: *De necessitatibus meis erue me Domine*: ne his adeò premer, ut in prædam inimicis meis cedam. Ab hoc periculo nos liberat hic divinus cibus, quia numquam deficit, & abundanter animæ nostræ consolationes, aliaque necessaria suppeditat: unde Propheta regius alacriter canebat: *Dominus regit me:* ubi textus Hebræus legit: Psal. 22. 1
Dominus pascit me, & nihil mihi deerit; Deus abundanter mihi providit, hoc admirabili cibo, ideoq; nihil defuturum cõfido.

Cibus abundantissimus est.

17. In civitatibus obsessis, licet victualia non deficiant, solet tamen parcè unicuique distribui, ut si obsessio multùm duraret, numquam cibus deficeret: nos verò adeò abundamus, ut milites precandi sint, ne ampliùs oppugnent, sed ad reficiendum se sistant. Sapiens de hac re testimonium reddet, dicit enim: *Miscuit vinum & pro-* Proverb.
posuit mensam, pro quibus? pro 9. 2.
pugnatoribus: vultis hoc clarè cognoscere? considerate quò mittat ancillas suas, ut invitet omnes: *Misit ancillas suas ad ar-* Ibid. nu. 3
cem, & ad mœnia civitatis: cur non potiùs ad forum, aut tribunalia, ubi gentes majori numero convenire solent? Quia ibi ciuitas obsessa figurabatur, in qua viri defensioni eius, & mulieres cibis parandis attendunt: ideoque in mœnibus commorantes eò ancillas mittit, ut cibo refecti, fortiores evadant.

18. Diabolus optimè novit quantum hic divinus cibus referat, ideoque tantô artificiô, & tali modo ab hac sacra mensa

illos coërcere studet; nunc rete vanarum delectationum illos constringens; nunc timore confessionis præviæ exterrens, nūc superfluis scrupulis exagitans. De Scipione Africano me legisse memini, dum illum cum Asdrubale Carthaginensiū duce confligere oporteret; Matutino tempore milites suos ordine constituere cœpisse, quasi inimicum subitò aggredi vellet; nec officio suo defuit Asdrubal, sed valde manè in campū prodiit; Scipio tamen insigni arte illum retinuit, donec meridie transactâ milites suos refecisset & animasset; sicque inimicum iejunum ac defatigatum aggressus, facillimè devicit. Non aliter dæmon nobiscum agit, omni utitur arte, ut nos ab hoc cibo iejunos, aggrediatur; varias tentationes, & pericula objicit, ne ad hanc sacram mensam accedamus; sicque viribus spoliati, vix illi resistere valeamus. Cur creditis fideles in primitiva Ecclesia adeò fuisse generosos ac robustos, ut mundi potētiam nihil æstimarent; atque omnia diaboli tormenta despicientes, gloriosam martyrii palmā obtinerent? Hoc SS. Sacramento, quod omni die recipiebant, fortificati erant; observantes quod in oratione Dominica dictum; *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Nos autem cur adeò debiles sumus, ut minimâ tentatione vinçamur, nisi quia tam frigidè & raró hanc sacram mensam adeamus.

Hoc cibô diabolum superamus.

19. Probatum ergo restat, quomodò hoc SS. Sacramentum contra externorum inimicorum insidias defendat, & fortitudinem tribuat: hoc tamen remedium tribulatis non sufficiet: nostræ quippe tribulationes non tam deforis veniunt quàm ab intrinseco, Apostolo dicente: *Video aliā legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* An pro his bonum erit remedium? Melius esse non potest: instar cornu unicornis erit quod est optimum contra febres, ac omnia venena remedium. Quando aliquod remedium ab excellentia laudare volumus, dicere solemus, est Balsamum: quia hic liquor pretiosissimus, & utilissimus est, millia morborum genera sanās. Sed quid creditis hunc SS. Cibum esse? est Balsamum cæleste, & mirabile: *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi:* ajebat sponsa. Si verò in vineis Engaddi nascebatur, quomodò vocabatur Cyprius? Verbum Hebraicum, quod voci *Cypri* correspondet, variè intelligitur: cōmunior tamen expositio est, significare arborem Balsami, in campis Engaddi feliciter nascētis. Balsamum quomodo colligitur? An racemis ut uvæ? nequaquam cùm aliud non sit nisi liquor

Ab inimicis externis & internis nos defendit.

Rom. 7. 23.

Hic SS. Cibus Balsamum est.

Cant. 1. 13.

liquor ab arbore, quasi sanguinem emittente defluens. Quare ergo à sponsa *Botrus* dicitur, quod nomen uvis propriè convenit? ut pulcherrimum edoceat mysterium, quod hoc Balsamum detur instar fructus vitis, sub specie vini, ita ut externè vinum appareat, quantum verò ad virtutē, est Balsamum; quoad suavitatem est vinum, quoad curationem vulnerum Balsamum est.

Electuarium est, immortales reddēs. 20. Electuarium denique est & compositio medica, quæ nos semper in vita retinet, ut ipse dator dixit, & promisit; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* Ioan.6.55. Parum adhuc dixit, licet enim immortalitas est res summè desideranda, cùm tamen vitam ducere deberemus infirmitatibus, & calamitatibus plenam, qualis est vita senum decrepitorum, vix vllus illam concupisceret. Vita verò ab omnibus amplexanda illa esset, quæ florem juventutis immarcescibilem conservaret, nec vires aut corporis pulchritudinē, vel sensuum ac intellectus vigorem vel in minimo læderet, aut diminueret. Si talis ergo cibus reperiretur, quanti fieret? Nullum certè pretium ipsi æquivaleret. Sed ecce illum vobis donô offero, SS. Altaris Sacramentum; adeò mirabile & excellens, ut non solùm juventutis florem conservet ijs, qui in juventute manducant; verùm etiam senes, & decrepitos ad primum vigorem reducat. O virtus admirabilis!

21. Philosophi quidam veteres dicebāt, si Senex sanguinem juvenilem continuò biberet, virtute eius rejuvenesceret; *Senes rejuvenescere facit.* at figmenta hæc sunt. Sanguis tamen Agni immaculati hanc habet virtutē; quòd si mihi hoc asserenti non creditis; ecce irrefragabile testimonium Spiritus S. qui per os Zachariæ Prophetæ de bonis Ecclesiæ loquens, ait: *Quid enim bonum eius est, & quod est pulchrum eius? nisi frumentū electorum, & vinum germinans virgines?* Zachar.9.17. Omne pulchrū, & omne bonum, hujus felicissimæ civitatis, erit in grano & vino. Magna certè res, ergóne in hoc bonum civitatis consistit? Nulla fit mentio ædificiorum, non dicuntur artes florere, de munitione, aut militibus eius non agitur; non dicuntur regnare justitia, prudētia, aliæque virtutes? non prædicatur abundantia auri & argenti, vel plurima necessaria, & hominum vitæ accommoda; totum ergo in pane, & vino consistit? His temporibus infelix talis civitas æstimaretur, quæ aliud non haberet. Certè vix quidquam boni protulisset Zacharias si de pane, & vino materiali locutus fuisset. Intellexit ergo de cælesti

hoc cibo qui sub specie panis & vini datur, & illud vocavit frumentum electorum, ut in Hebræo habetur, juvenum videlicet; *& vinum germinans virgines;* ut indicaret se non loqui de vino communi, & pane ordinario, sed de cælesti, & singulari frumento & vino. Quid autem sibi vult, quod illud vocet frumentum juvenum? An senes comedere non poterunt? clarè tamen videmus, hunc sacrum cibum, nemini denegari.

Soli juvenes hoc sacro cibo vescũtur.

22. Hunc sacrum cibum nemini negari verissimum est, soli tamen juvenes illô vescuntur: quomodo hæc convenire poterunt? si omnes comedunt, quomodo juvenum tantũ cibus est? & si juvenum cibus est, quomodo omnes eum manducant? nescirem hanc difficultatẽ solvere, nisi dicendo, verum esse omnes hoc cibô frui, sed tali virtute præditum esse, ut omnes ex eo mãducantes juvenes reddat: sicque verificari omnes hunc manducare, & juvenes solùm manducare; quia cuncti juvenescunt illum comedendo. Eodemmodo hoc accidit, ac si vobis dicerem, omnes paradisum cælestem consequi posse, qui Deo inserviunt; postmodum verò subjungerem, bonos tantùm Deo servire, & cælum acquirere; utrumque verum dicerem; Licet enim dicendo omnes cælum acquirere posse, non excluderem peccatores; cùm tamen Deo servire statuunt, desinunt esse peccatores, & boni evadunt; dicam igitur bene bonos solùm Deo servire. O excellentia mirabilis hujus supremi cibi! ô privilegium singulare dignè sumentium; licet enim senior esses Mathusalem, & magis decrepitus quàm fingitur Titon; subitò juvenis, alacris, & robustus evaderes. Clariùs in altera sententiæ parte idem repetit Zacharias, dicit enim: *& vinum germinans virgines:* ô quàm hoc extraneum? nónne S. Paulus, inquit, *in vino luxuria?* Quomodo ergo hîc dicitur virgines germinare? An arbores, vel rami sunt virgines, quòd produci possint? Licet quoque tales essent, unde vinum hanc habet virtutem? Nimis extraneũ hoc appareret, si de vino communi deberet intelligi. De hoc tamen SS. vino verissimè affirmatur. Non enim occasio libidinis, sed castitatis est, & virgines germinare facit; licèt vetula decrepita accedat, subitò hunc cibum gustans, virgo tenerrima efficitur, qualis in ætate florida fuerat.

Quomodo hoc intelligendum?

Ubi suprà.

Ad Ephes. 5.18.

Quomodo virgines efficiat?

23. Dicet fortè quispiam, quomodo hæc promissio intelligenda? de anima, vel de corpore? si de anima, vana est, hæc enim ut immortalis, numquam senescit, si de corpore, experientia contrarium docet; alioquin infirmi

infirmi communicantes, numquam morerentur. Respondeo hoc verificari in corpore, & anima; in anima, licet enim hæc non moriatur quantum ad esse naturæ, sæpissimè tamen moritur, quantum ad esse gratiæ; iuxta illud Ezechielis: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Inveterascit quoque in ariditate spiritus, in tepiditate divini amoris. Quid ergo efficit hoc SS. Sacramentum? Non solùm à morte peccati præservat, verùm etiam juvenem reddit, ferventem videlicet in amore Dei; iuxta dictum sponsæ in Canticis: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Unde David dolendo exclamabat: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Quis audivit umquam panem siccitatem tollere, & humiditatem conferre? videbatur potiùs dicere debuisse, aruit cor meum, quia oblitus fui bibere. Optimè tamen dixit; respexit siquidem ad hunc SS. Cibum, qui unicum contra ariditatem remedium.

Ezech. 18. 4.

Cantic. 1. 2

Corpus & animam immortalem reddit.

Dices fortassis hoc quidem de animæ juventute rectè concludere, sed quomodo de juventute corporis idem probare poterimus? Attendite, & vobis clarissimè exhibebo; Dum de effectu medicinę agitur, nō oportet illum subitò apparere; etenim si infirmus conqueratur se medicinâ sumptâ non sentire sanitatem, dicet medicus illum paululum patienter expectare debere, quia adjutorium medicinæ, non subitò sed post aliquod tempus sentitur. Pariter dico ego, hoc SS. Sacramentum virtutem habet mirabilem, corpus ad juventutem redigendi, effectus tamen modò non apparet. Quando ergo apparebit? In fine mundi, in resurrectione universali, tunc siquidem virtute hujus SS. Sacramenti, corpora nostra in cinerem redacta, nouam vitam acquirent, & in pulchriorem juventutē quàm umquā fuerunt resurgent. Hunc mirabilem effectum SS. Sacramento attribui debere, apertè Salvator noster docet: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die:* ideoque à Concilio Nicæno vocatum fuit: *Symbolum resurrectionis*; & à S. Jgnatio; *Pharmacum immortalitatis.*

Joan. 6. 55.

S. Ignatius epist. 14. ad ad Ephes.

Hæc medicina non amara, sed dulcis est.

24. Dices si medicina est, ergo amara erit, nec cum delectatione sumi poterit; verum quidem est, medicinas corporales amaras esse; hæc verò non utilis solùm, verùm etiam dulcissima est, alijsque contraria; quia sumentibus amara est, sed non eam conficientibus, quin imò his dulcis est, cùm lucrum adferat. Hæc medicina acerbissima fuit Salvatori nostro, qui illam confecerat, sed nobis dulcissima, ideoque invitādo amicos

cos suos ad hanc sacram mensam, dicebat: *Veni in hortũ meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favũ cùm melle meo, comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.* Mirabilis certè sententia, quando de recollectione agitur, dicitur illos myrrham collegisse, quando autem de comestione; non dicit myrrham comedisse, sed mel, & vinũ quod inebriat; quomodo hoc fieri potuit? si myrrha colligitur, quomodo mel comeditur, & bibitur vinum? ita certè fit, & in hoc Sacramento verificatur; in recollectione siquidem fuit amarissimum, cùm fructus sit passionis, & mortis Christi; in comestione autem non ampliùs myrrha amara, sed mel dulcissimum, & suavissimum vinum.

Cantic. 5. 1

Christo amara, sed nobis dulcis facta.

25. Egit nobiscum Salvator, uti cum infantibus lactentibus fit, quibus infirmis non datur medicina, cùm sint tenerrimi, nec illam sumere, vel sufferre possint, sed illorum nutrici datur; sicque in lac transformata, & ab illis sucta, salutẽ quãdoq; tribuit. Nutrix amaritudinem medicinæ sentit, & infans dulce lac bibens, fructum eius percipit. Sic quoque in hoc SS. Sacramento evenit, quod lac à principe Apostolorum vocatur; *Sicut modò geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite*; sed quod lac? ut in hoc non erres, adjungit; *rationabile sine dolo*; sed esse rationabile, nónne propriũ est hominis? Quomodo ergo hic titulus lacti tribuitur? optimè, quia Deus incarnatus, factus est noster cibus. Meritò quoque lac vocatur; Primò respectu materiæ, vel substantiæ lactis; si enim à Philosophis quæras quid sit lac; respondebunt, esse sanguinem bis coctum, primò in hepate, posteà in pectore. Hoc SS. Sacramentum quid est? sanguis; *Sanguis meus verè est potus*, inquit veritas: sed bis coctus, semel in fornace Crucis, ab illo immenso amoris igne, de quo Salvator dicebat; *Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amici suis*; alia autem vice in sacra mensa ab hac ardoris flamma, de qua S. Joannes ait: *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Lac quoque est respectu finis: ad quem siquidem finem lac mulieribus datum, nisi ut filios à se productos, enutrire possent: & illa quæ sanguine primò vitam dederat, lacte postea conservaret? Christus Salvator noster quàm amabilis mater? Hoc testatur per Isaiam Prophetam dicens: *Numquid potest oblivisci mater infantis uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui*: in cruce nos generavit, & vitam proprio sanguine tribuit: *Si posuerit pro peccato animam suam*

1. Petri 2. 2

Hoc Sacramentum lac vocatur.

Arist. 4. de gener. 8.

Albert. Magn. li. 18 de ani. c. 7.

Joan. 6. 57.

Ioan. 13. 1.

Isaiæ 49. 15.

Isaiæ 53. 10

Ex latere Christi in cruce prodivimus.

suam, videbit semen longævum. Sicut quoque Eva ex latere Adam dormientis nata; sic nos ex latere Christi in cruce mortui, & à Longino aperti, in lucem æternam prodivimus. Meritò ergo lacte SS. Sacramenti nos enutrire poterat; iuxta quod per Isaiam Prophetam promiserat; *Ad ubera portabimini, super genua blandientur vobis*; & per Oseam: *Ero quasi nutritius Ephraim.* Non enim Deus noster ex ijs matribus est, quæ cùm filium parturierint subitò alteri nutriendum tradunt; quod pulchrè S. Joannes Chrysostomus his verbis indicat: *Cùm generaverit filium, statim eum tradit foris, & pietatis insignia abscondit superbia; erubescit fieri nutrix quæ facta est mater, Christus autem non ita ipse nutritor, & mater est, ideò & pro cibo, propriâ nos carne pascit, & pro potu suum sanguinem nobis propinavit.* Clemens Alexandrinus vlteriùs pergit dicens: non solùm Christum nutricem esse, verùm etiam ipsum vber lacte plenum, quod nos sugimus: *Verbum*, inquit, *est omnia infanti, pater, mater, pædagogus, & altor; altor enim effudit pro nobis sanguinem, per quem ad mamillam patris, quæ cunarum oblivionem inducit, nempè verbum confugimus verè beati qui hanc lactant mamillam.* Dicet fortè quispiam, non rectè hanc similitudinem procedere, in mulieribus siquidem, primò est partus, postea lac; nec umquam visum est mulieres ubera lacte plena habere, antequàm parturierint. At Christus ante mortem Crucis, instituit hoc SS. Sacramentum, antequam videlicèt parturiret; quomodo ergo hoc lac esse dicitur? Respondeo, licet lac & partus simul procedere soleant; videntur tamen simul cōtendere, ut primò prodeant. Ita ut si partus sit perfectus, ubera sint lacte plena. Provida quoque natura, ut infans nullum pateretur damnum voluit lac præesse; instar diligentis servi qui non expectat Domini adventum ut mēsam præparet, sed efficit ut anteà cuncta sint præparata. Pariter natura non exspectat infantis nativitatem, sed cupit ut ante nativitatem lac habeatur. Ita Salvator noster magis providus quàm natura in rebus ad salutem spectantibus, noluit spiritualem nostram nativitatem attendere, ut lac provideat, sed dum partui æternæ vitæ essemus vicini, hoc SS. Sacramentum instituit, quod est verum lac animarum nostrarum.

Isaiæ 66. 12.

Oseæ 11. 3.

Chrysost. hom. 1. in psal. 50.

Clemens Alexand. lib. 1. pædago. cap. 6.

Quomodo lac dici potest?

26. Ne autem hoc lac totumquam deficeret, quid illum fecisse putatis? attendite pulcherrimum mysterium. Quidam Philosophi adverterunt, naturam mulieribus tot ubera tribuisse, quot infantes ordinariè parturire solent, ut unusquisque pro

Christus ubera habet quot filios.

pro se unicũ haberet uber: cùm ergo duos ordinariè tantùm infantes producant, duo tantùm habet & ubera. Animalia verò quia plures fœtus edunt, plura ubera habent: similiter Deus noster effecit; quanta creditis sint eius ubera? non pauciora quàm filii, voluit quippe unumquemque distinctum uber lacte plenum habere. Numquam expertæ estis animæ devotæ quæ ad sacram communionem acceditis, dici posse pectus divinum tot uberibus plenum, quot sunt hostiæ consecratæ? non advertistis unumquemque distinctam habere ab altero? An non lacte plenam? ibi continetur totum corpus, & sanguis, tota anima, & divinitas Christi. O qualis consolatio! ô qualis excellentia! ô qualis favor animæ devotæ! Incarnatio divina, sine dubio summũ beneficium, sed unicâ vice hominibus concessa; hîc autem quævis anima pia ad hoc Sacramentum accedens, verè dicere potest, pro me sola Christus in hanc sacram hostiam è cælis descendit, non pro alijs; pro me voluit, sub hac panis particula abscondi: hoc totum meum est beneficium, hic favor mihi solùm directus. Hic cibus pretiosissimus, hic panis Angelorum meo palato tantùm inservit: hoc pharmacum meæ infirmitati præparatum, non verò alterius: hoc denique uber lacte plenum, mihi in necessitate reservatum, & ingrata forem si tantum beneficium non recognoscerem.

Pro unoquoque Christus particulariter è cælis descendit.

27. Hinc rationem colligere poterimus, cur Christus dilecto suo discipulo ut in Apocalypsi refert apparuerit: *Præcinctus ad mamillas zonâ aureâ?* illum fuisse cinctum, non adeò mirandum: sed quòd potiùs ad mamillas, quàm circa lumbos cingatur, hoc summoperè mirandum. Numquid enim Isaias dixit: *Erit justitia cingulum lumborũ eius, & fides cinctoriũ renum eius?* Quomodo ergo in pectore cinctus apparet? cur quoque de viro loquens, mẽtionem facit uberum, quæ potiùs mulierum quàm virorum membra sunt? Ecce pulcherrimum latet mysterium: numquam advertistis mulierem gravidam se sub ventre quandoque cingere, ut prolem sustineat: post partum pondus ventris cessat, & ubera lacte plena sustentare oportet. Pariter Deus noster in lege veteri, nos omnes utero suo portabat, ut per Isaiã Prophetam inquit: *Qui gestamini à meo utero, qui portamini à mea vulva:* ideoque instar matris circa lumbos & ventrem cinctus erat: postquam verò in cruce nos genuerat, ubera lacte gravida tenens, cingulum à lumbis ad ubera transtulit: ideoque S. Joanni, *Præcinctus ad mamillas* apparuit.

Cur Christus ad mamillas præcinctus? Apoc. 1, 13. Isaiæ 11, 5. Isaiæ 46. 3.

28. Sicut

Christus ubera lacte plena gerit. 28. Sicut quoque mulier ubera lacte plena gestans, infantem quærit qui illa sugat, ne periculum infirmitatis incurrat; Sic Deus noster adeò lacte plenus est, ut undique quærat qui bibere desideret; *Si quis sitit*, inquit, *veniat ad me & bibat:* quando autem nullus venit, infirmari videtur; *Et vidit quia non est vir, & aporiatus est*, vel ut S. Joannes Chrysostomus legit; *Et infirmatus est, quia non est qui occurrat.* Quid ergo agitis Christiani afflicti, cur ad hæc ubera non recurritis, cur in hoc fonte sitim non extinguitis? An nimius labor vos deterret? Nónne videtis quantâ facilitate infans lac ex uberibus matris sugat? Nihil aliud faciendum, quàm os aperiendum. Ut vinum nobis præparemus, multum laboris insumere oportet; primò plantare vineam, illam excolere, uvas colligere, vinum exprimere, in vasis reponere, & conservare. Ut verò infans lac sugat, non oportet laborare, sudare, aut expendere quidquam, ipsa mater ubera in ore ponens, lac distillat. Mundi voluptates, & sensuum oblectationes ut vinum sunt, illis sine magno labore frui non valemus; ut autem lacte hujus sacræ mensæ fruamur, de quo dictum; *Meliora sunt ubera tua vino*; non aliud exigitur, quàm ut os aperias; divinâ majestate per Prophetam suum apertè testante: *Dilata os tuum, & implebo illud.* An plurimum per hoc requirere videtur? imò si diceret, expende quantum habes, peregrinare toto vitæ tēpore, numquam ab oratione cessa, carnem tuam semper mortifica; parum hoc esset pro gloria æterna, ad quod tamen exequēdum, promptus esse deberes; quantò magis cùm nil aliud à te exigat, quàm ut os tuum aperias? Aperi ergo unâ vice in honorem Dei, qui solitus es illud semper pro diabolo aperire; aperi os tuum unâ vice ut vitam recipias, qui toties illud pro morte recipienda aperuisti; aperi os tuum ut cibo, solido, & substantiali reimpleas, qui toties ut vanâ aurâ, fumô, & umbrâ impleres aperuisti, unde magis quàm anteà esurijsti; aperi os tuum ad sumendum cibum cælestem, qui vitam animæ tribuet, qui toties illud aperuisti ut carnem tuam cibares, quæ esca vermium futura est. Aperi os tuum ut illum recipere possis qui te omnibus cæli bonis ditabit, qui toties illud latronibus & furibus aperuisti, qui te omnibus divitijs spoliare veniebant: aperi os tuum illi qui tibi delitias & voluptates affert, hic quippe cibus cælestes continet voluptates, & ciborum suavitates: aperi os tuum avare, qui divitiarum cupidus es, quia in hoc cibo omnes cæli & terræ thesauri sunt reconditi; aperi os tuum ambi-

Marginal notes: Ioan. 7.37. — Isaiæ 59.16 — *Diversitas bibendi lac, & vinum.* — Cantic. I, 2 — Psal 80, 11. — *Os pro cibo cælesti non pro terreno aperiendum.*

ambitiose, hoc quippe cibo, majores honores, & dignitates consequeris, quàm possis imaginari: aperi denique os tuum Christiane, dum voluntariè hæc tibi ubera offeruntur, quia illa respuendo, adveniet tempus, ut etiam volens habere non poteris. An ignoratis, si ubera non suguntur, subitò siccantur, & arescunt. Cave, ô Christiane, ne idem tibi adveniat; cave ne in mortis articulo Deus permittat, ut non possit tibi administrari SS. Sacramentum: & fiat mors tua non Christiani, sed canis, iuxta dictum Prophetæ: *Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes.* Psal. 58. 7.

In fine vitæ peccator converti cupiet.

29. In fine vitæ cupient peccatores ad Deum converti, & bonum agere; esurient hoc SS. Sacramentum, nec erit qui illis administret, quia fames illorum erit fames canis; sicut enim canis esuriens nescit sibi victum procurare, sed expectat aliquem qui sibi donet; sic peccator vellet tunc quempiam reperire, qui illi cælum donaret, nec sciet, vel poterit quidpiam efficere, quo illud lucretur. Famem canis patietur; quia licèt canis præ fame deficiat, nescit indicare quid illi desit, cùm loquela careat; sic peccator loquelam perdet nec SS. Sacramentum recipere poterit, & morietur desperatè. Famem canis patietúr, sicut enim canis cibum propter gulositatem, & propriam indigentiam appetit; sic peccator non propter minimā scintillam amoris Domini, sed timore mortis, & inferni, hoc SS. cibo refici cupiet. Famem denique canis patietur, quia sicut nullus commiseretur cani famelico, nisi domestico, & si extraneus mensæ appropinquat, baculo expellitur; ita tu quoque quia semper fuisti canis diaboli, ipsum secutus, & cibum eius expectasti; dum in hora mortis huic sacræ mensæ interesse velles, meritò repulsam patieris, ut canis indignus, & audies contra te proferre illam sententiam, quam S. Joannes in Apocal. de reprobis dixit; *Foris canes, foris canes*, quia, *non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Apocal. 22. 15. Matth. 15. 26.

Famem canis patietur peccator.

Ingens dolor hoc cibo privari.

30. Non recordamini comminationis illius quam paterfamilias contra illos effudit qui invitati mensam illius contempserant? *Amen dico vobis*, inquit, *quia nemo virorum illorum qui invitati fuerũt, gustabit cœnam meam*; nec credas parvum illud esse malum, quia ex majoribus est quæ Deus infligit. Audi quid David in domo Dei diu conconversatus dicat; *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.* Hoc lacte privari qualis dolor animę pię iuxta dictum S. Joan. Chrysostomi; *Unicus sit nobis dolor,* Lucæ 14. 24. Psal. 130. 2.

lor, hac escâ privari: scit enim hoc esse verum lac, illam sustentans, enutriens, & crescere faciens, illam consolatur, cunctaque bona tribuit. Sit ergo in nobis avidissima fames hujus sacri cibi, nec occasionem aliquam illum sumendi prætermittamus, sicque maximam cõsolationem in tribulationibus nostris sentiemus; dum illum dignè sumemus, de quo in secunda parte.

SECVNDA PARS.

31. PArum verbis creditur, si facta contraria sint: de Stratonico Philosopho legitur, quòd dum interrogaret quosdam si aqua putei cujusdã bona esset, responderunt bonam esse, cùm ex illa omnes bibant; at ille observans pallido colore omnes infectos, dicebat; si bona foret meliori colore afficeret ex ea bibentes. Pari modo vereor ne aliqui me arguant, si videant multos non tantùm sæculares, verùm etiam Sacerdotes hanc mensam frequẽtare, non solùm imperfectionibus, verùm etiam peccatis gravioribus deditos, nec multò alijs meliores. Ubi ergo, inquies, sunt fructus mirabiles hujus SS. Sacramenti? Ampliùs dico plures hanc sacram mensam sæpiùs accedẽtes conqueri, se non sentire præcellentem fructum hujus, eò quòd semper in eadem vitia reincidant; nec aliquid adjutorii percipiant; ita ut effectus, non correspõdeat tãtis encomiis. Quid ergo dicemus? verissimum certè esse quod diximus, imò multò mirabiliores effectus prædicandos? sed objectioni quid respondebimus? Maximâ ex parte falsam esse, cùm id non virtuti SS. Sacramenti, sed recipientium indispositioni adscribendum.

Quare plurimi frigidè hunc cibum sumentes non calefiant?

32. Falsum in primis est, quod de mala vita plurimorum recipientium affirmatur; si enim aliqua sit persona bona, vel sancta in hoc mundo, à virtute hujus sacræ mensæ id recognoscere debet; ideò primi fideles adeò ferventes & devoti erant, quia quotidie hoc sacrô cibô se pascebant. Ad querelam autem eorum, qui sacram hanc mensam sine fructu frequentare videntur; respondeo multoties illos hoc fructu frui, quod non cognoscant; cum alijs siquidem virtutibus crescit humilitas, & cognitio sui, sicque anima multos discooperit defectus, quos primò non adverterat; credẽdo quoque se alijs pejores multum proficiunt, & magnam consequuntur gratiã, si de gratia data non superbiant, aut si illam recipientes abscondant. Si tamen meliores non evaderent, cogitent illos sine hoc SS. Sacramento fore multò pejores, nec parvam esse gratiam, in incepto bono

Numquam sine fructu sumitur.

bono perseverare, aut non periculosiùs labi, prout fieret absque hoc pretioso cibo. Hoc verum esse probatur in vltima cœna, ubi Christus omnes Apostolos suos hoc sacro convivio refecit, ut illos contra ingruentes tempestates fortiores redderet; neque dubitandum omnes, Judâ excepto, dignè communicasse, dixit enim; *vos mundi estis, sed non omnes.* Hoc tamen non obstante, nónne omnes fugerũt? nónne Magistrum reliquerunt, & abnegarunt? Omnirò, ergo nullum fructum eis contulit sacra communio? Hoc incredibile apparet pro prima vice quâ hoc SS. Sacramentum receperunt à Christo personâ adeò dignâ qui illos sanctificare poterat. Fructus ergo hujus SS. cibi fuit quòd non in pejorem errorem inciderint. Licèt enim fugerint, non tamen corde dereliquerunt: & S. Petrus licèt Christum negaverit, nõ tamen fidem perdidit; ita ut fructus communionis non semper sit idem, sed iuxta dispositionem recipientis, & altissimam providentiam divinam; modò in bono crescere facit, modò perseverantiam tribuit, modò efficit ut non cadas, sicque dignè sumentibus numquam fructus deest.

Joan. 13. 10

Fructus SS. Sacramenti, non semper idem.

33. Quoad aliam objectionis partem, nimis veram, aliquos nimirùm communicando non frui dulcedine, vel utilitate hujus SS. Sacramenti; respondeo culpam illorum esse. Sicut enim cibus licèt suavissimus, & optimus, non tibi vllam delectationem, aut utilitatem adferet, si alijs cibis plenus, & palato infecto sumas; quia ut princeps medicorum ait: *Corpora impura quò magis nutrias, eò magis lædas.* Sic ad sacram hanc mensam, mundanis delectationibus plenus, & voluntate depravatâ, vanisque desiderijs affectâ accedens; quid mirum si eum non sentias fructum & dulcedinem, quem sentiret famelicus? Propheta David pulchrè distinguit eos qui hunc cibum comedunt, aliquos vocat pauperes, qui res mundanas contẽnunt, alios vocat pingues, divitijs nempè repletos; pauperes autem comedere, & saturari dicit, ac Deum idcircò laudare: *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum:* de divitibus autem & magnatibus quid refert? *Manducaverunt; & adoraverũt omnes pingues terræ:* quasi diceret, non saturabuntur illi, non fruentur delectatione divinâ, sed videbitur illis multum effecisse, si ad hanc sacram mensam accedentes, genua parum curvent. Quin imò parum dixi indignè sumentes non recipere aliquam utilitatem; sed quod pejus est, cum maximo animæ damno inde recedere.

Cur non omnes fruantur dulcedine.

Hypocrat. in Aphop.

Psal. 21. 27.

Ibid. 30.

34. Hoc SS. Sacramentum

Vt Sol inter planetas, sic hoc SS. Sacramentum. in cęlo Ecclesiæ, potest dici Sol, alia verò Sacramenta septem planetæ. Si Lunam aquis dominantem desideres, ecce Baptisma; si Martem vires & fortitudinem influentem cupias, ecce confirmationem; si Mercurium cui sapientia, & musica attributa, ecce Ordinem; si Venerem generationi destinatam, ecce Matrimonium; si Jovem benignum, & salutē donantem, ecce Pœnitentiam; si Saturnum senem, & vltimæ vitæ hominis præfectum, ecce Extremam unctionem; si denique Solem, alijs omnibus nobiliorem, & luce clariorem expectas; Ecce SS. Altaris Sacramentum, fontem divini luminis splēdidissimum, & ardentis amoris ignem. Sol illam habet proprietatem, ut omnes suos radios emittat, iuxta dispositionem astri in quo reperitur; sicut quoque in Zodiaco sunt varia signa, aliqua animalium ferociū, ut Leonis, Tauri, & Cācri, alia mansuetorum, ut Virginis, Piscium, & Aquarii; *Vt sol diversos causat effectus, ita hoc Sacramentum.* ita Sol modò crudelis, modò placidus apparet, modò radios pungentes, & inflammatos emittit, modò temperatos & benignos; modò salutem & vigorem immittit, modò infirmitatem & mortem prout signum efficit in quo reperitur. Idem huic divino soli accidit neminem quantumvis peccatorem repellit, sed omnes recipit, unde cor eius instar zodiaci esse videtur. Hoc sponsa quasi per excellentiam in Canticis prędicat, ubi siquidem nos legimus: *Venter eius eburneus distinctus Saphyris:* Cantic. 5. 14. alii ex Hebræo legunt; *viscera eius circulus medius, in quo sunt similitudines siderum*, qui rectè ille est, quem nos zodiacum vocamus; ita ut sicut in zodiaco sunt diversa animalia, ferocia, & mansueta, venenosa, & utilia, sic Deus noster omnes recipit, & unusquisque sacram hanc mensam accedere potest. Magna tamen est differentia, sicut in zodiaco, si enim signo benigno fruaris sine peccatorū veneno, influxus quoque talis erit & gratiam, ac favores recipies; si verò sis ut animal ferox & venenosum, caveas tibi quia malignum nimis influxum tribuet.

35. In vltima cœna mirabiliter hic effectus resplenduit, in quo primâ vice hic sol in medio zodiaci apparuit, & duodecim Apostoli ut signa zodiaci, diversos siquidem effectus in illis causavit. *In Apostolis diversos causavit effectus.* S. Petrus vt Leo erat, Christi amore inflammatus, qui ergo effectus solis in illo causati? iuxta dispositionem animi eius, fortissimi & generosi affectus, ita ut mortem non timens, diceret: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Matth. 26. 32. Intrat Sol in virgine, Joanne nimirùm, & dulcissimos effectus soporis contulit, mysteriaque altissima revelavit.

revelavit. Intrat signa piscium, & Aquarii, tales quippe erant aliqui Apostoli, piscatores, humidi, & effectus timoris contulit, quia, *cœperunt singuli dicere, numquid ego sum Domine?* Timentes singuli cadere, in gravissimum peccatũ traditionis Christi. Non defuit tandem signum retrogradum Cancri, quod fuit Judas; semper divinis beneficijs ingratus, elongando se à divinâ gratiâ, & hâc occasione mortem sibi inferens.

Matth. 26, 22.

Iuxta dispositionem fit effectus.

36. Dic mihi modò vir, aut mulier, quomodo ad hanc sacram mensam accedis? Si ut virgo à peccatis immunis; ô te beatum, felicissimum consolationis, & vitæ influxũ recipies; si verò ut Cancer, semper divinis beneficijs ingratus, vel ut Scorpio veneno odii, & invidiæ erga proximũ plenus; proh miserum, & infelicem, nõ aliud influet, quàm mortẽ, judicium, & infernum. Arca veteris legis figura tantùm hujus SS. Sacramenti, domui Obededom, qui illam cum omni reverentia suscepit, ingentia bona adduxit; & populo Hebræo donec præceptis divinis obtemperaret, celebres contulit victorias; sed inobedientibus, & idololatris majorem stragem, & ruinam attulit. Nec credẽdum parvum peccatũ indignè recipere, gravissimum siquidẽ, & enormius est, quàm in mundo cõmitti possit.

2. Reg. 6. 11

Indignè communicans gravissimè peccat.

37. Indignę cõmunionis gravitatem magis examinemus ac probemus, peccatum Luciferi sine dubio maximum fuit, quô promeruit è cælis in perpetuum dejici, sine vlla spe regressionis: sed indignè communicare, ex parte gravius est; Lucifer siquidem Deo similis esse desiderabat, sed indignè communicans, Deũ sibi assimulari cupit, quod multò pejus est. Voluit Lucifer seipsum exaltare, & Deo similem reddere; tu verò Deum humiliare, & adeò vilem reddere cupis, ut tibi similem efficias: quod nullo modo sufferendum. Audi Deum ipsum de hoc maximè conquerentem; *Existimasti inique quod ero tui similis:* adeò inverecundus fuisti, ut credas me tibi similem; *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Non sufferam hoc, inquit Deus, sed puniã te, & te ante faciem tuam constituens, cognoscere faciam quantum à te differam. At contra quem hæc cõminatio? contra indignè recipientes hoc SS. Sacramentum, quod ex verbis consequentibus colligi potest; *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Videte si clariùs hoc exprimi possset; quale siquidem est testamẽtum Dei? Absque dubio hoc SS. Sacramentum; *Hic calix novi testamenti est in meo sanguine:* Uti Christus dixit: quid vult dicere,

Psal. 49. 21.

Psal. 49. 16.

Luc. 22. 20

sumere

sumere per os, nisi communicare? Contra peccatorem ergo, Deus hanc cominationem fulminatus est, qui corpus & sanguinem suum indignè sumere præsumpsit; licèt quoque non parum indignetur quòd conscientiâ immundâ laudes suas prædicet. Parùm dixi, non tibi solùm Deum assimulari cupis, sed eãdem rem tecum efficere, qui adeò es abominabilis, ut maximum illi esset tormentum si doloris capax foret. Mexentius tyrannus horribilissimum adinvenit tormẽtum hominem vivum cadaveri putrido fortiter stringendi; atque ita permittere, donec fœtore, & vermibus consumptus lentâ morte misserimè periret. Hinc Poëta præclarè canit:

Indignè communicans Christum sibi assimulat.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibus manus, atque oribus ora:
(Tormenti genus) & sanie taboque fluentes,
Complexu, & miseros, longâ sic morte necabat.

38. Talis tormenti, & mortis, tu reus es, dũ Salvatorem tuum intra te indignè recipis, quid enim aliud anima tua peccato mortali obnoxia, quàm cadaver fœtidum, & putridum? Quin imò tantò pejus omni cadavere, quantò privatio Dei, est pejor privatione animæ? Nihilominùs audes corpus & sanguinem Domini tui tecum unire? & animæ summè abominabili, gloriosum & verũ Deum creatorem tuum, intimâ unione cõstringere? Ignoras S. Paulum dicere: *Unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus?* Si unum corpus per hunc sacrum panem efficimur, ergo anima tua fœtida, & abominabilis, Deo tuo unitur; & quantum in te est, morte pejore illum occidis, quàm crucifixione; in illa siquidem crux ex contactu mẽbrorum Christi sanctificata fuit; anima verò tua abominabilior, & fœtidior hujusmodi contactu efficitur. Crudelior ergo es Mezentio tyranno, crudelior crucifixoribus, pejor inferni diabolis, qui *credunt & contremiscunt*; nec ad sacram hanc mensam accedere audẽt. Summoperè quoque mirandum, Deum te patienter adeò sustinere, nec pœnam gravissimam de cœlis immittere.

Indignè sumens, unum corpus cum Christo efficitur.

1. Corinth. 10.17.

Jacobi 2. 19.

39. Nullum siquidem peccatum Deus adeò severè in hoc mundo punit, quàm Sacrilegiũ, quod committitur indignè hoc Sacramentum recipiẽtibus. Sufferebat Christus furta, & murmurationes Judę, patienter suscepit fictum osculum; dum verò SS. Sacramentum indignè sumeret, permisit diabolum plenum ipsius recipere dominium; *Post buccellam introivit in eum satanas*; quod à Paschasio antiquo scriptore,

Indigna sumptio acerrimè punitur.

Joan. 13. 27.

scriptore, in libro *de corpore & sanguine Domini.* cap. 8. pulchrè
Paschasius lib.6. Bibl. SS. PP. declaratur: *Iudas*, inquit, *donec buccellam acciperet, quamvis mente saucius, interdum tamen à Domini bonitate leniter, crebroque, nunc cum aliis, nūc solus monetur; sed postquam indignus mystica præsumpsit, invasit eum diabolus, & qui priùs nutabat, cùm accepit, continuò foras exiuit.* Quis etiam scire potest, an repentinæ, aut inopinatæ mortes quæ sæpiùs contingunt; ex abusu SS. hujus Sacramenti non infligantur à Deo? Hoc certè scio S. Paulum postquam Corinthios corripuerat circa abusus hujus SS. Sacramenti subjunxisse, quòd in pœnam istius multi fuerant occasio infirmitatum & mortis: *Ideò*, inquit, *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi; quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* 1. Corinth. 11. 30. Si igitur antequam ad hāc sacram mensam accedamus, pœnitentiam ageremus, pro nostris excessibus, numquam à Deo puniremur.

Cur Oza arcam tangēs, occisus? 40. Arca veteris Testamenti, nil aliud erat, quàm simplex figura SS. Sacramenti; Oza tamen irreverenter eam tangens, morte repentinâ punitus fuit; 2. Reg. 6. 7 *Percussit eum super temeritate:* dicit Sacer textus; non tamen explicat, in quo particulariter temerarius fuerit. Expositores hujus loci, variè discurrunt; Tostatus in libr. 2. Reg. Tostatus inquit eum irreverenter Arcam tetegisse, alii, quia nudam attigerat; Rabbini Hebræi dicunt, quia nocte præcedenti, non se ab uxore cōtinuerat; S. Hieron. S. Ierem. in tradit. Cajet. Theodoretus & alii asserunt, quia Arca à Levitis portari solita, eam à bestijs trahi permisit: vel quia potiùs non coërcebat animalia, aut sustineret cursum, quàm apponeret manum Arcæ. Theodor. quæst. 20. in lib. 2. reg. Cajet. in libr. Regum. Quomodocumque hoc factum fuerit, credo divinam providentiam ita ordinasse, ne apertè videremus peccatum Ozæ; ut nos ad sacrum Altare accedentes, timeremus non solùm peccata manifesta, verùm etiam occulta, quæ oculis divinis solùm sunt manifesta.

Quomodo hoc SS. Sacramentum recipiendum. 41. Quid ergo nobis efficiendum, dum ad sacrum corpus Domini sumendum accedimus? Primò non festinanter quasi ad communem mensam adeundum, sed longa & diligēs præparatio adhibēda, per quam ad dignè recipiendum te disponas. Christus in hoc mundo degens nūquam quæsivit domos splendidas, aut divitias possidere, quia, *filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Lucæ 9. 58. Quando tamen hoc SS. Sacramentum instituere vellet, misit duos discipulos suos qui cænaculum magnum bene adornatum inquirerent. Quid hoc sibi vult auditores? ubi solita Christi paupertas? ubi contemptus mundanæ pompæ? ubi despectus divitiarum,

tum, & commoditatum, quem semper exhibuit? An in aliam mutatus sententiam? Non hæc cupiditas divitiarum, aut honoris, sed mysterium fuit; volens demonstrare, quòd licèt ipse dum viveret omnes sæculi honores & dignitates cōtemneret, in hoc tamen Sacramento honorari, ceremonijs externis coli, & multò magis virtutibus animam exornari vellet. Diligēs ergo præparatio adhibenda; sed qualis hæc erit? Quid homo dignè efficere poterit? S. Paulus paucis sed mysteriosis verbis id docet, dicens: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*; sed qualis erit hæc probatio? An S. Paulus eam explicare noluit, ad demonstrandum impossibile esse se dignè præparare posse prout oportet? vel hoc unico verbo indicat dicens: *& sic de pane illo edat.*

Qualis præparatio adhibenda?
1. Corinth. 11. 28.

42. Quid sibi vult particula illa *sic*? ô quàm mysteriosa, & quanta in se continet; *sic* vult dicere prout convenit, tali cibo; quod videlicet non sis dissimilis, sed similis & conveniens cibo quem manducas: *sic*, quòd mensura præparationis tuæ sit excellentia, & pretiū cibi quem recipere debes; *sic*, prout convenit personæ invitatæ ad mensam regiam supremi cælorum Monarchæ: ô si hoc cogitares Christiane! Sed quid vadis accipere in illa sacra mensa? vadis sumere Deum tuum, ergo divinus esse deberes; vadis sumere sanctum Sanctorum, & sanctitatem ipsam, & innocentiam; ergo sanctus, innocens, & purus esse deberes; ô qualis puritas requiritur ut dignè hoc SS. Sacramentum recipiamus. Ut ascendamus in cælum tāta puritas requiritur, ut unum solùm veniale peccatum sufficiat, ut animam etiā sanctissimam impediat ne cælum intret, quia; *Nihil coinquinatum intrabit in cælum.* Sed cur tanta puritas requiritur in cælo? Quia locus, & habitatio Dei est. Nō minorem ergo anima tua habere debet, quæ habitatio divina efficitur; sive enim Deo appropinques, sive Deus ad te veniat, parum refert, quia eadem semper puritas requiritur.

Apocalyp. 21. 27.

43. Christus in vltima cœna, quasi examen conscientiæ instituit discipulis suis dicens: *Vnus ex vobis me traditurus est*; ut unusquisque consciētiam suam examinans, cogitaret quomodo esset disposita. Licèt quoque S. Lucas hoc post institutionem SS. Sacramenti enarret; S. Matthæus tamen primò commemorat. Nec sine mysterio fortè diverso tempore enarratur; ut indicarent hoc conscientiæ examen duabus vicibus fieri debere; primò ut peccata tua confitearis, secundò ut illi remissionē peccatorum roges, quando præ-

Matt. 26. 21.
A peccatis omnibus conscientia mundanda.

ſens adeſt. Nec hoc examine contentus, voluit quoque proprijs manibus pedes Apoſtolorum lavare, ut ſignificaret etiam à peccatis venialibus mundam eſſe debere conſcientiam. Plures ſubitò poſt peccata graviſſima confeſſa, ad ſacram mẽſam accedunt, quod non rectè convenit; confeſſione ſiquidem lavaſti caput, & manus, ſed oportet pedes quoque lavare, immundos affectus auferre, qui sũt reliquiæ peccatorum præteritorum, & pulverem mũdanarum cogitationum extergere. Sacerdos duabus vicibus manus lavat, primò ante miſſam in ſacriſtia, ſecundò ſub Miſſa ſummitatem digitorum abluit; prima ablutio confeſſionem gravium peccatorum indicat; ſecunda, venialium, ut anima omni ex parte munda ſit.

Inſignis differentia inter Moyſen, & Apoſtolos.

44. Dum Moyſes ad conſpiciendam mirabilem combuſtionem rubi accederet, dictum illi fuit ut calceos deponeret: *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Exod. 3. 5. Ut autem reliqua myſteria, quæ SS. Patres hìc exponunt omittamus, notanda eſt pulcherrima differentia inter Moyſen & Apoſtolos? Moyſi ſufficiebat calceos deponere, Apoſtolis non; ſed vltrà quòd pedes nudos haberent, vult quoque ut à pulvere mundentur, idcircò illos lavat; ut oſtendat ſe majorem puritatẽ exigere pro receptione hujus SS. Sacramenti, quàm requirebatur pro Sacramentis veteris legis. Moyſi inſuper dicitur ut ipſemet ſolvat calceamentum de pedibus ſuis; ſed Apoſtolis non permittitur, ut proprijs manibus lavent pedes, ſed Chriſtus ipſe proprijs manibus voluit lavare; ut oſtendat præparationẽ huic SS. Sacramento neceſſariã, adeò eſſe ſublimem, ut nec alia potentia, nec aliæ manus quàm Chriſti ſufficiant ad illam concedendam. Nec ſolùm puritas præſentis temporis requiritur, verùm etiam firmum propoſitum numquam à Deo in poſterum recedendi.

Puritas conſcientiæ in receptione requiritur.

45. Si quiſpiam iter agens domum intrat, nec ocreas aut calceos deponit, ſignũ eſt illum non diu in ea commorari velle; ſi autem illos deponit, & veſtes mutat, certum eſt illum ibi hoſpitari velle; unde apud aliquas nationes moris erat, ut mulieres pedes non cooperirent; ut cogerẽtur in propria domo manere. Propterea Deus noſter nolens te tranſeundo ſolùm apud illum manere; dum ad ſacram illius menſam accedis, te invitat dicens: *Solve calceamenta de pedibus tuis:* Exod. 5. 5. quaſi diceret, uti tenerrimè amans offenditur, dum amatum vidit calceatum pedibus, & itineri præparatum, timens ne fortè citiùs diſcedat. Ita vult Chriſtus ut calceos exuentes, hanc ſuſpicionem à corde ejus amoveamus

veamus, & cum ipso semper manere intendamus. Agnum Paschalem vetuerat Deus peregrinum & advenam comedere; ita modò non vult ut instar peregrini, sed ut domesticus accedas, nec umquam comestionem hujus pretiosissimi Agni deseras. Hæc est ergo prima conditio quæ requiritur, puritas conscientiæ, & contritio peccatorum præteritorũ, & futurorum. Quid vltra requiritur? Quod ijs virtutibus sis præditus, quæ resplẽdent in illo Domino, quem suscipere desideras. Quia tamen numquam finirem si cunctas virtutes in hoc SS. Sacramento resplendentes enumerare vellem duas præcipuas enumerabo.

Virtutibus ornari debes.

46. Prima virtus in receptione hujus SS. Sacramenti exhibenda, est humilitas; quantam siquidem profundam humilitatem, in eo Christus demonstrat? Propheta Jsaias magni quid dixisse videbatur, dum dixit; *Desideravimus eum novißimũ virorum:* Jsaiæ 53. 3. Multum certè dixisti Jsaia, sed nondum fundum humilitatis Christi attigisti; non enim illi sufficiebat inter homines vilipendi, & quasi humanâ formâ exui, ut in hoc Sacramento apparet. Licèt quippe se in passione maximè humiliaverit, multò magis in hoc Sacramento humiliatus mihi videtur; tantoque magis, quantò vilius est frustum panis homine. In passione retinuit saltem formam humanam, ideò dixit Pilatus *Ecce homo*; in hoc verò Sacramento etiam hac se privat, nec aliud esse videtur quàm panis. Joan. 19. 5. Si igitur Deus tuus ita se humiliat, quomodo superbè illum accedere audebis? Quomodo te non vilipendes, & recognosces te nihil esse? O summopere mirandum, quod ad hoc altare tanto fastu, & pompâ viri ac mulieres accedere audeant, videntes Deum suum hîc adeò humiliatum. Nec minori admiratione dignum, Deum illos patienter sufferre, nec subitò punire. Nónne vides Deo humilitatem adeò placere, ut quasi præcipuum motivum cur hoc SS. Sacramentum instituerit sit humilitas? sic inquit Moyses loquendo de Manna figura hujus SS. Sacramenti; *Cibavit te Mannâ ut humiliaret te:* Deut. 8. 16. Vide nempe popule Jsrael, quanti Deus faciat humilitatem, ut ad te humiliandum, Manna te pascat. Sed quis modus humiliandi est iste? Videtur homo ita exaltari, & Angelis similis effici; quia verum est dicere; *Panem Angelorum manducavit homo*, tali modo homo Angelis superior effectus, quia officiô pistoris inserviunt hominibus, efficiendo Manna. Psal. 77. 25. Quomodo ergo Moyses, inquit; *Cibavit te Mannâ ut humiliaret te?* Si quoque à figura

Humilitas Christi imitanda.

ad figuratum transeamus, quæ major dignitas homini obvenire potest quàm assidere mensæ divinæ, & Deo ipso se pascere? Quomodo ergo humiliatus dicitur, qui tâtis favoribus exaltatur? Verissimum tamê est quod, *cibavit te Mânâ ut humiliaret te*; est unus ex præcipuis stimulis te humiliâdi, cibare te hoc SS. Sacramento; quandoquidem in eo Deum tuum adeò humiliatum vides, ut etiam è cælis descendat, ut virtutem humilitatis consequaris.

Ubi suprà.

Angeli hîc humilitatem exhibent.

47. Ipsimet Angeli licèt in virtute humilitatis magistri; in hac Schola maximè addiscunt. Sacra Scriptura refert, illos in cælis ante thronum Dei erectos stare; ita testatur Propheta Daniel; *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebât ei.* Sed ante SS. Sacramentum multoties visi sunt in terra prostrati; ita attestâtibus S. Gregor. & S. Joanne Chrysostomo. Sed quid, nónne idem Deus in cælo, & in hoc SS. Sacramento? quin imò nónne majori gloriâ, & dignitate in cęlis est? omninò; quid ergo sibi vult, illos hîc magis se humiliare? Quia Deum ipsorum adeò humiliatum vident; putant se quoque humiliari oportere. Dum princeps eques iter agit vel in rheda, omnes similiter ita procedunt, si verò ex equo aut curru descendens pedester vadat, omnes verecundâtur in equis manere, sed descendêtes ipsum sequuntur. Pari modo cælestes Aulici, dum Deus in suo throno gloriosus persistit, omnes pariter gloriosi & erecti stant, illû verò vidêtes in SS. Sacramento adeò humiliatum, etiam seipsos humiliant & in terram prostrati, profundè inclinant. In lege veteri maximus erat favor Angelum suâ præsentiâ honorare sacrificium, ut legitur, in libro Iudicum de Manue cui Angelus apparens cum fumo sacrificii cælos ascendebat. In nova verò Lege Angeli maximum æstimât favorem se posse divino sacrificio assistere, nec accedere propiùs audent, sed reverenter in terram prostrati illud adorant. Ad quod fortassis respexit S. Petrus Apostolus dicens: *Quæ nunc nunciata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis Spiritu sancto misso de cælo, in quem desiderant Angeli prospicere:* textus Græcus legit; *in quæ desiderant Angeli prospicere*; videlicet, *in quæ mysteria.* Interpres quoque Latinus à Spiritu sancto directus, dixit, *in quem*, in illum videlicet qui sub mysterio panis & vini latet, ne in plura mysteria divagarent. In veteri lege clariorem habemus figuram; de Cherubinis à Moyse, & Salomone fabricatis; quia illi supra Arcam erant, hi verò sub Arca ut in Exodo, & libris Regum legitur; ad significandum

Dan. 7. 10.

S. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 58.
S. Chrys. l. de Sacerd.

Angeli prostrati Sacramentum adorant.
Judic. 13. 9

1. Petri 1. 12.

ficandum (ut graves referunt auctores) Angelos lege veteri non dubitasse, se conjungere illis sacrificijs; sed in templo Salomonis in lege nempe Evangelica, indignos se judicant accedere ad tantum sacrificium. Si ergo Angeli cum tanta humilitate & reverentia huic divino sacrificio assistunt, quantâ tu vilis vermicule, accedere debes, ut illum intra te sumas? Effice ergo humiliare cor tuum, considerando magnitudinem hujus Domini, quem suscipere intendis; considera humilitatem, & vilitatem tuam ob miserias & peccata commissa, nisi velis indignè sumere.

Quantâ reverentiâ nobis accedendum?

48. Quid autem de amore proferam, quô ad hanc sacram mensam accedere debeamus; quæ aliud non est, quàm fornax amoris? Hæc est vestis nuptialis quæ ab invitatis requiritur. In hoc convivio illa ebrietas est, quam pretioso suo sanguine, uti præstantissimo vino, rex cælorum in nos effundere cupit: de quo dicebat in Canticis; *Bibite & inebriamini charissimi.* Ad hunc finem non debent invitati labia tãtùm apponere huic SS. Cibo, & calici, & posteà discedere; sed quærere se inebriare suavitate dulcedinis, ac sæpiùs os cordis admovere, ut anima hoc pretioso liquore adimpleri possit. Antiquitus insignis mos erat, ut dũ ad sanitatem aut honorem alicujus biberent, non sufficiebat semel bibere, sed toties quot litteræ in ejus nomine erant; v.g. ad honorẽ Cæsaris sexies bibebant, quia nomen ejus tot litteris constabat: ideò Martialis scripsit; *Sex jubeo Cyathos fundere, Cæsar erit.* Quis scit si ad hanc consuetudinem non respexerit David dicendo: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Volo, inquit, Calicem salutarem accipere, & ad meam salutem ebibere, sed numquid ad honorem alicujus ebibes? non invocabis aliquod nomen unde mensuram, vel numerũ bibendi sumas? Quin imò, inquit; *Nomen Domini invocabo*; ad honorem Domini mei bibam; nec sufficiet semel bibere; ideò sequitur, *vota mea Domino reddam.* Hęc vota nil aliud indicabant quàm sacrificia, prout pariter in verbis *Calicem salutaris* intelliguntur. Sed quidquid sit de sensu Davidis, optimum erit, quando ad hanc sacram mẽsam accedimus, non tantùm hoc facere ad honorem SS. nominis Jesu, sed sicut sunt quinq; litteræ in nomine Jesus, sic quinies bibere de vino pretioso quod tibi propinat. Nónne videtis quinque esse fontes unde vinum hoc effluit, quinque videlicet vulnera eius? Os igitur cordis ad singula vulnera admovendo, ex ijs dulcissimum vinum contemplationis, & cælestium affectuum haurire studebis.

Cantic. 5. 1.

Hoc pretioso sanguine nos inebriare debemus.

Psal. 115. 13.

Quinies sumendum in honorem quinque vulnerum.

debis. Ex vulnere manus dextræ admirationem, quòd Dominus adeò potens & magnus, voluerit in tantum se humiliare, ut tecum se uniret; ex vulnere manus sinistræ, affectum compassionis, considerans quanta pro te passus fuerit; ex sacro latere, affectum amoris, ut respondeamus amoroso cordi, quod hanc mirabilem adinventionem reperit, ut nos sibi alliceret: ex pede dextro gratiarum actionem pro tanto amore, & beneficio: ex pede sinistro, imitationem heroicarum virtutum.

49. Musica optimè convivijs convenit, unde dixit Sapiens: *Sicut in fabricatione auri signum est Smaragdus; sic numerus musicorum, in jucundo, & moderato vino.* Antiquitus moris erat, ut dum cibi ex mensa ablati essent, adferrent Cytharã, in qua unusquisque cantilenam ludebat; accipe tu quoque Cytharam orationis; & canta in corde tuo ad honorem Domini tui, qui te ad hanc sacram mensam invitavit; & nunc vocem eleva ad altitudinem divinæ majestatis; modò illam ad vilitatem tuam considerandam dimitte; nunc recollectionẽ præteritæ vitæ exhibe, & remissionem peccatorũ tuorum à Deo supplica; nunc trãsi ad tempus futurum, & emendationem propone; nunc divina beneficia sibi invicem oppone: nunc sollicitè mundanos affectus: nunc amorosis suspirijs cantum interrumpe, propter desiderium manẽdi cum Christo: nunc parum cessa, auscultando quid Deus tibi inspirabit; super omnia autem conserva convenientiam cogitationum tuarum, cum mensura divinæ legis.

Eccli 32.8. *Orationi continuò insistendum.*

50. Si ex te cantilenam aliquam componere nescis disce ex hoc candido Cygno Simeone, qui eundem Dominum in ulnas suas recipiens, dulciter canebat dicens: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace, quia viderũt oculi mei salutare tuum.* Quasi diceret, oculi mei tantam pulchritudinem cõtemplati sunt, non convenit illos modò objecta terrena, & deformia cõtemplari. Hæ manus Deum attigerunt, non convenit illas res terrenas tangere. Hæc brachia regem cæli amplexati sunt, non convenit illa ad terrena extendere. Hanc insignem cantilenam vellem te apprehendere ô Christiane, & mundo ac carni mori: cogitando non cõvenire, cùm conviva Dei tui effectus sis, quòd cum bestijs & dæmonibus epuleris. Si autem sequi cupias mores antiquos, noli hoc facere ijsdem membris, & potentijs, quibus ad sacram mensam accessisti. Si de proximo tuo murmurare cupis aut factis eius obloqui, aliam cures accipere linguam: non enim convenit ut lingua illa

Qualiter orandum.

Lucæ 2.29

In hac mensa omninò immutandi sumus.

quæ

quæ ſanguine Chriſti erubuit, modò veneno infernali denuò inficiatur. Si manum ad furta, aut ad alia negotia illicita extendere velis, fac ut alius tibi manum accõmodet; non enim cõvenit ut manus illa quæ ſuppliciter ſe extendit ad honorandum regem cælorum, fiat instrumentum diabolicum. Si loca adire cogites ubi certiſſimè Deum offendes, abſcinde potiùs pedes & cura alios adferre; non enim convenit ut pedes qui te ad ſacram menſam duxerunt ad loca prohibita ducant. Si cor in prædam dare, & ſacrificare idolo terreno, & vanitatibus deſideres; ex pectore primùm erue, & aliud accipe; non enim convenit ut cor quod tabernaculum Dei fuit, modò fiat vas immunditiæ, & instrumentum quô Satanæ ſacrificare poſſis. Procura denique aliam vitam, & alia membra atque alium ſpiritum, ſi peccatis, & vanitatibus prout hactenus fecisti, illa impendere velis: quæ ſiquidem modò habes, Deo dicata ſunt, ideoque cæleſtia, angelica, & divina eſſe debent. Quod Deus concedat. Amen.

Alia membra ad vanitates accipienda.



DISCVRSVS DECIMVS,

Vtrum tribulatio bona vel mala sit, & qualiscumque sit, quomodo à nobis bona reddi possit?

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Scientia boni & mali maximè animum hominis rapit. num. 1.2.3.4.
Tribulatio omninò mala esse videtur num. 5.6.7.
Peccatum, & tribulatio idem esse censentur. num. 8.9.10.11.
Tribulatio bona esse probatur. num. 12.13.14.
Est campus fructibus fœcundus. num. 15.16.17.
Ex sene juvenem reddit. num. 18.19.20.
An naturaliter vel moraliter bona? num. 21.22.23.24.
Ex mala bona reddi potest. num. 25.26.
Christus tribulationes bonas declaravit. num. 27.28.29.
Mundanis mala, sapientibus bona apparet. num. 30.31.
Est medicina, & castigatio salutaris. num. 32.33.34.
Innocenter & patienter ferentem, beatum reddit. num. 35.36.

1. HOMINES meritò piscibus à sapiente assimulati dum dixit: *Sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines in tempore malo.* Sicut enim piscis numquam hamo caperetur, nisi escâ coopertus esset; ita voluntas numquam à malo alliceretur, nisi aliquo bono coopertum esset, quod ipsam delectatione attraheret. Sic ergo homo & piscis priùs à delectatione, quàm ab hamo aut ferro interceptus fuit; priùs deceptus, quā victus; priùs ab amore perculsus, quā ab odio infectus; priùs à falso bono delusus, quàm à vero malo mācipatus. Quam verò escām magis idoneā ad cor humanum alliciendum credes? vel quæ saltem majoris prædæ erit occasio? Variæ profectò hujus rei erunt opiniones, & mea fortè ab alijs diversa; quidam honorem, quidā pulchritudinem, quidam delitias, quidam divitias, quidam lucrum, quidam vindictam inimicorum, quidam desiderium diuturnæ vitæ æstimabunt. Mea autem opinio ab alijs longè differt, puto enim scientiam, & desiderium sciēdi, plusquam alia attrahere: ab alijs siquidem

Eccles. 9. 12.

Voluntas à bono allicitur.

Quid magis illam rapiat.

ſiquidem objectis hic vel ille citò rapietur; à deſiderio autem ſciendi, omne genus humanum allectum fuit; quale in primo Patre noſtro Adamo continebatur. Nónne recordamini diabolum illi hanc eſcam obtuliſſe
Geneſ. 3. 5. & dixiſſe: *Eritis ſicut dii ſcientes bonum, ac malum:* & ille imprudentiâ ſuâ os aperiens hamum cum eſca deglutivit, & à peccato & morte quæ nos vſque modò proſequitur, transfixus fuit.

Omnis homo ſcientiæ cupidus. 2. Nec certè mirùm hac eſcâ ſciendi diabolum uſum fuiſſe, quis enim neſcit omnem hominem avidiſſimum eſſe ſcientiæ?
Ariſt. 1. Metaph. *Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat*, dixit Peripateticorũ Princeps. Oculos quoque magis quã alios ſenſus diligimus, quia inſtrumenta ſcientiæ ſunt. Experientiâ quoque patet, nos quandoque cibum corporalem relinquere, ut nova, & inaudita cognoſcamus, prȩponendo cibum mentis, cibo corporis. Non ergo mirandum, aſtutum ſerpentem primis noſtris parẽtibus dixiſſe: *Eritis ſicut dii ſcientes*: Scitis autem quid admirandum? Illum ſubjunxiſſe, *bonum, & malum.* Ergóne diabolus aliud nil quærens, quàm obfuſcare oculos ut non diſcernamus bonũ à malo, vel ſaltem amplectamur malum ſub ſpecie boni; promittit ſciẽtiam diſcernendi bonũ à malo? Ille qui immortales inimicitias cum bono exercet, vult illud ab homine cognoſci? ille qui ſcit bonum verè cognitum, inſtar magnetis cor humanum ad ſe attrahere, & malum ut ignem ardentẽ à ſe rejicere; vult unum, & aliud ab homine cognoſci? hoccertè maximè mirum.

3. An deerant objecta quorum cognitionem homini promittere poſſet? An humanus intellectus non minùs curioſus & avidus, ut res plures intelligat, quàm ut bonum & malum cognoſcat. *Cur diabolus promiſerit ſciẽtiam boni, & mali?* Cur non promittit eis ſciẽtiam cælorum, & aſtrorum, ut cognoſcere poſſint motus eorum, diverſitatem, & naturam planetarum, influxus ſtellarum, virtutes herbarum, ſecreta naturæ, & animalium proprietates? Quare non aſſerit, efficiam vos ſcire origines ventorum; fluxum, & refluxum maris; latitudinem, & lõgitudinem terræ; formationem imbrium, & tempeſtatum; generationem, & naturam animalium; volatum avium, natationem piſcium, incrementum arborum? Cur non ait, ſcietis principia rerum naturalium, cauſas entium, diviſiones prædicamentorum, formationes univerſalium, eſſentiam, potentiam, proprietatem accidentium, & ſubſtantiæ? faciam vos fragili ligno ſulcare, & transmeare maris furentes undas, ſubterraneos reperire theſauros, aurum ab ære ſeparare, & ferrum

& ferrum ab argento. Docebo vos domos ædificare, vestes texere, fructus conservare, varia instrumenta ex ferro, ligno, terra, auro, & argento conficere, omnibusque rebus non solùm necessarijs, verùm etiam commodis & delectabilibus abundare? efficiam denique vos futura prævidere, eventura cognoscere; non tantùm quę à cælorum influxu depēdent, verùm etiam quæ à libera hominis voluntate? O qualis esca hæc fuisset ad quemvis intellectum naturaliter hæc appetentem, alliciendū? Experientiâ patet multos se in prædam diabolo tradidisse ut per illum similia naturę secreta cognoscerent. Sed propter cognitionem boni & mali, quis umquam ad diabolū confugit? Quis umquam astrologos, ariolos, aut magos consuluit? Imò singuli in hoc tantum scire prætendunt, ut etiam Doctores evasisse se putant.

Cur nō alia edocenda promisit?

4. Quid ergo dicendum? stolidum fuisse Satanam dum hāc scientiam primis nostris parentibus obtulit? effectus contrarium ostendit, nimiùm illis hæc esca arrisit, nimis avidè hanc expetierunt, deglutierunt hamum peccatorum. Quare ergo adhuc modò non offert eandem scientiæ escam? An homines modò parum curiosi? Quia noster affectus, & gustus infectus, & corruptus est; non enim appetit intellectus quod illi meritò prodesset. Adamo verò, & Evæ, qui in felici statu innocentiæ palatum sanum habebant, & intellectum illuminatum, non poterat cibum delicatiorem, aut digniorem offerre, licet effectus non corresponderet promissis; atque ita in his ut in omnibus aliis diabolus mendax fuit. Dignissima ergo est scientia boni & mali, omnesque excellit; licèt enim aliæ sæpiùs minùs utiles sint, & quandoque nocivæ, hæc non potest esse utilior, ubi aliæ solummodò curiosum intellectum pascunt; hæc vltra quòd intellectum pascit, proprium cibum voluntati, & affectui offert. Seneca egregiè deridet illos, qui ad alias scientias attendunt. *Quæris*, inquit, *per quæ maria Vlysses erraverit, quare potiùs non procuras errare dum vivis? inquiris an Penelope pudica fuerit, &c? Addisce potiùs in quo pudicitia consistat, & quantum sit bonum, quantiq́; referat.* In fine quoque hujus discursus, inquit, *unâ consummatur animus scientiâ, bonorum, ac malorum.* Quid ampliùs desiderari potest. Hæc est scientia, de qua Jsaias dixit, Salvatorem mundi illā scire debere; *Butyrum & mel comedet, ut sciat eligere bonū, & reprobare malum*: quasi diceret, se velle palatum sanum conservare, ut posset bonum à malo discernere. Quandoquidem ergo tanti referat hæc scientia, non

An diabolus in hac promissione deceptus.

Scientia boni, & mali dignissima.

Seneca epist. 88.

Isaiæ 7.15.

convenit

convenit à nobis derelinqui; cumque hactenus substantiam, & magnitudinem tribulationis investigaverimus; ad qualitatem modò transeundum, inquirendumque si bona an mala sit.

An tribulatio bona vel mala.

5. Dicet fortè quispiam, an dubium esse potest, tribulationem malam esse? si bona esset, non esset certè tribulatio, nullus siquidem se affligit dum cuncta bona recipit. Si mihi in his non credatis, toti mundo credite, quę semper hanc opinionē firmissimè tenuit, licèt in cæteris lenis, & instabilis, judicetur. Quando aliquod attributum, accidēs, aut appellativum alicui asscribitur pro nomine proprio alicujus rei; magnum est argumentum, ipsum non solùm talem esse, verùm etiam qualitatem illā eminenter illi cōpetere. v.g. si quispiam vocetur dives, pulcher, &c. sine dubio omnes intelligerēt, illum non solùm divitias, aut pulchritudinem possidere, verùm etiam omnes excedere. Tribulatio igitur adeò mala est, ut titulus mali, pro nomine proprio illi remāserit, idem quippe est dicere sum malè dispositus, ac dicere sum afflictus, & tribulatus; volo ipsi malū aliquod, ac dicere opto ipsi tribulationē.

Tribulatio omninò mala esse videtur.

Dices hunc esse abusum hominum; Isaias quoque illam vocat malam; *Ego Dominus creans malum*: Quomodo hoc intelligendum? Nónne omnia quæ fecit Deus bona sunt; *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erāt valde bona?* Quomodo ergo hîc dicitur quòd malum creet? S. Basilius acutè respondit; creare, est producere aliquid à non esse, ad esse; malum est privatio, & non ens, quod igitur habet esse, bonum est; tantum ergo est dicere, Deum creare malum, quàm dicere, illum à non esse, ad esse transferre, ex malo nempe bonum facere. Communior tamen expositio est, per hoc malum, tribulationem intelligi, quam Deus creare dicitur; quia illam inde producit, & prodire facit, unde videbatur non posse venire, prout quoque inquit Amos: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*; tribulatio videlicet, & afflictio: in multis etiam Scripturæ locis idem dicitur.

Isaiæ 45.7.

Genes. 1. 31

Amos 3. 6.

Argumentis idem probatur.

6. Si pro hoc quoque argumenta desideres: Aristoteles in sua Rhetorica insignē assignat regulam ut cognoscamus si metaphora quædā, aut epithetum rectè conveniat; videatur, inquit, si oppositum eius contrario conveniat. v.g. videre velimus utrum iuventus rectè vocetur primum ver; accipias oppositum eius, quod est hiems, & applica illud contrario juventutis quod est Senectus; & dicamus seni eum pervenisse ad hiemem suæ ætatis; si hic modus loquendi est bonus, prout est, op-

positus quoque bonus erit, videlicet juvenem esse in primo vere suorum annorum. Parì modo ergo, si cognoscere cupis utrum epithetũ *mala*, tribulationi conveniat, vide si *bona* prosperitati conveniat, quæ est eius contrarium. Potest ergo dici bona prosperitas? imò, sic enim illam vocat Patriarcha Abraham cum divite Epulone loquens: *Fili recepisti bona in vita tua*; & S. Job: *ducunt in bonis dies suos*, de seipso quoque ait: *si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* quibus verbis insignem confirmationem addit, prosperitatem bonam esse, & adversitatem malam, quia illam, inquit, extendendo manum & cooperando *suscepimus*; hanc verò non inquit se suscepisse, sed cum patientia tolerasse; *Quare non sustineamus?* quod est evidés signum, illam æstimatam bonam; hanc verò adeò malam, ut nullo modo possit dulcis reddi, ut fructus acerbi, & amari. Licet quippe divina manus, dulcissima sit, & omnibus bonis repleta; *Quia divitiæ & gloria in dextra illius*; &, *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Tribulationes tamen licèt de manu Dei veniant, non tamen desinunt esse malæ & amaræ; teste Job: *Mala autem de manu Domini quare non suscipiamus?*

Lucæ 16. 25.
Job 2. 10.
Prov. 3. 16.
Psal. 144. 16.
Iob 2. 10.

Ratione idē probatur.

7. Ratio insuper clara est, quid enim est bonum? Aristoteles, inquit; *Bonum est, quod omnes appetunt*; malum ergo erit, *quod omnes fugiunt*. Talis est tribulatio ab omnibus fugita; non solùm à mundanis, & sensualibus, verùm etiam à Sanctis, juxta præceptum Salvatoris; *Cùm persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*. Tanto ab omnibus odio persecuta, ut sola quandoque vmbra eius homines in fugam convertat: ut de impio dicitur: *fugit impius nemine persequente*. Optimus modus aliquem cognoscendi, est, considerare amicos quibuscum agit; dic mihi quibuscum conversaris, & ego tibi dicam qualis sis; naturâ siquidem similes, libenter simul agunt, ut dicitur communi Proverbio: *Simile simili gaudet*: & Sapiens inquit: *Omnis caro ad similem sibi conjungitur, & omnis homo simili sibi sociabitur*. Quis ergo est charissimus amicus tribulationis? peccatum, nec pejor esse potest; cogita ergo qualis erit tribulatio. Charissimi amici erant David & Jonathas, quomodo hæc amicitia in Scriptura exprimitur? Dicendo animam unius alteri annexam esse: *Conglutinata est anima Ionathæ, cum anima David*. Eandem amicitiam credo esse inter peccatum & tribulationem, quod expressis verbis testatur Baruch: *Agglutinata sunt nobis mala, quia peccavimus tibi*: quare mala nobis ita conjuncta sunt? *Quia peccavimus*.

Matth. 10. 23.
Prov. 28. 1.
Eccli. 13. 20.
1. Reg. 18. 1.
Baruch 3. 4.

vimus. Peccato locum tribuisti; ecce tribulatio continuò tibi adhæret. Idem Plato quoque affirmabat; *Injustitiæ comes est pœna.* Inseparabilis est amicus peccati.

Plato lib. 5. de legibus.

Inter peccatum & tribulationem stricta amicitia.

8. Parum dixi, nullum majoris amicitiæ signum est, quàm nomen commune habere, quasi nulla inter illos sit differentia, sed unus in alterum transformatus videatur. Alexãder Magnus non minori in pace humanitate, quàm in bello fortitudine præditus; dum Darii mater errorem suum excusaret, quòd reverentiam Ephestioni exhibuisset, & non illi; dixit ei, non cõmisisti errorem Mater, nam hic quoque Alexander est; intimam suam amicitiam ostendens. Inter peccatum, & tribulationem, adeò stricta intercedit amicitia, ut sibi mutuò nomen cõmunicaverint. De Christo dicitur; *Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit;* pœnam videlicet peccati in se recepit; & in Genesi habetur; *Statim in foribus peccatum tuum aderit:* id est, castigatio, & tribulatio peccatorum. De Sacerdotibus, inquit Osee: *Peccata populi mei comedent*; pœnas videlicet pro satisfactione recipient: Jsaias quoque de Jerusalem ait: *Quoniam completa est malitia eius;* id est pœna, & tribulatio.

2. ad Cor. 5. 21.

Genes. 4. 7.

Oseæ 4. 8.

Jsaiæ 40. 2.

Omninò sibi assimulãtur.

9. Tanta denique est similitudo, ut non solùm unum nomen pro altero accipiatur, verùm etiam persona & substantia quantum possibile fuerit. Vidistísne quandoque duos fratres adeò sibi similes ut unus ex altero vix cognoscatur? Tales dicite esse tribulationem, & peccatum, adeò similes, ut homines sæpissimè errent, & aliquem afflictum videntes, credunt ipsum peccatis gravatum: ut amici Job dum illum tanta afflictione oppressum viderent: & ipsimet Apostoli de cæco nato interrogabant: *Rabbi quis peccavit hic aut parentes eius ut cæcus nasceretur?* Parum est homines in hoc errare, ipsa natura quoque in eo decipi videtur. Numquam advertistis quandoque seminari unam rem, & aliam prodire? seminas unam speciem pomorũ & prodit alia, quid hoc sibi vult? species illas inter se adeò esse similes, ut natura quoque unam pro alia accipiat. Hoc rectè inter tribulationem, & peccatum accidit: tanta siquidem est inter ea similitudo, ut unum seminetur, & aliud nascatur, unum concipiatur, & aliud parturiatur. Hoc S. Scripturâ teste clarè patebit: Sapiens quippe inquit: *Qui seminat iniquitatem, metet mala:* qui iniquitatem seminat, illam quoque colligere deberet, non tamen ita fit, sed tribulationem, & dolorem metit: idem Job asserit: *Vidi eos, qui operantur iniquitatem,*

Joan. 9. 2.

Seminando peccatum, oritur tribulatio.

Prov. 22. 8.

Iob 4. 8.

iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos: sed quomodo seminant dolores? operando iniquitatem, ita ut iniquitas sit semen dolorum. Clariùs S. Paulus ait: primò cõtestans hominem colligere quod seminavit: *Quæ seminaverit homo, hæc & metet*: statim verò subjungens: *Qui seminant in carne de carne metent corruptionem*: qui videlicet carnalia seminat, metet corruptionem. Numquid tamẽ dixisti S. Paule: *Quæ seminaverit homo hæc & metet?* Si ergo non seminant corruptionẽ, & mortem, quomodo illam metent? Ergóne idem sunt opera carnis, id est peccata, & corruptio, tribulatio videlicet & mors? Aut tam sibi sunt similia, ut seminando unum, nascatur aliud? David de peccatore quodam dixit: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem?* Quomodo hoc? nónne illud prodit quod seminatur? Adeò sibi hæc sunt similia, ut unum in aliud convertatur.

Ad Galat. 6.8.

Psal. 7.15.

Tribulatio domos justorũ ut hospes ingreditur.

10. Dices, tribulationem domos justorũ ingredi ubi nullum est peccatum: non est igitur verum adeò intimos esse amicos tribulationẽ, & culpam, ut unus ab altero separari non possit. Respondeo verum esse, tribulationem quandoque domos justorum ingredi: sed eò cõtendit ut amicum suum peccatum reperiat, quem si non reperiat, quantociùs discedit: ut hospes illic vesperi divertit, & mane discedit: *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia:* ubi verò peccatum invenit, ibi commoratur & domicilium figit. Hoc clarè testatur Zacharias, qui librum volantem videns, petebat quid hoc esset: & responsum illi fuit: *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ:* sed cur hæc ad omnes vadit, non relinquet aliquos liberos & morabitur in aliquibus locis? imò, sed ubi? *Et veniet ad domum furis, & ad domũ jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius.* Per alias domos velociter transit ut peregrina, sed ad domos peccatorum perveniens, ut domina mansionem eligit. Peregrinus se in angulo domus collocat quietè: hęc verò in commodiori loco, in medio domus ut domina se constituit: *in medio domus eius*, peregrinus paucò tempore cõmoratur, hæc verò continuò *commorabitur.*

Psal. 29.6.

Zachar. 5.3.

Ibid. 4.

Tribulatio malorum castigatio.

11. Dicet fortassis, Deus tribulationem ad domos malorum mittit, ut aliquid boni, ipse enim, bonis, & malis benefacit: *Solem suum oriri facit, super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos.* Quin imò dico ego, illã pro castigatione mittit: ita per Jeremiam dicebat: *Castigabo te, ne tibi videaris innoxius.* Si tribulationes igitur castigationes sũt, ergo nil boni sunt, alioquin potiùs præmia dicenda essent, &

Matt. 5.45.

Ierem. 30. 11.

alios

alios provocare viderentur, ad malè agendum. De Stratonico Philosopho scribitur, quòd perveniens ad pagum quemdam Seripha vocatum, incōmodum, & infelicem; à quodam amico suo, & hospite, interrogabat, si neminem umquam inde in exilium mittebant, & ob quam causam? Respondit hospes, qui crimē aliquod cōmisissent, illos in exilium mitti. Subjūxit igitur Stratonicus, cur & tu nullum committis crimen, ut extra hūc infelicem locum mittaris? Si tribulationes ergo bonæ essent, & ad peccatores mitterentur, videretur esse tacita exhortatio ad peccandum ut hoc bono frui possent: quod planè contrarium esset fini quem intendunt castigatores delinquentium; ut nimirùm illos & alios moneant, ne ampliùs similia committant. Nónne denique æstimas Deum ingens præstare beneficium illi quē à tribulatione liberat? Nónne ideò Deo gratias agis, illumque benedicis? Certè ita, cùm Sapiens idem faciebat, dicens: *Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum: Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor, & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium:* ipse quoque Deus idem requirit, dicēs: *invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Præsupponitur ergo tribulationem malam esse, alioquin omninò contrarium esset; privari siquidem aliquô bonô, non reputatur beneficiū; nec ideò gratiæ agendæ.

Acutum dictum Stratonici.

A tribulatione liberari, beneficium.

Eccli. 51. 1.

Psal. 49. 16.

12. Hæ rationes & argumēta valida aliquid roboris habere videntur; aliæ tamen contrariæ partis considerandæ sunt. Ut judicemus aliquam rem bonam, vel malam esse, non oportet superficiem extrinsecam sed interiorem partem inspicere. v.g. malogranatum bonum esse dices; sed si corticem probare incipias, dura & amara erit, quomodo ergo bonum erit? facilis est responsio, hoc nimirum de fructu interno intelligi, non de cortice quæ non æstimatur. Ita verum est tribulationem externâ apparentiâ amaram, & ingratam esse, internè autem bonam, nec meliorem reperiri posse. De Domitiano Imperatore refert Suetonius, quòd in theatris publicis, & ludis; loco pecuniæ alijs Imperatoribus solitæ, bacillos nullius valoris proijceret; qui praxim illorum ignorabat, nil eos reputabat, nec colligere curabat; qui verò illos cognoscebat, magni faciebat, & gaudebat aliquem se arripere posse; quia signa erant rerum accipiēdarum. In illis siquidem scriptum erat, pecuniæ quantitas, aut vas aureum, vel argentum, vel quid simile, quod à præfecto Ærarii Imperatoris distri-

Rationes cur tribulatio bona sit.

Tribulatio expertis optima est. distribuebatur, iuxta exhibitionem bacilli. Simile profectò tribulatio videtur, baculus apparet ad nil aliud inserviens, nisi ad percutiendum, qui illam non cognoscit, fugit; qui verò cognoscit, amat, æstimat, & multum afficitur, scit enim per illam se multa bona percipere. S. Jacobus Apostolus eam optimè cognoscebat, volebatque ut illâ inventâ, summoperè gauderemus: *Omne gaudium existimate fratres cùm in varias tentationes incideritis.* (Jacobi 1.2.) Quare hoc? Quia vos aurô ditabit; *Vt probatio vestræ fidei multò pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur.* S. Paulus quoque eam diligebat, ideoque dicebat: *Momentaneum hoc, & leve tribulationis nostræ:* res levis est tribulatio quæ nihil fit, sed *æternum gloriæ pondus operatur in nobis:* (2. Cor. 4. 17) David quoque optimè noverat hos bacillos reperire, dicens: *virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* (Psal. 22. 4.)

Tribulatio bonorum causa. 13. Ampliùs dico, non solùm illam signum esse, & arrham, plurimarum divitiarum, verùm etiam secum adferre; non promittere solùm, sed dare: non tantùm signum esse, sed causam. Tempore Tarquinii propter elatum agendi modum dictus superbus; ex principalioribus Romanis, quidam se finxit stultum, ut hoc modo crudelitatem Regis effugeret; ideoque Brutus vocatus fuit quasi more animalis vivens. Cùm hic ergò ad oraculum Delphos cum filijs Regis contenderet, alijs pretiosa dona offerētibus, hic se reliquo vitæ accomodans, baculum obtulit, unde circũstantibus risum movit; in veritate tamen pretiosum donũ fuit, interiùs quippe auro repletus erat? Talem igitur dicite tribulationem esse. Baculus est; *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis eius;* (Thren. 3. 1.) exteriùs res vilis apparet, & fugienda; interiùs autem plena auro purissimo, & veris divitijs. (*Tribulatio Baculus auro repletus.*) Patriarcha Jacob id clarè expertus est; ô quàm afflictus, odiô habitus, & à fratre persecutus fuit! oportuit illum pauperem, & spoliatum aliam regionem petere; licèt quoque delitiosè enutritus, vitam servi miserrimam duceret: de eo tamen Sapiens, inquit; *Honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius:* quid sibi vult; *Honestavit illum?* (Sap. 10. 10.) tantum est ac si diceret, divitem fecit; honor quippe in sacra Scriptura, sæpiùs pro divitijs accipitur: ita S. Paulus: *Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina;* (1. Ad Tim. 5. 17.) id est duplici mercede, ut communiter exponitur. Honor quippe sequitur divitias, idcircò nomen eius illis attribuitur: & alibi: *Facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem:* (Eccli. 11. 23.) id est, divitem reddere. Hanc autem esse expositionem

verbi:

verbi, *Honestavit*, ex hoc loco Sapientis, in textu Græco cognoscitur, ubi sic legitur: *Locupletavit illum in ærumnis*, divitem nempè fecit in tribulationibus: sed quomodo? *Complevit labores illius*, in illis maximas posuit divitias, & hoc modo, dives effectus est.

Tribulatio divites reddit. 14. Clariùs idem mysterium Salvator noster in Apocalypsi exhibuit, scribens Episcopo Smyrnensi: *Scio tribulationem, & paupertatem, sed dives es*? Quomodo hoc? Quid est paupertas nisi priuatio divitiarum? Quomodo potest quis pauper, & dives esse? Ecce Baculus Bruti, tribulationem, & paupertatem externâ apparentiâ indicans; *dives es*, ecce aurum interiùs contentum: in comparatione siquidem pauperum, & afflictorum, divites vacui vocantur. Sic regina cælorum: *Esurientes*, pauperes nempè & afflictos, *replevit bonis: & divites dimisit inanes*: non dicit se illos evacuasse, sed dimisisse vacuos prout erant. Non magis igitur admiror apud graves auctores reperiri carceres quosdam thesauros appellatos: cùm enim loca tribulationis essent, loca pariter divitiarum dici poterant.

Apoc. 2, 9.

Lucæ 1, 53.

Tribulatio campus fœcundus. 15. Non tamen hæc similitudo sufficit, ut bona, & fructus, ex tribulatione provenientes explicemus: quia talis arca, aut Baculus auro plenus, si semel evacuetur, non ampliùs quidquam subministrabit: de tribulatione autem continuò haurire poteris, toties quoties accedis. Dices ergo fodinam auri esse, sed hæc quandoque evacuatur, & centeni anni requiruntur ut reimpleatur, si tamen fiat. Quid ergo dicemus illam esse? videtur mihi terræ fœcundæ continuò fructus producenti assimulari posse, licèt non semper colligantur. Nónne videmus terram ipsam tribulatione fœcundã reddi? si enim primò adunco ferro non penetretur, & quasi in omni parte lædatur, & perfodiatur; ac nive, & glacie desuper operiatur, radijs solaribus exsiccetur, & aduretur, fructum utilem non producet. Quid ampliùs? semen insuper nisi putrescat, & moriatur, nõ germinabit, aut fructum proferet. Hac metaphorâ Salvator passionem suam explicabat dicens: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit multum fructum affert.* Joan. 12, 24 Alibi quoque conditiones bonæ terræ explicans, dicit hanc esse, quæ *dabit fructum, aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum*: sed quomodo? *in patientia*, inquit, hæc fœcunditatem cunctis rebus affert. Matth. 13. 8

16. Ad hoc fortè Jeremias respexit dicẽs: *Bonũ est viro cùm portaverit jugũ Domini ab adolescentiã sua.* Bovi non est bonum por- Thren. 3. 27.

Tribulatio semen bonum administrat. tare jugum, quia sentit onus, & laborem, & non fruitur fructu; unde dixit Poëta: *Sic vos non vobis fertis aratra boves:* homini autem est bonum, quia ferendo jugum tribulationis, arat, & laborat pro seipso, & pretiosus erit fructus quem recolliget, nec opus erit pro semine quidquam expendere, aut laborare; ex eadem quippe tribulatione pretiosum, & fœcundum colliget. Scitis quale? Lacrymas, quæ filiæ tribulationis esse solent, de quibus Psaltes; *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua*; ibant plangentes, & seminantes? sed quid? An lacrymas? Quem fructum inde colligent? fructus semini correspondere solet, qui enim seminat frumentum, colliget frumentum, qui hordeum, hordeum: qui ergo lacrymas seminat, illas metet; ita quòd in continuo mœrore, & tristitia erit, quod malum nuntium esset tribulatis. Cur autem dico malum nuntium fore? numquid res bonæ sunt lacrymæ? Qui panem & vinum ex agro suo colligit, quid ampliùs desiderat? *Frumento vino, & oleo stabilivi eum, & tibi vltra quid faciam?* dicebat bonus ille Senex Isaac: sed numquid lacrymæ panis & vinum sunt? *Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte:* ajebat David, ecce panem; *Potum dabis nobis in lacrymis in mensura*; &, *inebriabo te lacrymâ meâ*, ecce vinum. Quis autem suavitatem hujus panis, & vini explicare poterit? post Deũ nihil suavius in hoc mundo: animæ quippe quæ Deum amisit, nihil magis convenit, aut ipsam consolari potest, quàm lacrymæ. Has ajebat David in absentia divina sibi inservire loco Dei; *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?*

Psal. 125. 6.

Lachrymæ panis & vinum sunt.

Genes. 27. 37.

Psal. 41. 2.

Psal. 7. 6.

Isaiæ 16. 9.

Ubi suprà.

17. His se implebat Maria Magdalena, non reperiens Dominum suum, unde cùm Angeli illam interrogarent: *Mulier quid ploras?* illa respondit: *Tulerunt Dominum meum:* sicut ergo nihil melius supplere potest absentiam Domini mei quàm lacrymæ, sic illę merētur non in aliud impendi. Viduæ Naim mortem unici filii plangenti, dixit Salvator: *Noli flere*, non enim huic infirmitati lacrymæ servire debent. De Maria Magdalena è contra dicitur: *Lacrymis cœpit rigare pedes:* sed quid sibi vult non dici, illam incepisse extergere, aut osculari pedes, sed absolutè dicitur: *Capillis suis tergebat & osculabatur pedes eius?* Ad significandum se alia quidem obsequia finivisse, sed à lacrymis numquam cessasse. Dices tamen si à lacrymis colligantur lachrymæ, quomodo ergo David dixit seminatores lachrymarum, in gaudio metisse: *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione,*

Lachrymæ absentiam Dei supplēt.

Ioan. 20. 15.

Lucæ 7. 13.

Lucæ 7. 38.

Ibid.

Psal. 125. 6.

exultatione, portātes manipulos suos. Hi certè nō lachrymas sed gaudium metebant; quin imò dico ego magis quàm umquam lachrymas colligebant; etenim non tantùm præ dolore, verùm etiā præ gaudio lachrymæ funduntur; sic qui lachrymas doloris seminat, lachrymas gaudii metet. Lachrymæ pani & vino assimulantur, pani ut dolorosæ, vino ut jucundæ: sicut enim rationalis usus requirit, ut primò comedamus, postea bibamus; ita primò ex dolore plangendum, postmodum ex lætitia. Harum lachrymarum præ lætitia, teste S. Thoma, figura fuit liber Ezechieli datus, qui lamentationibus plenus erat, in ore tamen eius factus fuit dulcis ut mel: *Comedi illud*, inquit, *& factum est in ore meo, sicut mel dulce.* Dictum illud Apostoli: *Gaudete in Domino semper*, S. Joānes Chrysostomus intelligit de gaudio lachrymarum: *Dixit hoc*, inquit, *eam proculdubio, quæ ex his nascitur lachrymis voluptatem exprimēs: sicut enim mundi gaudium, tristitiæ consortio copulatur, ita etiam secundùm Dominum, lachrymæ jugem pariunt certamq; lætitiam.* Quando ergo alius nō esset fructus, quàm lachrymæ, non parvus esset. Sed quis omnes alios fructus enumerare posset qui ex tribulatione nascuntur? An mirabiles, & ingentes esse dubitas? Hoc aliàs clarè monstrabimus, dum de ijs in particulari agemus: modò tantùm paucis verbis attingemus.

Cur lachrymæ pani, & vino assimulatæ?

S. Thom. Tom. I. in Ezechiel.

Ezech. 3. 3.

Chrysost. homil. 6. in Matth.

18. Quis nescit quanto in pretio arbor vitæ habitus fuit, quàm excellens eius fructus, qui neminem veterasci, nec mori sinebat? Sed quid diceremus si modò fructum vobis exhiberem, qui aliquem ex sene juvenem redderet? Hunc mirabilem effectum tribulatio efficit. In arboribus clarum exstat exemplum, ut illas siquidem hortulanus revirescere faciat, quid agit? vadit ad eas securim acutam gestans, illam elevat, & totis viribus arborem toties percutit, donec multis inflictis vulneribus, omnes ramos amputaverit: sicque denuò germinare, & revirescere curat; sed cur toties illam ferit, præscindit, & pessimè tractat? quia hic est unicus modus ipsam juvandi: ut veteribus ramis dēptis, novos producat teneros & virides, ita ut ad statum juventutis redijsse videatur. Hoc S. Job pulchrè notat dicēs: *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant: si senuerit in terra radix eius: & in pulvere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cùm primùm plantatum fuerat.* Sed homo numquid arbor est? Arbor inversa à Philosophis antiquis dicebatur: sacra quoque Scriptura multis in locis

Quis tribulationis fructus?

Ex Sene juvenē reddit.

Job 14. 7.

hac ſimilitudine utitur; ut quando Chriſtus dicebat: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignē mittetur.* Quomodo ergo hæc arbor humana rejuveneſcet? Securis tribulationis paulatim amputabit ramos, modò appetitum carnalem, aut ſenſualem; modò divitias, modò ſanitatem, modò honorem auferet, non dubitate, quin ita rectè juveneſcet; novos acquiret mores, veteres deſeret abuſus, nec pejores defectus ampliùs admittet. An hoc clariùs, & ſine metaphora percipere cupitis? En S. Job vobis exhibebit, dicit enim; *Conſumpta eſt caro eius à ſupplicijs, revertatur ad dies adoleſcentiæ ſuæ.* Pagninus & Cajetanus legunt; *Tenerior efficiatur caro eius, carne pueri.* Vatablus habet, *luculētior erit caro eius, quàm in juventute.* Tigurinus, *recipiat caro eius vegetabilem vim, etiam majorem quàm in pueritia habuit.* Numquam vidiſtis peccatorem inveteratum in malis, & in peccatis ſuis abominabilem? quis umquam ſperaſſet illum vitam ſuam in melius commutaturum? cæleſtis tamē Agricola ſecuri tribulationis, ramos eius amputare cœpit; perdere divitias, gratiam principis auferre, favores, amicos, & filios; & ecce totus factus eſt juvenis, humilis, manſuetus, benignus, obediens ut infans, ſe in manibus confeſſoris tradit, exequitur quod illi præcipit, addiſcit timere Deum, & quaſi infans ſimplex, & innocens ſe gerit. Fructus admirandus tribulationis.

Matt. 3. 10.

Job 33. 25.

19. Parum dixi, non tantum quandoq; juventutē recipit, ſed veterem vitam in novā digniorem commutat; etenim ſi primò vitam humanam, imò brutalem agebat, modò vitam quaſi Angelicam acquirit. Huic accidit uti tenero ramuſculo, & ſilveſtri, qui arbori bonæ & fœcūdæ inſertus, non tantùm fructum bonum, & domeſticum producit; verùm etiā in aliam ſpeciem quandoque mutatur, prout placuit Agricolæ inſerenti. Pariter tribulatio quid eſt? Inciſio quâ cæleſtis Agricola arborem aptat ut alium ramum inſerat: aufert tibi chariſſimū filium, aut amicum, ô qualis inciſio! ſed fortè id efficit, ut ipſe tibi fiat filius, aut amicus; ô qualis inſertio! Temporales divitias te amittere facit; ô qualis inciſio! ſed hoc efficit, ut cæleſtibus potiaris theſauris; ô qualis inſertio! ſanitatem tibi aufert; ô qualis inciſio: ſed hoc agit, ut ad illum recurras, & cæleſtem vitam conſequaris: ô qualis inſertio! Hoc S. Paulus optimè intellexit dicens: *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. mortificationem*: en inciſionem, ſed *vita Ieſu*, ecce germen; *manifeſtetur in corporibus noſtris:*

Vitam meliorem tribuit.

In bonam arborem nos inſerit.

2. Cor. 4. 10.

ftris: ecce insertionem. Quàm bene hoc S. Paulus in seipso experiebatur; *vivo ego*, inquit, ecce prima arbor, arbori quippe proprium est vivere: prout animalibus sentire, homini discurrere; *jam non ego*, ecce incisionem; *vivit verò in me Christus*: ecce insertionem. Arbor inserta non jam frondibus naturæ proprijs, sed naturæ cui inserta est, ornatur; pariter in S. Paulo cõtigit; odor florum, nõ ipsius erat, sed Christi; *Christi bonus odor sumus*: frondes verborum, non ipsius, aut humani, sed divini; *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Fructus operum non ipsius erãt, sed Christi; *Si venerit ad vos Timotheus, videte vt sine timore sit: opus enim Domini operatur, sicut & ego*. Quasi diceret, si fortè contingat vos videre Timotheum, licèt exteriùs videatur arbor parvi facienda eò quòd superbis, ac mũdanis ramis non abundet; non divitijs, famulatu, aut pompâ externâ fulgeat; non tamen vilipendendus, sed omni honore excipiendus: fructus enim hujus arboris, non naturales, sed supra naturales sunt, fructus insertionis, fructus Domini, prout etiam mei.

Ad Galat. 2.20.

2. Corint. 2.15.

2. Corint. 13.3.

1. Corint. 16.10.

Cur tribulatio hos fructus in omnibus non producat.

20. Sed quid hoc sibi vult, requiret aliquis: cur in nobis idẽ non apparet? Tot sunt afflicti in mundo, & tamen tam pauci sancti, tam pauci in quorũ vita virtutes Christi resplẽdent? Respondeo totum hoc inde provenire, quia caremus patientiâ; recipimus quidem incisionem tribulationis, sed non sumus constantes, nec volumus insertionem divinæ gratiæ expectare, sed subitò ad consolationes mundanas, & ad remedia humana recurrimus: & minùs cogitamus nos disponere ad pretiosam hanc insertionem consequendam. Hoc apertè S. Jacobus Apostolus indicat dicens: *Patientes estote, ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum*: Quasi diceret, nónne est pudor agricolam tantâ patientiâ, & tribulatione expectare, ut fructibus terræ fruatur; & vos nullô modô vultis esse patientes & tribulationes sufferre, ut fructibus cælestis vitæ fruamini? Si terrenis fructibus sine magna patientia, & tribulatione frui non possimus, qui idcircò dicuntur pretiosi ut notat S. Thomas; non quia multum æstimentur, sed quia pretium, sunt laboris, & defatigationis, cùm multo sudore eos acquirere oporteat; & credetis vos frui cælestibus fructibus sine labore, & patientia? Non est possibile, idcircò cogitantes labores nostros esse agricultorum, quibus fructus superabundantes, & pretiosissimi succedent: utamur patientiâ, & tribulatione.

Jacob. 5.7.

Patientia in tribulatione necessaria.

SECVN-

SECUNDA PARS.

Qualis sententia de tribulatione ferenda?

21. Vnusquisque vestrûm, ni fallor, jam mēte suâ concepit sententiam quam in hac lite definienda eloqui deberemus; & firmiter putabit in favorem tribulationis pronuntiandam. Rationes pro illa adductæ efficacissimæ fuerunt; Concionatores enim nil aliud proferre solent, quàm tribulationes esse bonas, & ad patientiam & dilectionē inimicorum excitare; ita enim oportet illos populum commonere. Non tamen omninò indivinastis; licèt enim ego intēderem illud proferre, quod magis proposito nostro congruit, & aptius esset ad finem laborum meorum consequendum, consolari nempè tribulatos; dicerem absque dubio tribulationes non solùm bonas esse; verùm etiam optimas. Quia tamen ut aliàs dixi, magis veritatem, quàm commodum proprium attendere cupio, & hanc materiam potiùs ut philosophus & Judex sustinere, quàm ut orator, & advocatus; diversimodè magis hanc litem dirimere statui, quàm vos arbitramini.

Duplex bonitas naturalis & moralis.

22. Quid ergo dicemus? Distinctione inprimis opus est, quia duæ sūt species bonitatis, & per cōsequens duæ species malitiæ: bonitas naturalis, & moralis. Naturalis entitatē rei sequitur; *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona:* Genes. 1.31. Hinc philosophi bonitatem, proprietatem, & passionem entis vocabant. Moralis bonitas sequitur rationē, & opera iuxta illam directa, & lumini intellectus conformia dicuntur bona; & illa est bonitas de qua David dicebat: *Bonitatem, & disciplinā, & scientiam doce me.* Psal. 118.66 Sed in quo propriè naturalis bonitas consistit? Secundùm meū judicium, (magna est enim contētio inter philosophos) non in alio, quàm in certa convenientia naturali; hinc duobus modis aliquid dicitur bonum, in seipso, & respectu alterius. Unaquæque res in seipso bona est, quia habet esse sibi conveniens; alijs quoque bona est, si illis conveniat; prout fœnum est palatui equi bonum, quia ipsi cōvenit; non est bonū palatui meo, quia mihi non cōvenit. Bonitas moralis quoque consistit in convenientia cum ratione; hinc fiet ut unum opus mihi bonum erit, & alteri malum; uti Missam celebrare est Sacerdoti bonū, sed valde mala actio esset qui non Sacerdos celebrare præsumeret; quia bonitas moralis consistit in convenientia personæ operantis, & circumstantiarum occurrentium.

In quo hæc consistit?

Tribulatio non est naturaliter bona.

23. Si ergo quis me interroget, an tribulatio bona sit, vel mala? Respondeo distinguēdo, bonitate naturali fateor illam

bonam,

bonam non esse, imò malam; ratio autem clara est, quia in privatione consistit, v.g. in cæcitate, paupertate, morte, aut rebus naturæ repugnantibus, & appetitui contrarijs, ut sunt dolores, infamia, persecutio, excessus caloris, & frigoris, & similia, quæ in se bona nō sunt, cùm nullam habeant entitatem; licèt quoque in se bonæ sint, nō sunt tamen respectu nostri cum quo nullam habent proportionem. De bonitate morali quid dicemus? si propriè loqui velimus, nec bona, nec mala est, sed indifferens; nō est bona, quia non est virtus, nec subjectum in quo moratur, infallibiliter bonum reddit; non est mala, quia non est peccatum, nec reddit afflictum necessariò malum; sed est indifferens, quia ad bonum sive malum dirigi potest. Non est bona, quia non semper patienter suffertur; non est mala, quia non semper cum murmuratione suscipitur. Non est bona, quia non omnes afflicti cælum ascendunt, non est mala, quia non omnes vadunt ad infernum. Non est bona, quia non semper pro amore Dei suscipitur; non est mala, quia non semper pro peccatis nostris infligitur: sed indifferens, quia potest esse bona, & mala, potest habere bonam & malā causam, vel potest esse in bono vel malo subjecto, & potest bene vel malè sufferri.

Et moraliter indifferens.

24. Astrologi, dicunt stellas in cælo esse triplices, quasdam benignas, quia semper bonum habent influxum; quasdam malignas, quia malignum tribuunt influxum; alias indifferentes, quæ malignis associatæ, malignum tribuunt influxum: benignis verò benignum. Pariter in cælo humanæ mentis, diversi sunt habitus, & qualitates ad modum stellarum: aliquæ bonæ, & tales sunt virtutes, de quibus dixit Propheta Isaias: *Implebit splendoribus animam tuam:* aliquæ sunt malignæ qualia sunt peccata, similia illi stellæ, de qua in Apocalypsi dicitur: *Et nomen stellæ absynthium:* Aliæ indifferentes, & tales sunt tribulationes. Hoc pulchrè probat Salvator noster in Evangelio dum de tribulatis loquens in die judicii, ait: *In die illa erunt duæ molentes in unum, una assumetur, & altera relinquetur, erūt duo in lecto uno, unus assumetur, & alter relinquetur.* Quasi diceret ex omnibus statibus afflictorū, & felicium, quosdam fore salvos, quosdā damnatos, quosdam in cælum deferri, quosdam verò relinqui pro inferno. Ad molam vertendam deputari, res maximè laboriosa & vilis, præcipuè mulieribus: unde legimus à Philistæis Samsonem illorum inimicum, huic deputatum, ut illi illuderent, & vindictam de ipso consequerentur. De his ad molendum

Sicut diversa sunt stellæ, sic diversi status hominum.

Isaiæ 58.11.

Apoc. 8.11.

Lucæ 17. 35.

positis, dicit Salvator: unus assumetur ad cælum, alius derelinquetur pro inferno. In lecto iacere, est signum vitæ multum delicatæ: unde de Elia dicitur:
Eccli. 48.6 *Deiecisti gloriosos de lecto suo*: vehementi nempè reprehensione, fecisti illos relinquere delitias: & tamen de his iacētibus in lecto, unus ad cælum deferetur, alter pro inferno dimittetur. Indifferens ergo est tribulatio, & ut medium inter duo extrema posita.

Tribulatio magis virtuti, quàm vitio appropinquat.

25. Advertendum verò est medium non semper æquè distare à duobus extremis. Liberalitas est medium inter avaritiam, & prodigalitatem, sed magis distat ab illa, quàm ab hac; parcus quoque medius est, inter avarum, & prodigum, sed minùs ab illo, quàm ab hoc distat. Tribulatio quoque media est inter bonum, & malum, inter virtutem, & vitium; magis tamen virtuti, & bono appropinquat, quàm malo, ita ut possit absolutè dici bona, quia vltra dicta in favorem eius, mirabilem habet virtutem ut homines bonos reddat. Hoc adeò bene
Plinius lib. 7. epist. in epistola quadā Plinius junior descripsit, ut non videatur relinquendum: *Nuper me*, scribit ad Maximum: *cujusdam amici languor admonuit, optimos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut avaritia, aut libido solicitat, non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcumq; sit relicturus, satis habet. Tunc Deos esse, tunc hominem esse se meminit, invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, & si contingat evadere, innoxiam, beatamq; destinat vitam. Possum ego quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus philosophi docere conantur, ipse breviter tibi, mihiq; præcipere, ut tales esse sani perseveremus, quales nos futuros profitemur infirmi*: hucusque Plinius: quæ sicut ipse de infirmitate prudenter, & verissimè dixit, sic de omni tribulatione dici posset.

Ex occasione, & circumstantijs bona redditur.

26. Ex circumstantijs insuper potest tribulatio bonitatem vel malitiā acquirere; maximè ex occasione, & subjecto. Si enim tribulatio pro amore Dei tibi obveniat, si illam patiaris quia bene egisti, propter justitiam, & virtutem; ô quàm bona hæc tribulatio, ô te beatum qui talia pateris, non recordaris dixisse Christum; *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam?* Matt. 5. 10.
si verò illam patiaris propter malefacta, quia Deum offendisti, propter castigationem peccatorum, mala est, nec desideranda; ideo David dicebat: *Iudica me Deus, discerne causam meā, de gente nō sancta.* Psal. 42. 1.
Non dicit, discerne, & separa malam sortem, & fortunam, sed causam meam; quasi diceret, non recuso pati, sed non vellem pro eadem causa pati, pro qua patiuntur iniqui;

qui; quia ut rectè inquit S. Augustinus; *Martyrem facit, non pœna, sed causa*: & alibi, *non persecutionem pati, non occidi, sed habendo causam bonam, ita pati, bonum est.* Bona quoque aut mala tribulatio esse potest, prout accipitur: si enim cum patientia recipis, bona erit, licet occasio, aut radix mala fuerit, si autem impatienter, & illibenter eam sufferas, mala fiet. Paupertas pro amore Dei tolerata, optima erit, & te possessorem regni cælestis constituet: quia, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, si autem impatienter murmurando, medijs illicitis bona procurando, paupertatem contemnas & divitias accumules, pessima erit, & te ad infernum conducet: quia, *Nequissima paupertas in ore impii.* Triplex ergo reperitur tribulatio: una omni ex parte bona, ex subjecto videlicet, & causa: alia omninò mala ex recipiente scilicet, & causa: & tertia, partim bona, partim mala: bona propter subjectum, mala propter causam. Hæ tribulationes in crucibus montis Calvariæ optimè figuratę sunt: vis totaliter bonam S. accipe Crucem Salvatoris nostri, bona propter causam, & propter subjectum, moritur quippe ex amore, & obedientia æterni Patris. Quæris omninò malam? Accipe Crucem mali latronis, qui propter malefacta moritnr, impœnitens, & desperatè. Vis tertiã, malam propter occasionem, & bonam propter recipientem? Accipe illam boni Latronis: mala propter causam, quia moritur pro peccatis suis: sed bona, quia illam patienter sustinet. Nostrum ergo est tribulationem bonam, aut malam reddere, de bonitate morali loquendo, quæ plus refert.

S. Aug. super psal. 68

Matt. 5.9.

Eccli. 13. 30.

Triplex reperitur tribulatio.

27. Quid insuper adversarii objiciebant, totum mundum tribulationem malam vocare? Respondere possem de naturali malitia intelligẽdum, non verò de morali, de qua nos loquimur: concedamus quoque de hac illos loqui, non videtis indignum esse, mundi potiùs opinionem sequi, quàm Christi? S. Bernardus id disertis verbis testatur: *Aut iste fallitur*, inquit, *aut mundus errat, sed divinam falli impossibile est sapientiam: meritò proinde, & carnis providentia mors siquidem, & ipsa est inimica Deo, & sæculi quoque providentia stultitia nominatur.* & paulò infrà: *ipse est promissus olim per Isaiam, parvulus sciens reprobare malum, & eligere bonum. Malum ergo voluptas corporis, bonum verò afflictio est, & hanc eligit, & illam reprobat puer sapiẽs, verbum infans.* Verum fortassis non erit, ipsum eligisse afflictionem, & passionem, quandoquidem non contentus pauperem elegisse matrem: nequidem voluit recipere cõmoditates illas, quas

Christus tribulationes bonas declaravit.

S. Bernard. serm. 3. in nativit. Dom.

Christus à principio vitæ multas pertulit injurias.

quas ipsa in domo propria exhibere potuisset; sed elegit nasci in patria extranea, ubi alias cunas quàm præsepe animaliũ non reperiebat? Adjungamus multas alias incommoditates, temporis, frigoris, carentiam comitum, & cæteras quas imaginari possumus. Posteà quoque ab Herode persecutus, non perrexit in regionem Magorum ubi optimè fuisset receptus, sed in Ægyptũ, ubi omnes extranei, & præcipuè Hebræi malè excepti erant. Hîc tamen de tormentis Christi agere, esset se ingenti pelago exponere, cui nostra imbecillitas non sufficeret. Sufficiat nobis illum mundi judicium reprobasse, & infallibili suâ auctoritate tribulationem canonizasse, nec bonam solùm, sed sanctam tribulationem declarasse.

Videtur Christus tribulationes respuisse.

28. Dices fortassis, si infans se tribulationis amantem monstraverit, senior effectus, illam abhorruisse videtur; quando siquidem crucifigendus calix vini amari, symbolum tribulationis illi oblatus esset, dicit Evangelista; *Cùm gustasset noluit bibere.* Quando etiam nascebatur, tribulatio illa ex necessitate potiùs, quàm voluntate fuit: cùm S. Lucas dicat eum in præsepio positum; *quia non erat ei locus in diversorio.* Si commodiorem igitur locum invenisset, præsepe non elegisset. Respondeo licèt hoc verum esset, mirabiliter tamen ostendit, quàm ardenter Christus tribulationem amaret. Quantum ergo ad potionem amaram, relinquendo multorum opiniones dicentium illum non omnia sumpsisse, ut partem nobis relinqueret, nec fraudaret tam pretioso vino. Dico duas proprietates habuisse vinum, unam palatum amaritudine inficiendi, aliam confortandi cor, & fortitudinem tribuendi, ut crucifixus meliùs tormenta sufferre posset. Christus ergo qui semper consolationes abhorrebat, & tribulationem amplectebatur, vinum amarum in ore recipiebat, sed noluit ad stomachum trãsmittere, ut amaritudinem ore gustaret, consolationẽ autem cordis non perciperet; *sicq; cum gustasset noluit bibere:* quasi diceret, amaritudinem recipiens, consolationem noluit. Contrarium Apibus effecit, quæ dulcedinem ex floribus haurientes, amaritudinem relinquunt; ipse autem elegit amarum, & dulce reliquit.

Matth. 27. 34.

Lucæ 2. 7.

Cur vinum felle mixtum non sumpserit.

Ubi suprà.

Ingens Christi humilitas.

29. Ad aliam propositionem, illum in præsepio positũ fuisse; *Quia non erat ei locus in diversorio.* Respondeo, in hoc se tribulationis amantem ostendisse, quia non solùm fugit commoditatem, verùm etiam honorem. Quando nos iejunamus, aut miserè vestimur, nolumus credi, hoc

di,hoc neceſſitate fieri,alioquin nobis dedecus reputaretur; ſed hoc nos facere voluntate propriâ, propter amorem virtutis, in quo humilitatis amatores nos parum exhibemus, hæc ſiquidem omnes virtutes quantum poteſt cooperit. Non ita ergo Salvator egit, ſed cùm Evangeliſtis inſpirare potuiſſet, ut ſcriberent ſe propter paupertatis amorem, aut alia myſteria elegiſſe in hoc miſerrimo loco naſci; voluit omnia relinquere, & aſcribere neceſſitati, quod per virtutem elegiſſet: ut magis honorem effugeret, & ſe tribulationis & humilitatis amantiſſimum exhiberet. Licèt quoque hoc ſufficeret, ut omnem contrariam ſuſpicionem à mundo tolleret, ille tamen adeò rudis, & ignorans eſt, ut nihil ſcire velit.

Mundus omninò ſtupidus. 30. Qui prima elementa, & Alphabeti litteras ignorat, quid ſcire poterit? mundus adeò ſtupidus, & ignorans ut prima elementa & Alphabetum neſciat. Sic teſtatur Apoſtolus Paulus
Ad Coloſſ. 2,8. dicens: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi.* Quæ autē ſunt elementa mundi de quibus S. Paulus loquitur? An illa quatuor omnibus cognita, terra, aqua, aër, ignis? Minimè de his quippe datur vera ſciētia, & hæc ignorare parum refert: circa mixta verò homo faciliùs decipitur. Non ergo de naturalibus elementis ſermo erat; ſed de elementis ſcientiæ, quæ ſunt prima illorum principia, & primæ Alphabeti litteræ. In his ait S. Paulus, mundum decipi. Si ergo ita ſit, quomodo nomina rebus imponere poterit? Philoſophi dicunt proprium eſſe ſapiētum, imponere nomina, iuxta eſſentiam rerum, ſtolidi autem, ea caſu imponunt, & quandoque cōtraria: ut notat Iſaias, qui de mundanis loquens ait: *Bonum malum & malum bonum vocat.*
Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum: Iſaiæ 5.20. ita ut dum mundus tribulationem malam vocat, argumentari poſſimus, illam bonam eſſe, quia teſte Iſaia talem abuſum habet, ut vocet bonum malum, & malum bonum. Quid verò dicemus, ſacram Scripturam quandoque ita appellare? Reſpondeo de mundanis loquens, modo illorum ſe accomodat, ut intelligatur idque ſine mendacio efficit, reſpiciēdo malum naturæ, quod ſecum adfert.

31. Quid dicitis, tribulationem malam eſſe, quia ab omnibus vitatur? Quin imò dico ego à Sapientibus quæritur, ut à mundanis theſauri conquiruntur, qui cor illorum ſunt dicente Domino: *Vbi eſt theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum erit.* Matt. 6.21. Cor verò Sapientum ubi reperitur? in tribulatione inquit Sapiens: *Cor*

Eccles.7.5. *Sapientum ubi tristitia*; ergo pro thesauro illam retinent. David quoque ait: *Tribulationem, & dolorem inveni*; quasi multo tempore quæsisset. S. Jacobus quoque omnes ad lætitiam exhortabatur, quando tribulationem invenerant: *Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideretis.* Quomodo ergo Salvator ait, nos fugere debere, dum affligimur? Respondeo illum nolle, ut tribulationem fugiamus, sed persecutionem, ne demus persecutoribus occasionẽ Deum offendendi, & ne demonstremus, nos nimiùm in nobis ipsis confidere debere: vel ut meliùs dicamus ne propter tribulationẽ nostram, & lucrationẽ coronæ Martyrii, relinquamus adjuvare proximũ, aut prędicare multis verbũ Dei. Magis denique proposito meo inservit, Salvatorem his verbis nos docere voluisse, tribulationes non esse fugiendas sed quærendas: quasi diceret, cùm in una civitate satis te afflixerint, fugite in aliam ubi novos persecutores reperiens, occasionem patiendi denuò habebis. In his, mercatoribus similes esse oportet, qui postquam in una civitate plurimas merces vẽdiderint, ad aliam tendũt, alios emptores reperturi. Ita hoc intellexisse videtur Tertullianus in libro *de fuga persecutionis*, ubi sic scribit: *Non quasi tacitè in aliquam civitatum fugiendum erat, sed quasi ubiq; annuntiaveris, & ex hoc ubiq; persecutionem subiturus.* Si denique mundani ipsam fugiunt, est, quia in illa considerant malum quod bonitati naturali contrarium, & non respiciunt bonitatem moralem quam habet.

Psal.114.3.

Jacob.1.2.

Quomodo Christus fugiendum docet?

Tertull. in libro de fuga persecut.

32. Quid dicitis, tribulationem intimã habere amicitiam cum peccato, & peccatore? sed non meministis eandem accusationem Salvatori objici, qui est bonitas ipsa? Quod ergo pro seipso respondit, pro tribulatione nos adferre possumus. Dixit ergo se cũ peccatoribus conversari, quia illi ut infirmi, ipso indigebant, qui verus medicus eorum erat. Pariter nos dicimus tribulationem instar medicinæ naturaliter sequi infirmitatem peccati. Nec inde colligere licet, illi assimulari, sed magnã habere proportionem; sicut materia & forma uniũtur, non quia similes sunt, sed quia inter se magnam habent proportionem. Quin imò non videtis malos inter se semper contendere? nec simul commorari posse? Duo superbi simul non conveniunt, quia unusquisque illorum vult præcellentiam; nec duo sensuales accordant; duo iracundi si simul maneant, sibi invicem caput frãgent. Sed boni & mali, optimè conveniunt; superbus vult primum locum, & humilis vltimum, non erit periculum

Tribulatio medicina peccatorum.

Tribulatio peccato rectè convenit.

culum contentionis; avarus sitit aurum, pauper spiritu illud contemnit, nulla erit inter illos contentio: sensualis delectationem, & voluptates quærit, mortificatus illas contemnit, & fugit, nullum erit periculum contentionis. Cùm ergo dicebatis tribulationem & peccatum bene convenire; signum est, non ambo esse mala, sed quantò pejus est peccatum, tantò melior est tribulatio.

Tribulatio castigatio salutaris.

33. Quid dicitis, tribulationes castigationes esse? verum est, sed notandum duplicem esse castigationem, unam salutarem, pœnalem alteram; ordinariam, & judicialem; illa à Patre infligitur, hæc verò à judice; illa pro fine habet, bonum, & salutem castigati, ideoque salutaris vocatur; hæc autem nō bonum castigati, sed bonum reipublicæ pro fine habet cui expedit, malos puniri, ut refrænentur, aut ex mundo tollantur ad exēplum aliorum. Inter has castigationes pulcherrima est differentia, non tantùm quia salutares sunt mitiores, sed quia dantur quoque sine forma judicii. Ut mali castigentur, formantur processus, examinātur testes, interrogatur reus, ut factum clarè pateat; pro castigatione salutari, non tantæ requiruntur præparationes, nec tanti actus judiciales; sed Prælatus vel Pater de sui subditi aut filii inobservātia, aut malis moribus, privatim instructus; iuxta beneplacitum, salutarem quandam injungit pœnitētiam. Tribulationem ergo qualem dicetis castigationem esse? considerate modum quô Deus illam mittit; examinátne testes? citátne reū? formátne processus? Quando minimè cogitas, infirmitatem mittit, filium tibi adimit; quid sibi vult? pœnitentia salutaris non quærit tot informationes, & processus; quando verò agitur de mittendo aliquo in infernum, quia hæc est castigatio pœnalis, vides illum observare omnia puncta justitiæ, omnes citabuntur ad tribunal supremi judicis, in fine mundi, legentur processus, quia *libri aperti sunt:* omnes creaturæ & propria conscientia testes erunt, quare tot cæremoniæ? quia de castigatione pœnali, non autem salutari agitur. Apoc. 20. 12.

34. Castigatio ergo salutaris est tribulatio, consequenter castigatio paterna, castigatio in tuum bonum ordinata, in tuam salutem directa; bona denique, quia non potest esse bonū, quod non est salutare, licèt sensui displiceat, sicut medicina amara; unde non sequitur illam ad malum provocare, sicut medicina, non est causa quod fiat malum; quin imò quia amara est nos à malo retrahit, ut non cogamur amaritudinem eius percipere. Rationabiliter ergo gratias Deo agimus,

Castigatio medicina, & correctio paterna.

agimus, quādo nos liberat; cùm enim sit expertissimus medicus, præsupponitur ipsum cognoscere sufficientem adhibere medicinam ut à malis nostris curemur. Firma igitur, & stabilita manet nostra conclusio, tribulationem potiùs bonam, quàm malam dicendam; & in nostra manu esse illam bonam reddere. Illæ autem tribulationes optimæ sunt, quæ ex bona radice prodeunt; quæ videlicet occasione virtutis, & amoris Dei veniunt.

Innocenti afflicto, valde gaudendum.

35. Ex supradictis brevia quædam & salutaria documēta colligere possumus. Primum est nobis vehementer gaudendum quando innocenter patimur, multò magis dum bonum operati sumus; tunc siquidem in Cruce cum Salvatore nostro pendemus. Insignem hanc doctrinam vulgus non intelligit, nec est quod patientiam ipsius magis exagitat, quàm esse innocentem. Si malum hoc fecissem, inquit ille, qui se innocentem putat, non displiceret castigatio, aut mors, sed pati sine culpa, condemnari sine causa, ut malefactor, nullo modo sufferri potest. Hanc cogitationē uxor Socratis habuit, cùm videret maritum suum ad mortem duci, & maximè se dolere monstrabat dicens: *Morieris innocens?* ad quam maritus eius conversus nescio an hilari vultu, saltem non mœsto dixit; *Numquid velles nocens?* velles me mala cōmisisse, & culpabilem mori? Ab hominibus torqueri, & à mala conscientia? Nimis magnum malum velles inferre, cumque jam unô solô malô affligor, cuperes me duo habere: hoc autē quod mihi infligi cupis, pejus esset, quàm quô modò affligor. Uxori Socratis similis iuxta expositionem multorū fuit uxor Job, quæ illum adeò afflictum cernens ait: *Benedic Deo, & morere.* Cùm videlicet tanta patiaris resolve ut mortem oppetas, & maledic Deo, ne innocens moriaris: cui optimè Job respondit: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es*: vis ut aliquid agam quo mortem merear, vis ut offendam Deum meum? volo potiùs mille mortes; quia maxima est consolatio innocens mori.

Non intelligunt hoc mundani.

Job 2.10.

Ibid.

Patientiâ tribulatio mala, bona redditur.

36. Si verò tribulatio nobis promerita fuerit, quid agēdum? pro hoc secundum documentum rectè inservit; & docet patientiam habendam, ut ex mala, ratione occasionis, per modum nostrum recipiendi, in bonam commutemus. Si ferrum aut æs, in argentum vel aurum trāsmutari posset, ut Chymistæ prætendunt; quis non hanc artem libenter addisceret? Qui verò sciret nónne libenter reciperet æs, vel ferrum, sciens illud in aurum vel argentum mutandum? Insignem hanc

artem,

artem; patientiam esse dicite, quæ tribulationes, ex natura sua ferro, vel æri similes; in aurum purissimum, vel argentum commutari curat. Hoc est quod communiter dicitur, facere ex necessitate virtutem; necessitas, est ferrum durum, virtus aurum optimum, in quod mutatur. Audi Sapientem id ipsum asserentem; *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe:* Quare? *Quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Hîc verò quispiã objicere posset, & dicere; hæc ratio rectè concluderet, si aurum vel argentum forem, id est, pius, aut sanctus essem; si autẽ ut ferrum sum, aut lignum aridum, omni virtute, & bonitate privatus, quid de me erit? in fornace comburar? Respondeo etiamsi esses palea, aut stipula; si tamen in fornace tribulationis patientiam habebis, devenies aurum vel argentum; quod etiam plus est quàm dicebam, quia loco tribulationis, ipsemet efficieris aurum vel argentum.

Eccli. 2. 4.

In fornace tribulationis stipula aurum redditur.

37. Hoc clarè apparet in Propheta illo ad Regem Achab misso, cui prohibitum erat, ne in Samaria comederet, aut biberet; qui præceptum divinum transgrediens, in via à Leone suffocatus, mortuus fuit; cujus tamen cadaver attingere non audebat. Sed quid sibi hoc vult? vel peccator fuit, vel Sanctus; si Sanctus quomodo Leo illum occidere ausus fuit? si peccator quomodo non dilaceravit cadaver? Respondeo vivus fuit peccator, mortuus, sanctus evasit: recipiendo quippe hanc castigationem patienter, pro peccatis suis, ei peccata condonata fuerunt, sicque sanctus evasit. Dum hic Propheta igitur in fornace tribulationis positus fuit, palea, & stipula erat; in hoc autem patienter ardendo, aurum evasit; ideoque Leo qui illi ut homini non pepercerat, ut sanctum postmodum honoravit, & custodivit. Addiscamus ergo nos in omni tribulatione patientiam exercere; atque ita ut aurum pretiosum à Deo colligemur ad cælestes thesauros; Quod sua divina Majestas nobis concedere dignetur. Amen.

Exemplo Propheta, confirmatur.

DISCVRSVS VNDECIMVS,

Quis ſtatus magis optandus, proſperitatis, adverſitatis, vel ſtatus medius; & quot occaſiones lætandi habeant afflicti?

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Non in copioſo exercitu confidendum. num. 1.

An proſperitas melior ſit adverſitate, inquiritur. num. 2.3.4.5.6.7.

Tribulationem proſperitate meliorem eſſe, probat à num. 8. *vſque ad* 22.

Statum medium optimum eſſe probatur. num. 23.24.25.

Argumenta proſperitatis refelluntur, & tribulatio bona probatur, à num. 26. *vſque ad* 32.

Proſperis timendum, & afflictis in Domino lætandum. à nu. 33. *vſque ad finem.*

3. Reg. 20. 11. *Quàm incerti eventus belli?*

1. REx Syrię Benadab, in copioſo exercitu ſuo cõfiſus, iactabat, & minabatur, ſe ſpolia Iſrael ante cõflictionem collecturum; cui meritò Rex Iſrael; *Ne glorietur accinctus æquè, ut diſcinctus*, non glorietur videlicèt miles, qui gladium ad pugnandum in latere portat, quaſi jam inimicum ſuperaſſet, & gladiô ſepoſitô ſecurâ pace frueretur. Tanti ſiquidem ſunt eventus belli, tam extraordinarii ſucceſſus, & non præmeditati caſus; ut nullus ſit præpotens exercitus, aut viribus ſuperior, qui ſibi victoriam ſecurè promittere poſſit: Sed ſemper metuendum, cùm pluſquam ſemel viſum fuerit, devictos mãſiſſe, qui victoriam pugno concludere videbantur; qui verò ſe captivandos, aut occidendos arbitrabantur, nobiliſſimum victoriæ triumphum conſecutos fuiſſe. Quis umquam crediſiſſet Gigantem Goliath à juvene Davide vincẽdum, & occidendum fore. Quòd armatus ab inermi; veteranus, ab inexperto; Dux exercitus, à Paſtore ovium; qui terrorem omnibus incutiebat, ab eo qui etiam à proprio fratre, & ab omnibus vilipendebatur, proſterneretur? Quis umquam arbitratus fuiſſet, innumerabiles Madianitarum copias à paucis Gedeonis militibus ſine gladio aut lancea deleri *Inimicus numquam contemnendus.*

deleri debuisse? Quis suspicatus fuisset, potentissimum Holofernis exercitum à sola muliere in confusionem & ruinam adducendum? Nec sola Scriptura sacra; verùm etiam historiæ prophanæ similibus exemplis scatent. Darius ingenti numero militum confisus, & parvum Alexandri exercitum despiciens, noluit illi (ut faciliter potuisset) introitum in regnum Persarum prohibere: postea tamen sæpiùs cum illo arma conferens, devictus cessit. Pariter multis sæpè accidit, qui de victoria se adeò securos putabãt, ut funes secùm deferrent, quibus devicti ligandi essent: fortunâ tamen contrariâ succedente, ijsdem illi vincti fuerũt. Alii quoque pro pace iniqua ineunda, inimicis cuncta offerebant; illis verò renuentibus, desperatione audaciores redditi, ab uno extremo ad aliud, nobilissimâ obtentâ victoriâ subitò transierunt?

Nullus triumphus ante victoriam canendus.

2. Nimis ergo incerti, nimis varii sunt bellorum exitus; nec inimicus quantumvis vilis despiciendus; nec vlli quantumvis forti, & viribus, aut militibus pollenti Triumphus ante victoriam canendus. Licèt ergo hic duos egregios bellatores in arenam adducam, qui impares nimium in valore, fortitudine & armis videbuntur; Nolite tamen, Auditores, subitò victoriam alicui adscribere, sed relinquite priùs simul contendere, & furorem in se mutuò effundere; in fine quippe contentionis, absque errore, declarare poteritis, quis illorum mereatur palmam & triumphum. Sed ubi sunt hi bellatores? Ecce vobis ambos adduco; prosperitatem nimirùm, & adversitatem, seu tribulationem. Illa pomposa, elata, superba, fortis, & optimè armata, cymbalis & musicâ comitata, & ab omnibus honorata; altera verò lacera veste, macilenta facie, infirma salute, armis spoliata, lamentis, & ejulationibus sociata, ab omnibus despecta, & contempta. Cum prosperitate tamen audacter confligere, nec locum illi cedere cupit: sed se illâ nobiliorem, amabiliorem, & meliorem esse prætendit. Rationes ergo utriusque excipere oportet: prosperitas autem, quia primum locũ apud omnes possidet, rationes suas primò proferre poterit; postmodũ verò tribulatio suas adferet: quibus perceptis, justam contentionis sententiam enuntiare valebimus.

Adversitas cum prosperitate contendere audet.

3. Primò ergo prosperitatis advocatus comparens, ita est exorsus; non opus est, Auditores, multis verbis causam meam probare, cùm adeò clarè pateat, ut eam potiùs meo dicendi modo offuscare, quàm splendidiorem reddere valeam. Nónne si-

Prosperitas ab omnibus desideratur, & laudatur.

quidem Peripateticorum princeps (quem omnes Philosophi & Theologi ea in parte sequuntur) asserit; *Bonum esse quod omnes appetunt?* Quid verò in mundo felicitate, divitijs, favoribus, & dignitatibus desiderabilius? Hęc autem omnia cum multis alijs bonis, ad aulam prosperitatis pertinent. Quid è contrà magis abhorrendum, fugiendum, & contemnendum, quàm adversitas & tribulatio? Non aliam quippe ob causam adversitas vocatur, nisi quia omnibus contraria, & unusquisque quantum potest ab ea faciem avertit, & fugit? nimis ergo verum est prosperitatem summum bonũ esse, & adversitatem summum malum. Si hominibus credere nolimus, voci naturæ nostræ, quæ numquam fallitur, fidem negare non possumus. Hæc in animalibus irrationabilibus clarè patet, quæ solo naturæ ductu, quantò meliùs possunt, quærũt prosperè, & feliciter vivere; sequuntur bona tribuentes, fugiũt autem mala infligentes. Libenter placidos arripiunt cibos, amaros rejiciunt. Imò morbis gravati, medicinam sibi congruam acquirere norunt, ut sanitatem recuperent; quæ non minima prosperitatis pars est. Naturæ ergo sententiâ, bona est prosperitas; & mala ac fugienda adversitas: quis etiã ab hac sententia appellare poterit? Nullus videtur inveniendus Judex justior, minùs corruptibilis, aut magis supremus; cùm vox naturæ, Dei vox sit, qui est auctor naturæ.

Prosperitas omnium sententia bona.

4. Quando tamen appellare vellet, ad quem posset recurrere, nisi ad Deum ipsum? Et hoc rectè desiderarẽ, ipse siquidem præ omnibus alijs mihi favebit. An nescitis Deum in se felicissimum, & beatissimum esse, cunctaque illi prosperè succedere, ac longissimè adversitatem, aut tribulationem ab eo fugere? Nec eminenter solùm felicitas in Deo reperitur, ut omnes perfectiones creaturarum; verùm etiam formaliter; omni siquidem proprietate beatissimus & felicissimus est. Prosperitas ergo perfectio talis, quâ non reperitur major; illa est de qua Theologi dicunt; *Melior est ipsa, quàm non ipsa:* quidpiam denique divini participat. Hinc Deus vult servos suos semper hilares esse, nec illi placent obsequia, nisi in hilaritate exhibita. Ita testatur S. Paulus dicens: *Vnusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus;* Rex quoque David, licèt esset tempore legis veteris, quæ erat lex servitutis, & timoris, dicebat tamen; *Iubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia.* Deus insuper servis suis lætitiam & prosperitatem promittit

In Deo prosperitas.

2. ad Corint. 9.7.

Psal. 97.4.

mittit in hac vita, & magis in altera vita; ex qua omnes tribulationes, & adversitates, exulare cupit; ita attestante dilecto discipulo: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà.* Sed Deus numquid omnia bona simul congregavit in cælis? numquid beatitudo à Boëtio definita fuit; *Status bonorum omnium aggregatione perfectus?* Si ab hac ergo societate tribulatio repulsa fuit, quomodo audet se vocare bonam? Quomodo præsumit mecum de bonitate contendere, quæ in cælis propriam mansionem habeo?

Apoc. 21. 4

Tres bonorum species.

5. Ut autem tribulationem è regno bonitatis penitùs expellamus, strictiùs hoc negotium discutiamus: tres species bonorum reperiuntur, bonum honestum, utile, & delectabile; in quo ex his tribulatio prosperitatem antecellere prætendet? in delectabili? Certè non, hoc enim capitalis eius inimicus, & dilectissimus filius prosperitatis, ideoque hoc relinquendo, videamus quid in alijs prætendat. In honesto fortè se partem aliquam habere præsumet? sed quàm miserè decipitur? Quis enim nescit honestiorem, nobiliorem, & honoratiorem esse finem quàm media? imò illa omnem honestatem, & bonum ab illo recipiunt. Quis verò est vltimus finis hominis, nisi felicitas; hæc autem quid aliud est, nisi prosperitas in summo gradu? nulla ergo res ipsâ honestior, nobilior, aut honoratior. An tribulatio utilior esse prætendet? Sed ad quem finem? ad felicitatem, cui illa contraria? si verò non erit ad felicitatem, quomodo potest dici utilis, non conducens ad verum nostrum finem? An ad virtutem dices? Ad hanc quoque utilissima est prosperitas, & contraria adversitas.

In nulla tribulatio reperitur.

Orationem prosperitas non tribulatio adjuvat.

6. Clarum est sine oratione nullam nos virtutem possidere posse, ipsa quippe omnia impetrat, & custodit: sed adversitas occludit os oranti, linguam præscindit, & cor occupat; ita ut non possit orare, vel si orat, nil boni efficit. S. Jacobus in infirmitate quid agendum sit edocet nos dicens: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum.* Non dicit infirmum orare debere, sed Sacerdotes super eum orare debere; sciebat quippe quàm difficile esset infirmum orare. Licèt quoque afflictus vim sibi inferat, ut oret aut sacrificet, magni quid erit si bene faciat. Cùm Aaron duos filios perdidisset, paulò pòst accidit illi sacrificium offerre, sed non observabat debitas cæremonias; unde à Moyse reprehensus, re-

Jacobi 5. 14.

Levit. 10. 19. spondit; *Quomodo potui placere Deo in cæremonijs, mente lugubri?* Quæ excusatio Moysi rationabilis videbatur, unde dicit sacer textus; *Recepit Moyses satisfactionem.* Animo denique mœsto, nil boni fieri potest. Idcircò Sapiens suadebat dicens: *Tristitiam longè repelle à te:* non solummodò impedias ne tecum moretur, sed longè à te repelle. Hoc bene intelligit Satanas, qui nulla potentiora arma possidet, quàm adversitatem; quando enim voluit tentare S. Job, illumque ad blasphemandum inducere, non scivit meliora invenire media, quã illum omni dolore & tribulatione affligere.

Eccli. 30. 24.

Prosperitas bonorum occasio.

7. E contrà quis dicere poterit, auxilia, commoditates, stimulos, quos ad bene faciendum proximis, & cælum acquirendum, secum adfert prosperitas? Quis est adeò abominabilis, & impius; qui thesaurum reperiens, sanitatem recuperans, aut magnam denariorum summam lucratus, ad blasphemandum se potiùs quàm ad laudandum Deum, aut gratias agẽdum disponet? *Confitebitur tibi cùm beneficeris ei*, dixit Psaltes, de impio quodam; ita ut habere bona, etiam impios cogit ad benedicendum Deo. Quid de commoditate benefaciendi proximo, quam tribuit, referam? Afflictus invidet meliori sibi, impatiens est, promptus ad murmurandum, ad malefaciendum, & cogitandum, & si à malo abstinet, est quia non potest. Cui verò fortuna favet, lætatur alios hilares videns, compatitur miseris, consolatur afflictos, & eleëmosynas tribuens, facillimè acquirit regnum cælorum. Ab hac commoditate cùm afflicti quasi privati sint, dici potest illis deesse optimum medium, in cælum ascendendi: quãdoquidem in die judicii de his fiet rigorosum examen. Hoc medium succurrendi proximo adeò potens est, ut neminem ad infernum descendere permittat; nam teste S. Augustino misericordia in proximos se medium cõstituet, & non permittet illum transire. *Habemus*, inquit, *abundantiam, quæ flammas nostras oblatione unius panis extinguat; & ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti, & quicumque misertus fuerit, miserebitur ei.* Intelligis hæc, nisi tua obstinatio misericordiam divinam repellat, damnari non poteris: quæ ergo majora bona, à prosperitate, & divitijs desiderari possent? His dictis tacuit prosperitas.

Psal. 48. 19.

Proximo compatitur, & succurrit.

S. August. homil. 39.

8. Adversitas his auditis sermonem sic exorsa: ingentia certè bona hæc apparent, Auditores; sunt tamen majora mala quæ prosperitas possidet, his enim unumquemque capit, & decipit; adversitas autem si quidpiam mali

Prosperitatis bona, fallacia sunt.

mali habet, apertè demonstrat, aperto vultu insurgit; unde facilè te ab illa defendere potes, prosperitas autem blandā amici faciem exhibens, facta inimici intentat; sub delicatis cibis, & voluptatibus venena abscondita tegit: gladium quô te feriat, sub chlamyde bonitatis defert, hamum quô te capiat, sub delitijs & divitijs abscondit. Sic præclarè testatur Boëtius; *Semper species felicitatis, blandè mentitur; adversa autem semper vera est, illa fallit, hæc instituit.* Inter multos Græcorum duces, qui ad bellum Trojanum perrexerũt, duo præcipui extiterunt, Ajax, & Vlysses; ille viribus corporis insignis, hic verò astutiā, & sagacitate ingenii præditus. Iste armis potens, hic dicendi modo celebris; ille cõtra corpora fortitudinẽ exercebat, hic eloquẽtiâ animos emolliebat: ille terrebat, & occidebat inimicos, hic autem illis insidias tẽdebat, decipiebat, & vanam illorum spem reddebat. Obsidione finitâ, & Trojâ destructâ; à Græcis disputatum est, quis inter hos remedium potentius ad victoriam obtinendam contulerat, & majora inimicis damna intulerat; votis omnium Vlysses prælatus fuit, ipsique palma & corona tributa. Non aliter mihi videtur in exercitu infernalium tentationum, ut Ajacem adversitatem esse, prosperitatem verò ut Vlyssem ambo invictissimi duces; sed qui armis, & modis diversis contendunt, adversitas ut inimicus apertus, prosperitas verò ut amicus fictus, & insidiosus: illa se timere faciens, hæc se amare; illa apertô Marte, hæc insidijs occultis; illa ut impatientes, & desperatos reddat; hæc ut superbos, & sensuales efficiat: si ergo à maturo judicio Doctorum Græcorum discedere nolumus, confiteri oportet, multò majora esse mala quæ à prosperitate recipimus, quàm quæ ab adversitate.

Boëtius lib. de consolat.

Ajax, & Vlysses insignes duces.

Vt Ajax adversitas ut Vlysses prosperitas.

9. Si verò Concilio veterum Græcorum utpotè Gentilium, non assentitis; plures SS. Patrum auctoritates adducam, qui omnes ejusdem sunt opinionis. S. Ambrosius inquit; *Plurimos supplantaverunt secundæ res, quos supplicia acerba non fregerunt.* Hinc factum est, inquit, quòd Deus non contentus, se probasse constantiam Josephi in adversitate, ut meliùs illa fuisset cognita, ad fortiorem adversarium, prosperitatem nempè adducere voluit; *Quia, inquit, contumeliæ virũ frangere non potuerunt, mutata est tentatio longè asperior, specie prosperorum.* S. Gregorius Nazianzenus huic opinioni quoque subscribit, dicit enim: *Profectò facilius esse videtur adversam fortunam ferre, quàm secundam conservare.* Experientia quoque idem probat; *Nos, qui cum bello premeremur ex*

Plura mala prosperitas quàm adversitas infert.

S. Ambros. serm. 12. in psal. 118.

S. Greg. Nazianz. orat. 14. quæ est tertia de pace.

ex persecutionibus robur comparavimus, postquàm collecti sumus, defluximus. S. Hieronymus quoque exemplo totius Ecclesiæ idem confirmãs, inquit; *Persecutionibus crevit, martyrijs coronata est; ipsa postquam ad principes Christianos venit, potentiâ quidem, & divitijs major, sed virtutibus minor facta est.* S. Joannes Chrysost. pulchrâ ratione idem demõstrat, dicens tribulationem, instar fortis catenæ esse, quæ vitia ligat, à prosperitate soluta; verba ejus hæc sunt; *Semper egemus Dei providentiâ, maximè cùm liberamur à malis; alligatam belluam non ita timemus, ut emissam, ita vitium, non est adeò timendum in afflictione, sed post remißionem.*

S. Hieron. in vita S. Malchi.

Chrysost. in psal. 9.

Vita commoda periculosissima.

10. S. Bernardus quoque terræ, & maris similitudine demonstrat, quantò plus sit periculosa prosperitas, quàm adversitas; vitam quippe prosperam, mare navigãtium assimulat, qui enim mare navigant, sedendo, dormiendo, bibẽdo, sine aliqua incommoditate perveniũt quò volunt; sed hæc commoditas, numquam caret periculo; cùm sæpiùs inopinata tempestas se erigens, navem omniaque concutiens, ac undique turbans; merces omnesque navigantes in profundum dejicit: *Qui navigant mare enarrant pericula eius*, inquit Sapiens; in adversitate autem vivere, est quasi iter terrestre cõficere, difficile absque dubio; in quo montes, & valles, variaque impedimenta, quæ nos retardant, & defatigatos reddunt; sed iter solidum est, nullum in eo submersionis, aut perditionis periculum, ideoque, inquit, S. Bernardus; *Nemo nostrûm charissimi, planâ mollioris viæ superficie delectatus, iter illud marinum sibi commodius arbitretur, magnus hic campus montes habet, invisibiles quidem, sed eô ipsô periculosiores, laboriosior fortè via videtur inter ardua collium, & aspera rupium, sed expertibus longè securior, & desiderabilior invenitur*, & alibi; *licet multos frãgat adversitas, tamen multò plures extollit prosperitas:* Huic proposito applicat illud Psalmi; *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*; de illis siquidẽ quos à sinistris tenet, id est, tribulatis, cadent mille; de illis verò quos à dextris habet felices nempè, & prosperos, decem millia.

Eccli. 43. 26.

S. Bernard. sermone 2. Palmarũ.

Psal. 90. 7.

11. Magis in favorem tribulationis loquitur S. Augustinus dicens: *Periculosior est res prospera animæ, quàm adversa corporis.* Prudenter quoque non dicit periculosiorem esse animæ prosperitatem, quàm adversitatem; sed illam animæ periculosiorem, quàm hãc corpori, quia omne malum adversitatis videtur corpori convenire, & S. Augustino non sufficit dicere, animæ plus damni adferre prosperitatem quàm adversitatem, hoc siquidem clarè patet; sed majus quàm

S. August. in psal. 50.

Prosperitas plura damna infert animæ, quã adversitas corpori.

quàm adversitas inferat corpori. Alibi quoque hanc difficultatem explicat, & majus periculum prosperitatis, exemplo vasorum fictilium indicat, quæ si subitò ac formata sunt, antequam in fornace mittantur, ponantur in aquis, dissoluuntur; sed si in fornace coquantur, indurantur, & fortiora reddũtur, ita ut postea aquis resistere possint. Pari modo rectè dicamus vasa fictilia nos esse, iuxta dictum Salvatoris: *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea dicit Dominus.* Prosperitas est aqua, adversitas ignis iuxta illud Psalmistæ: *Transivimus per aquam, & ignem*; si homo ergo in aqua consolationis, & prosperitatis positus fuerit, facillimè dissoluitur, & corrumpitur; si autem in fornace tribulationis, fortior & constantior redditur. Ejusdem opinionis sunt omnes alii Patres.

Ierem. 18. 6. | Psal. 65. 12.

Tribulatio non inimicus, sed amicus.

12. Malè ergo dixi tribulationem inimicum apertũ fuisse, quia non inimicus sed amicus est, & talis ut major haberi non possit, de quo dictum; *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odio habentis.* Quia si te lædat, si pungit, si affligit, omnia propter majus bonum tuum facit; ideoque tantò magis bonum est adversitas, quàm prosperitas; quantò magis desiderabilis amicus, qui tuo beneficio se fingit inimicũ, quàm inimicus, qui ut magis te offendat se fingit amicum. Si verò advocatus, prosperitatis in favorem suum argumentabatur à principio Philosophico; *Bonum est quod omnes appetunt*, multò magis mihi argumentari licebit à definitione Theologica, quandoquidem à Theologicis dicatur; *Bonum est sui cõmunicativum, & diffusivum.* Sponsa in Canticis ut sponsum suum laudaret, dicebat: *Oleum effusum est nomen tuum.* Sed quid magis per orbem diffusum, quàm tribulatio? Quis eâ non abundat? Quo in loco non reperitur ingens copia? Tribulatio insuper communicativa est, quia ad cõpassionem, & dolorem movet etiam illos, qui non patiuntur, sed solùm vident vel audiũt. Audis quendam miserabiliter occisum, & subitò cor tuum inde affligitur. Quid hoc sibi vult? tribulatio est communicativa sui, in omnes qui hoc viderunt, vel audierunt. Prosperitas autem non solùm in paucis reperitur, verùm etiam non se diffundit, quin imò contrarium causat effectum; adeò siquidem longè abest, ut quis naturaliter gaudeat de alicujus felicitate, ut potiùs varii effectus invidiæ, tristitiæ, & amaritudinis in ipso nascantur. Qua de causa hoc? Quia prosperitas non est bona, idcircò non est sui diffusiva, ut tribulatio in hac vita, & gloria

Prov. 27. 6. | Cant. 1. 2.

Tribulatio sui communicativa, prosperitas non.

beatorum in altera vita; unusquisque enim ita gaudebit de gloria proximi, quàm de propria. Has rationes nimis subtiles relinquentes, ad probationem solidarum veniamus.

Tribulatio exaltat.

13. In primis ergo si quispiam scire potuit, quid tribulatio, & prosperitas esset, fuit Patriarcha Joseph; qui infans venditus fuit genti extraneæ, & in terram peregrinam, ut mancipium abductus; deinde calumniatus, afflictus, & diffamatus ut adulter, suo Domino infidelis, & ingratus, utque talis plurimis annis incarceratus fuit. Experientiâ quoq; didicit quid esset prosperitas; subitò quippe ex carcere, non solùm liber redditus, verùm etiam vice-rex Ægypti constitutus; ex subjectione servituris, ad gubernationem totius Ægypti; à diffamatione, ad exaltationem & summum honorem ex templo pervenit. Qualem creditis opinionem habuisse de tribulatione, & prosperitate? S. Augustinus hoc egregiè colligit, ex modo quo se gessit cum Patre suo Patriarcha Jacob. Notat hic S. Doctor, Josephum optimè potuisse Patri intimare, se non solummodò vivum, & liberũ esse, verùm etiam summoperè exaltatum, & Dominum pulcherrimæ regionis; non enim plus distabat Patria Jacob, ab Ægypto quàm trecentis milliaribus Italicis. Nihil tamen effecit, donec propter adventum fratrũ, quasi coactus fuerit, se manifestare; ita ut reliquerit præterire septẽ annos abundantiæ, & incipere alios septem penuriæ, nec unquam resoluit mittere ad Patrem suum nuntium de sua salute, & suprema dignitate. O qualis filius, exiguâ charitate præditus fuisse videtur. S. Augustinus inquit non fuisse charitatem exiguam, sed maximum amorem Sapientiæ cõjunctum, & particularem prudentiam divinam: *Vt sanctum Iacob velut aurum purgatum in futuro judicio præservaret*; Disposuerat Deus, ut Joseph illum in dolore relinqueret.

S. August. serm. 82. de tẽpore. *Prosperitas deprimit.*

S. August. ubi suprà.

Ingens bonũ in tribulatione.

14. Noverat Joseph experientiâ, quantum bonum fuisset in tribulatione, sciebat Patrem suum vitam doloribus plenam ducere, quia se mortuum credebat. Dicebat ergo si Patri meo, annuntio salutem, & dignitatem meam, omnem mœrorem relinqueret, & totaliter gauderet: non igitur eum tantô bonô privare cupio, amor meus filialis non suffert ut rem adeò charam & utilem illi auferam. Relinquamus eum ergo in suspirijs, & planctu, imò augeamus illius tribulationem, & dolorem, auferendo Benjamin alterum dilectum filium; interim dolore quem ego quoque sentio de sua absentia, mea excellẽtia & prosperitas

speritas paulò minuetur, quæ alioquin periculosa mihi foret.

Ioseph tribulationem pro beneficio accepit.

15. Ipsum quoque tribulationem bonam æstimasse, & persecutionem à fratribus excitatam, pro beneficio accepisse, colligit Philo Judæus, ex eo, quòd Joseph in saccis fratrum pecuniã reponere jussisset, quasi pro beneficio persecutionis eorum; *Adeò*, inquit, *pœnam ab eis abstinuit, ut tamquam bene meritis daret munera, redditô pretiô, quasi eô vellet solvere beneficium persecutionis, ejectionis in cisternam, venditionis in Ægyptum.* Nec Jacob contrariæ opinionis fuit, quàm Joseph filius suus; qualiter enim creditis illũ in Ægyptum perrexisse? quô animô, quô affectu, quâ intentione? An dubium esse posset, illum non valde alacriter eò perrexisse? non fuisse magis desiderio, & affectu, quàm pedibus delatum, ut non solùm videret dilectum Josephum, verùm etiam tantâ dignitate exaltatum? ut vivum amplecteretur filium, quem tot annis mortuum planxerat? ut videret Ægypto dominantem, quem jam in pulverem redactum credebat; ipsumque à paupertate & penuria Patriæ suæ ubi fame afflictus erat, ad possidendas copiosas divitias Ægypti pergere? Longè tamen à veritate aberit, qui hoc cogitaret; non enim sine magno timore, & sollicitâ anxietate hoc iter peragebat Jacob; sed tantò timore eò tédebat, ut opus fuerit, Deum eum consolari, & in mentem adducere, eum fortissimum esse, & protectorẽ semper fuisse; ita enim illi dicebat: *Iacob, Iacob, ego sum fortissimus Deus Patris tui, noli timere descende in Ægyptum.* Quam verò occasionem timendi habebat? Ut ab amicis bene excipiaris vadis eò Iacob, & non ad præliandum cum inimicis; ad regionẽ abundantem, & pacificam tendis, & non in desertum, aut locum derelictum, vel à latronibus circumseptum; à filio dilecto vocatus es, non à tyranno. Timet difficilem fore reditum in patriam: timet ne depravati Ægyptiorum mores, corrũpant filios suos, ideoque à Deo deserantur. Timet denique, inquit meritò Josephus Hebræus, ne multa prosperitas, & abũdantia bonorum temporalium, quâ in Ægypto frui deberet, fuisset illi occasio ruinæ: optimè cognoscens quantò periculosior prosperitas adversitate fuisset.

Philo Judæus in libro de Joseph.

Cur Iacob prosperitatem timuit.

Gen. 46. 3.

Abraham prosperitatem timuit.

16. Pari modò Abraham insigni victoriâ contra quinque reges obtentâ, postquam Loth cognatum suum liberaverat, & videbatur, nullos habere inimicos metuendos, magis quàm anteà timuit, & à Deo consolatus fuit: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Ex his verbis colligere

Gen. 15. 1.

gere possumus, duo Abraham timuisse: primò ne fuisset à prosperitate devictus, & inductus ad committēdum aliquod peccatum: secundò licèt ab illa non fuisset devictus: illi tamen inservijsset hîc pro mercede sua, unde in altera vita nulla expectāda foret, aut ad minùs multò minor. Primo attulit Deus remedium dicens: noli timere Abraham à prosperitate te vincendum, quia ero protector tuus, & exhibebo tibi umbram, ut sol felicitatis temporalis, non tibi noceat. Quoad secundum consolabatur illum Deus pari modo, dicendo, mercedē suam non auferēdam, aut diminuendam, sed magnam nimis fore, videlicet Deum ipsum. Deciperer, si ejusdem opinionis non dicerem fuisse Josue, quod ex divisione terrę promissionis colligendum puto: dum enim filijs Israel per tribus suas eam divisisset, pro se magis sterilem, asperam, & montosam retinuit: ut notat S. Hieronymus, dicens in Epitaphio S. Paulæ, illam valde miratam fuisse quòd pessimam terram sibi elegisset: *Mirata est,* inquit, *quòd distributor possessionum, sibi mōtana, & aspera delegisset.* Quid certè illum ad hāc electionem movere poterat, nisi meliorem fore laborem, & tribulationem, quam ex illa terra recepturus erat, quàm commoditatem & delitias, quas alia in parte habuisset.

Iosue prosperitatem timuit.

S. Hieron. in Epitap. S. Paulæ.

17. Sed quid mirùm illos Patriarchas hoc intellexisse, quandoquidem magna ex parte à gentibus cognitum fuerat? Dum siquidem in Senatu Romano de destructione Carthaginis civitatis inimicæ ageretur, opinio Sapientiorum fuit conservari debere, non propter bonum ipsius, sed propter utilitatem Romanorū. Sed quod bonum receperat, aut recipere poterat Roma à Carthagine? imò quod malum ab ipsa perpessa non fuerat? deleti fuerant exercitus, occisi milites, & duces, ad rebellionem aliæ civitates adductæ, & multæ ex illis à fundamentis erutæ: lacus sanguinei suorum ciuium facti & libertas illorum in periculum adducta. Ingentia damna hæc videbātur Sapienti populo, sed utilitates maximæ sapientioribus, quia erant tribulationes, persecutiones, & pericula, unde suadebāt non destruendam. Cùm tamen consilium illorum, executioni mandatum non fuerit, ruina civitatis Romanæ secuta est: cui multò plus damni attulit Carthago destructa, quàm armata; plus desolata, quàm victoriosa; plus exterrita, quàm exterrens. His & similibus eruditus Galba Imperator, adoptans in filium, & instituens hæredem Romani Imperii, Pisonem Licinianum, prudenter illum instruxit, ut

Romani prosperitatem timuerunt.

Tacitus lib. 1. Historiarum.

virtutes quas in adversa fortuna exhibere deberet, teneret in prospera, quæ majori impetu insurgeret; quia inquiebat; *Secunda res acrioribus stimulis animum explorant, felicitate corrumpimur.*

Cur Eliseus duplicem spiritum postulavit.

18. Hoc optimè intellexit Eliseus Propheta, ideoque dum magistrũ suum Eliam in cælum conscẽdere videret; rogabat ut duplicem spiritum impetraret; *fiat in me duplex spiritus tuus.* Videbatur hæc petitio multum arrogans; Quid enim inquis Elisee? Nónne sufficit tibi spiritus magistri tui? nónne sufficiet discipulo ut sit sicut magister eius? imò nónne ingens, & copiosus fuit spiritus Eliæ. Ut aliquis illo cõtentus esse possit? nónne cælum iuxta voluntatem suam, clausit, & aperuit? nónne vitam mortuo restituit? nónne ignem de cælo descẽdere fecit, multosque vivos cõbussit? nónne Prophetas Baal occidit? nónne à corvis pastus fuit? Ab Angelis & Deo visitatus? Quid amplius velles ô Elisee? Huic difficultati vario modo respondent expositores, inter reliquos excellentiùs S. Augustinus dicit hanc petitionem non fuisse irrationabilem, quia Eliseus fuit Propheta honoratus, æstimatus à principibus, & regibus, ubi Elias fugiebat, & persequebatur per deserta, & montes; *Eliseus,* inquit, *cum magno honore, & sæculi dignitate, virtutum, & Prophetiæ donum habuit, quod Elias profugus, & persecutus in montibus, & speluncis, degens, & ejectus ab hominibus retinebat?* Quasi diceret Eliseus, ubi major necessitas, ibi majori opus auxilio; tu Elia vitam duxisti asperam, tribulationibus, & persecutionibus plenam, ideòque non tãtô spiritu indigebas; ego autẽ qui honorari debeo, & in civitatibus habitare, ab omnibus reveritus ut Propheta, in majori ero periculo, ideoque duplici spiritu egeo: *fiat ergo, in me duplex spiritus tuus.*

4. Reg. 2. 9.

S. August. lib. 2. de mirabil. S. Scripturæ.

Exigua prosperitas magnam tribulationem destruit.

19. Ampliùs dico, non solùm prosperitatem magnam, qualis fuit illa Elisei, qui à regibus, & ab hominibus honoratus, & exaltatus erat: sed minimam æquali fortitudine posse cum majori tribulatione contendere, ut hominem subvertat clarissimam ecce vobis probationem adducam. Qualis est major tribulatio? communiter existimatur tribulatio mortis, quando potissimùm gravibus tormẽtis comitata venit, qualia SS. Martyres sustinuerunt. Ut autem vim hujus tribulationis Ecclesia exprimeret; utitur similitudine fornacis ardentis; *Tamquam aurum in fornace probavit eos:* similitudine à dicto Sapientis acceptâ; *Quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Inter prosperitates, qualis

Sap. 3. 6.

Eccli. 2. 5.

est minor? illam ego minorem judicavero, quæ non in factis, nec substantia consistit, sed in uno verbo ex ore adulatoris procedente; quid enim levius, magis vanũ, aut momentaneum esse potest, quàm hoc verbum? Hoc tamen tantam habet vim ut fornaci ardenti comparetur; *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.* Non dicit homo qui se probat divitijs, dignitate, & honore, illa siquidem probatio nimis periculosa foret, sed qui firmus, & cõstans manet & ad unum verbum laudis, potest dici aurum in igne probatum, cogita ergo quam erit difficilè firmus manere in majori prosperitate.

Proverb. 27.21.

In prosperitate maximè timendum.

20. Tam difficile est in prosperitate se rectè gubernare, ut ne quidem illa quam à divina manu recipimus, sine timore haberi possit. Ita testatur Job dicens: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non suscipiamus?* Quasi diceret, experientiâ scimus, à divina manu nos semper bona suscipere, quia illa fons omnis bonitatis; quare ergo illa quæ mala apparent, non recipiemus libenter? Cùm enim à sua manu, non nisi bona venire possint; de prosperitate tamen agendo, oportet timere illam de divina manu recipere. Multa pro his exempla adducere possemus, ut de Saule, de Salomone, & alijs: sed unicum ab Evangelio sumptum, nobis sufficiet, quod tamen millia hominum cõprehendet. Salvatorem nostrum trans mare Tiberiadis euntem, secutæ sunt turbæ multæ, & ab ipso in deserto saturatæ, miraculoso convivio; posteà autem cùm absconditus lateret, ab ipsis magnâ diligentiâ quæsitus fuit, quibus Salvator improperabat dicens: *Amen, amen dico vobis, quæritis me non quia signa vidistis, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Mirandum hoc certè, nónne paulò ante Joannes dixerat; *Sequebatur eũ multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat.* Quomodo ergo ijsdem dixit Salvator; *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus?* Oportet magnã fuisse mutationem effectam, in corde harum; ubi enim primò ex devotione sine aliquo lucro Dominum sequebantur, posteà lucro deditæ, & adeò vili, quale est saturari pane hordeaceo, ut propter hoc solùm Dominum secutæ fuerint. Sed quæ occasio repetinæ adeò mutationis? Non aliam certè assignare scirem, quàm quòd semel absque vllo labore in deserto saturatæ fuerint. Parva illa prosperitas de manu Domini recepta, etiam miraculosè facta, omnem eis devotionẽ abstulit, quam tribulatæ, & afflictæ assecutæ fuerant.

Job 2. 10.

Etiam à Deo recepta timenda.

Joan. 6. 26.

Joan. 6. 2.

Ubi suprà.

21. Sed

Prosperitas adversitati opposita.

21. Sed quid prosperitatem adversitati comparo, quasi similes essent; oppositionem potiùs facere deberem, quàm comparationem; ubi siquidem prosperitas ad malum accendit, adversitas stimulus bonorum est. Illa animam vulnerat, hæc illam curat; illa animam quasi inebriat, & lumen rationis aufert, hæc ignorantiæ nebulas detergit, & mentem clarificat; illa superbiâ nos inflat, hæc per humilitatem diminuit; illa bonos mores corrumpit, hæc malos mores evellit; illa proprias passiones fortificat, hæc illas mortificat: illa materiam, & fomēta vitijs ministrat, hæc occasionem virtutibus tribuit: illa similis est cælo sereno, quale fuit tempore Eliæ, pulchrum visu, sed sterilitatis, & mortis occasio, hæc similis est cælo, nubiloso & obscuro aspectu, sed abundantiæ & fœcunditatis terræ occasio: illa ut clarus fons Narcisci, qui ipsum inamoratum miserè perire fecit, hæc ut mare turbatum, quod non relinquit inamorari de nobis, & ad portum æternæ salutis suspirare facit: illa denique nobis viam infernalem patefacit, & hæc nos in semitis æternæ vitæ constituit. Ante dicta mille exemplis probare possem: ut de Adamo qui in delicijs paradisi offendit Deum suū: & postmodum ad terræ culturam destinatus, & gravi jugo mortis oppressus ad illum se convertens, pœnitentiam egit. Filii Jacob in abundantia vendiderunt fratrem suum Josephum, & in penuria tantùm, & tribulatione ad Deum convertuntur, & errorem suum agnoscunt; David pauper & afflictus, sanctus erat, quando autem tribulatione privatus fuit, adulter & homicida factus est. Antiochus sanus, & in prosperitate constitutus prophanavit templum Dei; infirmus, & afflictus, misericordiam à Deo postulabat. Filius prodigus prosper, & dives Patrem dereliquit; à paupertate & fame afflictus, ad illum reversus est. Populus Hebræus in servitute Babylonica, & Ægyptiaca, non idololatravit, sed zelabat legem Dei sui; in terra promissionis prosperitate fruens, vitulos adorabat, & mille scelera committebat; sicque de alijs multis. At in re tam clarâ non est tempus consumendum.

Prosperitas ad vitia, adversitas ad Deum incitat.

Multò melior tribulatio quàm prosperitas.

22. Vos ergo divites, sani, honorati, & in prosperitate constituti, qui creditis vos esse felices, recognoscite miseriam vestram, plangite infelicem vestrum statum, & invidete tribulatis; quia multò melior est illorum status quàm vester, si intelligeretis. Verum est illud dictum Demetrii, nullam esse personam infeliciorem illâ, cui necdum aliqua infelicitas accidit.

Jacobi 5.1. dit. *Agite nunc divites*, optimè dicebat S. Jacobus Apostolus; *plorate ululantes in miserijs vestris*; exsurgite nunc divites, non attendatis delitijs, plangite, & suspirate, ululate, propter dolorem miseriarum vestrarum; in numero plurali inquit, ut indicet plures esse miserias; subduntur enim miserijs corporis, & animæ; præsentis vitæ, & futuræ; peccatorum, & pœnarum. Infelices sunt, ut inquit S. Ambrosius de divite quodam, de
S. Ambros. serm. 8. quo S. Lucas agit: *Infelices in præsentibus bonis, infeliciores in futuris.* Necdum tamen illos condemnamus, nisi priùs auditâ sententiâ, quam in secunda parte proferemus.

SECUNDA PARS.

Inter duos litigantes tertius gaudet.

23. QVandoque accidit ut duobus inter se litigantibus, de aliqua re, dum unus alterum impedit, tertius quidam superveniens, sine labore possessionem arripit. Ita narrat Titus Livius accidisse duobus populis inter se de confinijs litigantibus, qui Romanos pro judicibus eligentes, illisque legatum mittentibus, ambobus silentium imponens, Romanos Patronos constituit. Ita quoque in præsenti contentione accidere timeo, ut prosperitate, & adversitate inter se de majori æstimatione contendente, tertius aliquis superveniens, illam acquirat: scitis qualis ille esset status medius, in quo vivit homo nec in alta nec in submissa fortuna, ut communiter dicitur; non est dives, nec pauper, sed cōmodus; non est magnus, nec parvus, sed mediocris; non vilipensus, nec honoratus, sed in suo gradu relictus. Hic ergo melior omnium videbitur, non enim angustias divitum habebit, nec tribulationem pauperum. Non habebit occasionem insuperbiendi, nec desperandi; non erit odio habitus, nec conculcatus: non abundabit tot cibis, ut nauseat, nec morietur fame. *Status medius optimus.* Hoc videbatur insinuare Poëtæ, in admonitione quam Dedalus filio suo dabat, ne nimis altè, vel nimis humiliter volaret, sed in medio sisteret. Vulgaria quoque sunt Proverbia quæ statum medium, optimum dicunt, ut sunt illa; *Medium tenuere beati; in medio consistit virtus; in medio tutissimus ibis:* & Dedalus ad Icarum, *inter utrumque vola.* Quod autē magis æstimandum, Salomonem dedisse sententiam in favorem hujus status, dicens in sapientia sua ad Deum: *Mendicitatē, & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.* Prov. 30. 8.

24. Ejusdem opinionis fuit insignis illa Catharina Angliæ regina, uxor Henrici Octavi, quæ dicere solita, si aut maximè afflicta, aut felicissima esse debuisset, *Probatur exemplis.*

debuisset, potiùs afflictionem elegisset, quàm prosperitatem; magis tamen statum medium optaret. Hic securior à fortunæ casibus apparet, quæ ad instar fulminis solet altas percutere turres, & non humilia ædificia, nec adeò injurijs aliorum hominum expositus; unde rectè dixit Horatius:

Hor. lib. 2. Ode 10.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidendâ
Sobrius aulâ.

Hic placidè properat ad portum æternæ vitæ, non agitatur undis contrariæ fortunæ, nec impetuosis ventis prosperitatis ad scopulum confringitur. Hîc à delicijs & voluptatibus prosperitatis non decipitur; nec ab adversitatis ictibus cõquassatur, aut vincitur: Ita ut ab una, & altera parte liber existens, videtur sine dubio, & uni & alteri hic status anteponi; ut apertè prælatus fuit à Peripateticorum principe.

Prima conclusio in favorem prosperitatis.

25. Quid ergo nunc dicendum tempus siquidẽ esset hanc litem decidendi? Ut omnibus igitur satisfaciamus, unicuique aliquid concedendum est. Tres ergo pono conclusiones; Prima est, considerando has res prout in se sunt, & non secundùm circumstantias accidẽtales; melior omni alio statu est prosperitas, & quantò major, tantò melior. Hæc conclusio mihi satis clara videtur; non enim negare possumus, principem, honoratum, & victorem esse, &c. res valdè bonas esse; utque tales ab omnibus desiderari, reputari, & à Deo ipso vt gratiæ particulares concedi. Secunda cõclusio est, quòd considerando conditionem vitæ humanæ, pericula, & casus fortunæ; ut vitã quietam, & pacificam agamus, optimus est status mediocris. Hæc conclusio probatur ex rebus suprà dictis, particulariter ex auctoritatibus allegatis, quæ nisi hoc sensu, commodè intelligi non possunt. Tertia conclusio est, ut virtutes assequamur, præcipuè in gradu perfecto, & cõsequenter gloriam cælestem, suprà omnes juvat adversitas, & tribulatio. Hinc Propheta Isaias describens prosperos successus Ecclesiæ, & loquens de justis sub metaphora arboris, dixit: *Dabo in solitudinem cedrũ, & spinam, myrtum & lignum Olivæ; ponam in desertum, Abietem, Vlmum & Buxum.* Ex septem his arboribus, una tantùm domestica, & fœcunda, Oliva videlicet; aliæ steriles, & silvestres; illa Symbolum hominis felicis, juxta dictum Davidicum; *Filii tui sicut novellæ Olivarum in circuitu mensæ tuæ*, hæ symbolum afflictorum, & tribulatorum, tum quia in apertis campis sitæ sunt absque vllo fructu; tum quia ad fabricandas domos inserviunt, secantur,

Secunda conclusio pro statu medio.

Tertia conclusio pro statu tribulationis.

Isaiæ 41. 19

Psal. 125. 3.

cantur, ſcinduntur, & in mille partes finduntur. De tribulatis ergo multi cælum aſcendunt, de felicibus verò & proſperis pauci. Hæc concluſio ex ſupradictis probata manet; in ſacris hiſtorijs habemus majores ſanctos per hanc tribulationis viã cælos aſcendiſſe; ſuper omnes autem caput noſtrum Chriſtus hanc viam elegit; hic enim eſt finis ob quem creati ſumus, & vera menſura quâ omnia bona noſtra menſurari debent. Sequitur ergo palmam bonitatis, abſolutè tribulationi concedendam eſſe.

Hæc sola bona eſt.

26. Quid modò dicitis vos qui proſperitatem defenditis? Hanc ab omnibus amplecti, & adverſitatem omnes fugere? Dicere poſſem homines freneticos, & infirmos fugere ſalutarem medicinam, & deſiderare cibos ſibi plurimùm nocivos. Poſſem negare tribulationem ab omnibus fugitam, & proſperitatem amplexatam; quia Sapientiores hanc fugiunt, & illam ſequuntur. Sed concedam vobis omnia, ſcitis quare proſperitas amplectatur? quia parùm boni quod habet, ſubitò manifeſtat, & in fronte gerit; malum autem quô vexatur abſcondit. Tribulatio verò bonum ſuum ut prætioſum theſaurum abſcondit, & amaritudinem tantùm mõſtrat. S. Paulus de tribulationibus ſuis loquens ait: *Quaſi morientes, & ecce vivimus, ut caſtigati, & non mortificati quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.* S. Anſelmus hîc notat, quod verbis, *morientes, triſtes, & caſtigati*, eſt adjuncta, particula *quaſi* vel, *ut*, quæ denotat ſimilitudinẽ, & diminutionem; quia tribulationes ſolam apparentiam, & ſimilitudinem, mortis, caſtigationis, & triſtitiæ habent; ſed verbis, *vivimus, gaudemus*, nihil adjungitur, nec eſt particula diminuens, quia lætitia, & ſalus, quam adferunt, vera eſt & realis. Ad Hebræos quoque ſcribit: *Omnis autem diſciplina, in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris*: ubi notat Theophylactus, bene dixiſſe Apoſtolũ *videtur*, quia verè nõ eſt.

Cur proſperitas à multis amplectitur.

2 Corint. 6. 9.

Ad Hebræos 12. 11.

27. Quid dicitis, animalia ipſa proſperitatem quærere, & adverſitatem fugere? Concedo: ſed non videtis vos confirmare quæ vobis dicebam, bonum illius, & malum hujus in apparentia conſiſtere, ideoque non mirum animalia quæ non penetrant rem, iuxta apparentiam procedere? Quid dicitis Deum eſſe feliciſſimum, & longiſſimè à tribulatione abeſſe? ſed non videtis felicitatẽ divinam, multum differre, à proſperitate mundana? Hæc in bonis ſenſualibus conſiſtit: illa in bonis intellectus: Hæc in bonis tranſitorijs, & temporalibus: illa in permanenti, & æterno gaudio. Ita quoque inter ſe different, ut ſi ad divinam felicitatem pervenire

Cur animalia adverſitatem fugiunt?

Vt Deus tribulationem apprehenderet, homo factus.

venire velimus, necesse esse est mundanam prosperitatem contemnere, & tribulationem amplecti. Licèt quoque verum sit Deum per naturam à tribulatione multum abesse, nónne videtis hinc majus bonum, & gloriam tribulationis elucere; quia Deus cùm per naturam pati non posset, aliam assumpsit, & hypostaticè se carni nostræ passibili univit, ut tribulationem amplecti posset.

Deus in tribulatione nos gaudere desiderat.

28. Quid dicitis Deum lætitiam requirere in servis suis? verum est, sed hoc est quasi dicere, ipsum desiderare, ut tribulationes amemus, & gustemus, quia numquam desunt; & in his vult Deus ut gaudeamus, non verò in mundi prosperitatibus, & delicijs. Quid dicitis in cælo nullam tribulationem esse? verum est, sed ne quidem fides, aut spes est, quæ tamẽ sunt virtutes præcipuæ. Nõ inde ergo sequitur tribulationem bonam non esse, sed solùm non esse summum bonum, nec felicitatem hominis: nec nos illud asserimus, sed dicimus medium esse, ad æternam felicitatem consequendam. Licèt ergo cælum non intret, ad minùs ad portas ejus accedit, Deus autem illam ab amicis suis avertit: teste S.
Apoc.21.4. Joanne; *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum.*

Tribulatio orare docet.

29. Quid dicitis tribulationem impedire orationem? Quin imò docet orare; *Qui nescit orare vadat ad mare*, superveniente quippe tempestate, & periculo submersionis, addiscet bene Deum orare, licet fuisset stupidus ut Bos, vel Asinus; David in tribulatione se bene orasse sæpius inquit; *Ad Dominum cùm* Psal. 119.1.
tribularer clamavi. Tribulationem, Psal. 114.3.
& dolorem inveni, & nomen Domini invocabo. & alibi sæpius. Nec sententia S. Jacobi huic contraria, quia de moribundis loquitur; nec exemplum Aaronis, me terret, cùm enim in externis ceremonijs non fuerit ita attẽtus, signum est, animo interno recollectum fuisse; qui effectus à tribulatione causari, & magis nos Deo unire solet. Si quoque Aaron erraverit, non effectus tribulationis, sed error ejus fuit; vel si tribulationi adscribere cupitis, dicam quoque adorationem vituli effectum fuisse prosperitatis, quia, *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Exodi 32.6 Tantò ergo melior est tribulatio prosperitate, quantò pejor est idololatria, parvâ negligentiâ in cæremonijs.

Tristitia fugienda quæ à voluptate causatur.

30. Quid dicitis tristitiam à nobis coërcendam esse? verum est, quia ut dicemus tribulatio hilariter amplectenda; utque tristitiam fugiamus, gaudia & voluptates à prosperitate oblata, omninò eliminanda, quia *extrema gaudii luctus occupat.* Prov.14.13 Quid dicitis diabolum tribulatione

uti, ut nos vexet, sicque cum S. Job factum? Dicere possem, vehemens desideriũ quod diabolus de nostro malo habet, quandoque efficere ut astutiam perdat, & nos stolidi instar vexet; ut rectè egit, prætendendo cum adversitate S. Job deijcere; ideoque Job uxori suæ (quæ instrumentum diaboli videbatur)

Iob 2. 10. dixit: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Possem insuper dicere, illum ita probasse, nõ quia vincere sperabat, sed vt palàm exhiberet, & prętenderet illum in prosperitate quoque malum fuisse. Sed meliùs dicamus, diabolum ambidextrum esse, scire pugnando uti dextrâ prosperitatis, & sinistrâ adversitatis. Quâ putatis illũ magis nocere? absque dubio dextrâ: ad quod propositum adducere possumus

Diabolus magis prosperitate, quàm adversitate nocet.

Psal. 90. 7. illud Psalmi: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Quidquid tamen de hac Scriptura sit, multi Patres apertè declarant, diabolum plus nocumenti attulisse S. Ecclesiæ aquâ voluptatis, quàm igne persecutionis. Ita S. Leo Papa eloquentissimè affirmat: *Cùm dæmon sæviendo nihil se videret proficere contra Ecclesiam, terrores præscriptionum, in avaritiæ mutavit incendium; & quos Christianos damnis non fregit, cupiditate corrumpit: malignitas enim longo usu propriæ imbuta nequitiæ, non deponit odium, sed vertit ingenium, quò sibi mentes fidelium blandiùs urat, inflammat concupiscentijs quos non potest vexare tormentis.* Ad hoc propositum S. Bernardus adducit locum Ezechiæ ut in persona Ecclesiæ dictum: *In pace amaritudo mea amarissima.* Isaiæ 38. 17.

S. Leo serm. 6. de Epiphania.

31. Quid dicitis prosperitatem occasionem esse, quòd homo Deo gratias agat, & se illi devictum agnoscat? sit ita, sed tribulatio est occasio, quâ Deus se homini obligatum fateatur, illique æterna præmia promittat; juxta quod discipulis dicebat: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, ut edatis & bibatis super mensam meam, in regno Patris mei.* Quin imò efficit, ut homo primò superbus, & elatus, se humiliet, & cognoscat Deum suũ: ut in Nabuchodonosore, alijsque multis accidit. Hinc ortum est, ut dum diligentes agricolæ Patri familias dixissent, utrum zizania in agro suo nata vellent colligere, dixit illis: *Ne fortè colligentes zizania, eradicetis cum eis simul & triticum, sinite utraq; crescere, vsque ad messem.* In hac respõsione non videtur adeò prudens ille Pater familias, prout Dominus nobis indicare voluit: videmus siquidem à diligentibus agricolis contrarium observari: relinquere enim zizania aut herbas malas in frumento multum damni adfert: auferre autem non tantùm fit sine periculo,

Tribulatio medium æternæ salutis.

Lucæ 22. 28.

Matth. 13. 29.

culo,

culo, verùm etiam magna cum utilitate. S.Petrus Chryſologus maximè hunc Patrem familias defendit dicens, multum differre agrum Eccleſiæ, ab agro terreno; in hoc ſiquidem herbæ malæ, numquam vertuntur in frumentum: in illo verò datur mirabilis tranſmutatio: poteſt ſiquidem fieri ut illi qui hodie erant zizania, cras granum fiãt: idcircò omnia ad tempus meſſis relinquenda, aliàs fieri poſſet, ut nos crederemus evellere zizania, evelleremus ſimul triticum, vel frumentum. Dicit enim S.Petrus Chryſologus: *Aliud videbatur in ſpecie, aliud habebatur in flore, & quod hodie erat zizania, cras in triticum vertebatur.* Idem ajebat S. Auguſtinus: *fortaſſis tibi videris odiſſe inimicum, & fratrem odiſti & neſcis.* Dico tamen, unde fieri poſſet, ut lolium in triticum verti poſſet, à tribulatione id fieri ſæpius poſſe credo; quod ex alia parabola, ubi Dominus de ſemine pariter loquitur colligo; dicit enim ſemen ſparſum per patientiam, ingentem fructum attuliſſe; *Hi ſunt qui audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* Si ergo patientia reddit multum fructum, ipſi quoque referenda transformatio lolii in granum, ſine qua, exigua eſſet meſſis ſanctæ Eccleſiæ.

Tribulatio zizania in triticum mutat.

S.Petrus Chryſol. ſerm. 97.

Lucæ 8.15.

32. Quid dicitis proſperitatem, & divitias commoditatem tribuere faciendi eleemoſynas? Verum eſt, materiam tribuunt, ſed ſimul cor indurant, & manum ſtringunt; quantò enim unuſquiſque magis abundat, tantò plus deſiderat: videtur quoque cor ferinum, & leoninum acquirere. Unde Martialis interrogatus quid fuiſſet, ſi dives eſſet; acutè reſpondit; quid eſſes ſi Leo fieres? quaſi idem eſſet Leo & dives.

Proſperitas & divitiæ hominem crudelem reddunt.

Sæpè rogare ſoles qualis ſim Priſce futurus
Si fiam locuples, ſimq; repentè potens.
Quemquam poſſe putas, mores narrare futuros?
Dic mihi ſi fias tu Leo qualis eris?

Ante ipſum quoque David Propheta videtur pro eodem divitem & Leonem accipere; ubi ſiquidem nos legimus: *Divites eguerunt*; legit textus Hebræus; *Leones eguerunt.* Pauperes quoque non habere commoditatem ut eleemoſynam elargiãtur verum non eſt, teſte S.Auguſtino; unuſquiſque enim ex pauco quod habet, alium participem reddere poteſt; ſi verò nihil haberet, ad minùs ſcyphum aquæ largiri poteſt; quod bonâ voluntate exhibendo, à Deo recipietur, ac ſi magni quid largitus eſſet. *Parum habes*, inquit, *unde eleemoſynam facias: habes voluntatem? Quemadmodũ nihil eſſet, quod habes, niſi adeſſet bona voluntas, ſic & quod non habes, noli eſſe triſtis, ſi*

Pſal. 33. 11.

S. Auguſt. in pſal. 75.

Pauperes liberaliores divitibus.

est tibi dandi voluntas. Duo ergo privilegia pauperes præ divitibus habent in dando eleemosynam; primò promptitudinem voluntatis, quia experientiâ docti faciliùs ad compassionem aliorum moventur; & quia minorem affectum erga divitias habent. Alterum est, quod exigua illorum eleemosyna præferatur magnis donis divitum, ut patet in duobus minutis viduæ illius, quæ à Christo prælata sunt, omnibus oblationibus divitum. Optimè ergo stabilita manet nostra conclusio; ideoque iuxta consuetudinem ad particularia documenta progrediemur. Quibus autem hæc applicabimus? prosperis, an tribulatis, vel medii status? Dicamus breviter quidpiam pro omni statu.

Prosperitas magnam occasionem timoris tribuit.

33. Primum ergo pro ijs qui in prosperitate sunt, quod magnam occasionem timoris habent, videntes cuncta prosperè in hoc mundo sibi succedere. Quia vel sunt boni, vel sunt mali; si mali, væ illis; quis enim nō videt hoc manifestum signum esse perditionis illorum? *Nihil est infelicius*, dicebat S. Augustinus, *felicitate peccandi*. Cogitas te in hac vita felicem esse? ô te miserum! recipies præmium malefactorum in altera vita. Deus hîc te relinquit ut infirmum desperatum, hic satisfactionem aliquam tribuit, quia nihil in alia vita recipies; ex ijs es de quibus Deus inquit; *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Psal. 80. 13. Si verò bonus es etiam time ne Deus fortè partem tuam, & mercedem in hac vita tribuere velit, & quod in die judicii non debeas audire; *Receperunt mercedem suam.* Matt. 6. 2. Vel sicut diviti Epuloni dictum fuit; *fili recepisti bona in vita tua:* Lucæ 16. 25. ubi notat S. Bernardus non dici *rapuisti*, sed *recepisti*, hoc autem & non aliud pro damnatione eius adfertur. Time igitur & pœnitentiā age pro peccatis: si autem nemo te affligat, tu teipsum affige, abnega voluntatē, mortifica carnem, ut non sit à tormentis libera.

Mediocris fortunæ se humiliare debent.

34. Illis autem qui nec felices, nec infelices planè sūt, quid dicemus? ut se maximè humilient, quia diabolus ipse adeò parum illos æstimat, ut dedignetur oppugnare; ut inutiles, & nullarum virium sunt derelicti; nec Deus illos in cāpum adducit ut pugnent, nec dæmon insurgere illis tribulatione aliquâ vel prosperitate dignatur. Si tamen verum est quod Apostolus inquit; *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit:* 2. ad Tim. 2. 5. quomodo obtinebunt coronam nisi certent? præparant se ergo, armant, & fortificant tempore pacis, ut digni inveniantur ad pugnam, & insignem palmam tempore prælii acquirere possint?

35. Affli-

Afflictis in Domino lætandum. 35. Afflictis & tribulatis quid tandē dicemus? nisi quod exultent, & lætentur in Domino de favore à tribulatione eis proveniente? Intelligitis hoc tribulati? Non sufficit patientiam in tribulatione habere, cupio ut gaudeatis. Non sufficit vos non conqueri de Deo; volo etiam ut illi gratias agatis, & tribulationem pro beneficio accipiatis. Hoc beneficium S. Paulus à Philippensibus cognosci volebat, quibus ita scribebat; *Vobis datum est, non solùm ut in eum credatis; sed etiā ut pro nomine eius patiamini.* Quasi diceret, maximū beneficium est fides; sed hoc plurimis commune, aliud verò præcipuum ab ipso obtinuistis, ut pro illo pati possitis. Tale beneficium cognovit S. Job, qui nuntia perditionis bonorum & mortis filiorum intelligens; *Tonso capite corruens in terram adoravit* Deum. Abscissio capillorum, erat signum lætitiæ apud Ægyptios, ideoque dum ex carcere Josephum ducerent, primò abciderunt capillos eius. Adoratio autem est gratiarum actio, unde Scriptura Sacra, dum Abraham de emptione sepulturæ ageret cum Efron, pro sepultura uxoris suæ, illamque dono acciperet ait: *Adoravit Abraham*; signum videlicet gratiarum actionis exhibuit. Ita Job intelligens perditionem bonorum, & mortem filiorum, tribulationem nempè à Deo missam, *Adoravit*; maximas nempè gratias egit. Idem tibi faciendum, dum tribulatio occurrit: Quid autem mirum me hoc à te exigere, si Gentilis, qui nulla alia bona quàm præsentia expectabat, hoc egerit?

Ad Philip. 1. 29.

Job 1. 20.

Gratia Deo pro tribulatione agenda.

Genes. 23. 12.

36. Zenon ex Philosopho mercator effectus, omnes merces suas in una navi constituēs, dum illâ per mare feliciter ferretur, ad scopulum allisa cunctas merces simul perdidit. Unde ex divite subitò pauper factus; quid fecit? Fortè contra ventos, aut fortunam insurrexit? Imò gratias egit dicens: *Benefacit fortuna, quæ me ad Philosophiam vocat.* Confundaris igitur Christiane, quod simile quid non efficias, & quando aliqua tibi tribulatio accidit, disce Deo gratias agere, & fructum inde percipere, quem ipse desiderabat. Si morbum immittat, gratias agens benedic illum dicens: Benedictus es Domine qui plurimas mihi occasiones peccandi abstulisti, & mortis memorem me reddidisti. Si te bonis privat, dicas quoque, gratias ago Domine, quod ex laqueis hujus mundi me liberes, & ad æterna bona speranda invites, quia numquam illa perdere potero. Si gratiâ Principis te orbatum cernis, cui multo tempore servisti; ad Deum te converte, & dic illi; Benedictus es Domine qui

Insigne exemplum Zenonis.

Hoc Christianis imitandum.

qui me ab hominum servitio, ad tibi serviendum vocare dignatus es; tantò meliùs, & vtiliùs, quantò tu es major, & benignior cunctis hominibus. Atque ita in alijs tribulationibus tibi faciendum, ut Deo non sis ingratus pro tantis beneficijs, & salutem animæ tuæ inde haurire possis. Amen.



DISCVRSVS DVODECIMVS

In festo S. Ioannis Baptistæ tribulationis sponsi. De ipsius, sponsæque ejus tribulationis excellentia & dignitate.

Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes, quis putas puer iste erit? *Lucæ* 1.66.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Qualis sit hæc interrogatio, inquiritur. num. 1. 2. 3.

Quàm excellens fuerit S. Ioannes? à num. 4. vsque ad 9.

Quare dicatur magnus coram Domino? à num. 10. vsque ad 16.

A Christo maxime honoratus. à nu. 17. vsque ad 20.

Christo comparatus magnus dici potest. à num. 21. vsque ad 27.

Tribulationem in sponsam solemniter duxit. à nu. 28. vsque ad 34.

Nec mortuus ab illa separari voluit. à num. 35. vsque ad 39.

Regnum cælorum pro dote ei attulit. num. 40.

Mirabilis hæc interrogatio. 1. HODIE ab omnibus nativitati S. Joannis præsentibus, mirabilis fit interrogatio, paucis quidem verbis sed multa concludens: *Quis putas puer iste erit?* (*Lucæ* 1.66.) Interrogatio quæ una videtur, sed virtualiter plures continet; nec minùs quàm centum mille responsionibus, huic plenè satisfieri posset. Interrogatio quæ sæpiùs absque reflexione de omnibus infantibus fieri posset; sed quæ adeò difficulter verum responsionem invenire valeat, ut ab humanis auribus, aut intellectu vanè expectetur. Quis siquidem ignorat, de quolibet infante nato solere, & posse dici; *Quis putas puer iste erit.* An doctus, vel stupidus? Dives aut pauper? Infirmus aut sanus? Longæ aut brevis vitæ? in altum à fortuna elevandus, aut ad imum deprimědus? Malis, aut bonis moribus? Quantæ interrogationes hîc continentur? *Quis putas puer iste erit?* Sed tantò difficiliores sunt responsiones; quòd licet homines semper fuerint curiosissimi indagatores, nec suffecerit illis libros *De quovis infante fieri potest.*

evolvere, figuram & aspectum infantis intueri, qualitates progenitorum cognoscere, aliasque nativitatis circũstantias ad hunc finem considerare. Ad contemplandas stellas, motus cælorum mensurandos, aspectus planetarum obseruandos, ascensum vel descensum, domos, signa, proportiones, cõformitates, inimicitias, & oppositiones cælestium Astrorum, se quoque in vanum dederunt; quia inter res scitu difficillimas, à Salomone numerata fuit, vita juvenis; *Tria*, dixit, *sunt mihi difficilia, & quartum penitùs ignoro.* Quod autem fuit quartum? *Viam viri in adolescentia.* Quantò magis difficile cognitu erit, quid futurum sit de puero vix nato?

Proverb. 30. 18.

In Ioanne difficilior erit.

2. Si autem de quolibet adeò sit difficile, quantò magis de eo qui hodie nascitur? Ab hoc siquidẽ nil ordinarii expectandum; *Quis putas* ergo *puer iste erit?* Quis erit puer iste, à Prophetis prædictus, ab Angelo annunciatus, precibus à parentibus impetratus, à sterili generatus, de cælo mysteriosè nominatus? Quali viâ procedet hic infans, dum pæne à lacte materno & uberibus amotus, secessit in desertum, ut asperã ageret pœnitẽtiam. *Quis putas puer iste erit?* priùs Propheta quàm natus, priùs saltãs quàm è ventre matris prodiens, priùs repletus Spiritu S. quàm cunis exceptus, priùs cæli lucem, quàm aërem mundi aspiciens, priùs loquelam mutis, quàm sibi ipsi tribuens? *Quis putas puer iste erit?* O quàm sublimis hæc interrogatio? Cujus echo videtur mihi vox illa, quâ Pharisæi jam ætate provectum interrogabant dicentes: *Tu quis es?* Quasi dicerent, de te infante dictum fuit: *Quis putas puer iste erit?* Cùm ergo jam creveris, non ampliùs expectandũ, quid eris, sed quid modò sis: tunc quia loqui non poteras, quærebatur qui ad hoc responderet; modò dum concionaris, & loqueris, nullus meliùs huic interrogationi respondere poterit, quàm tu ipse. *Tu ergo quis es?* rutilanti nativitatis tuæ auroræ, quomodo dies vitæ tuæ correspondet? vago flori infantiæ tuæ, quomodo fructus ætatis maturæ coæquatur? sicq; illi, & huic interrogationi, multæ responsiones fieri possent?

Ubi suprà.

Joan. 1. 19.

Quomodo responderi posset?

3. Dicere possemus, hunc esse magnum præcursorem regis cælorum, & plus quàm Prophetam, amicum sponsi, paranimphum cælestiũ nuptiarum, vocem verbi, stellam luciferi, solem præcedentem, lucernam ardentem, Angelum Evangelii, Eliam novi Testamenti, Apostolum æterni Patris, testimonium filii, tubam Spiritus sancti, Horizontem antiqui testamenti, raptorem cæli, pluresque gloriosissimos titulos illi tribuere pos-

re possemus, de quibus centum annis prædicare liceret. Ego tamen hos aliosque relinquens, quos adducere possem; Dictum Gabrielis Archangeli vobis exhibebo, qui annuntians Zachariæ dixit: *Erit magnus coram Domino.* Videamus ergo quantum imbecillitas nostra permittit, quātus fuerit S. Joannes, & quæ sponsa illi à rege cælorum destinata fuerit?

Luc. 1.15.

Quàm excellens fuerit S. Ioannes?

4. *Erit magnus coram Domino,* sed quàm magnus? nulla in terris mensura æquare valet magnitudinem S. Joannis. *Præcellit cunctis*, inquit S. Ambrosius, *eminet universis, antecedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere est, inferior est Ioanne.* Suprà cælos ascendendum, si S. Joanni æquari velimus, vel similē ipsi reperire; meretur quippè potiùs nomen Angeli, quàm hominis; cum de ipso dictū sit: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Nec quilibet Angelus est Joannes, sed ex primis; S. Bernard. argumētatur Archangelum Gabrielem, unū ex primis in cælo esse, nec habere superiorem, quia dixit Evangelista, quòd, *fuit missus à Deo*: etenim iuxta doctrinam S. Dionysii Areopagitæ, Angeli minores mittuntur à majoribus; si ergo Archāgelus Gabriel non fuit ab alio Angelo missus, sed à Deo, signum est ipsum non habere majorem, sed primum esse. Idem argumētum de S. Joanne facere possumus, de ipso siquidem dictum; *fuit homo missus à Deo*; non ab aliis Angelis, Archangelis, Cherubim, aut Seraphim: secundùm ergo hanc doctrinam Joannes nullum Angelum superiorem habet. Nec hoc vobis mirum videatur, nō enim deest qui illum ipsis Angelis proponit.

S. Ambros. serm. 64. de nativit. S. Ioan.

Malach. 3. 1.

Ioan. 1. 6.

5. S. Joannes Chrysostomus de illo sic ait: *Puto (si non est audaciæ dicere) quòd gloriosior est Ioannes, quia homo fuit, & propter virtutis meritum Angelus est vocatus, quàm si nomine Angelus, & natura fuisset.* Et paulò pòst; *Mirabilis est, qui humanâ naturâ, angelicam transgressus est sanctitatem.* Nec credendum, S. Joannem multum desudare debuisse, ut Angelos superaret: in nativitate siquidem subitò illis superior effectus. Ut hoc intelligamus, notandum judicem inferiorem, aut æqualem, retinere non posse pœnam, ab altero judice inflictam; quia datâ sententiâ, non potest ampliùs remitti pœna, sed remissio à Principe exspectanda, vel à tribunali superiore. Nónne ergò recordamini quando Zacharias fuit incredulus Angelo, Angelus illi pœnam inflixit, quòd videlicet mutus foret? Remansítne semper talis? non, sed quis illum liberavit? an alius Angelus? nequaquam, quia ab æquali non potest pœna remitti; à quo ergò? à Joanne licèt

Chrysost. homil. 27. in Matth.

Angelis superior est.

Patri linguā solvit.

licèt infante, major tamé Angelis; sic pulchrè discurrit S. Ambrosius: *Videte* (inquit) *S. Ioannis meritum, vocem patri reddidit, Sacerdoti eloquentiam reparavit; os quod Angelus alligaverat, Ioannes absolvit, quod Gabriel obstruxerat, parvulus reseravit.* Quin imò dico ego eloquentiorem effecit, & magis illi Joannes tribuit, quàm Angelus abstulerat. Hic enim à Zacharia loquelam abstulerat, quam cum omnibus communem habuerat, & Joannes illi supra humanam tribuebat, quandoquidem res futuras prædixerit, quæ ab intellectu humano naturaliter prævideri non poterant.

S. Ambros. serm. 64. de S Ioan.

Toto mundo major est.

6. Parum dixi, quia non solùm plus quàm Angelus Joannes, sed major toto mundo. Vt hoc probemus, advertendum est, licèt omnia attributa, & perfectiones divinæ sint immensæ, & infinitæ, & consequenter æquales; misericordia tamen excellere dicitur, propter effectus suos, qui sunt majores: Ita David ait: *Miserationes ejus, super omnia opera ejus.* Intelligendū hoc cum S. Thoma, quantum ad effectus. Ratio autem, inter reliquas, quas facilè adducere possemus, est, quia effectus divinæ potentiæ attributus, fuit creatio mundi, sapientiæ autem conservatio ejusdem attribuitur. Sed misericordiæ effectus, propriè est justificatio peccatoris. Dicit ergò S. Augustinus, quem S. Thomas, & reliqui Theologi sequuntur: rem multò majorem esse justificationem peccatoris, quàm creationem mundi, majores sunt effectus misericordiæ, quàm potentiæ, & sapientiæ divinæ. Joannes verò cujus effectus fuit? cui attributo particulariter nativitas ejus adscribenda? misericordiæ, juxta dictum patris sui Zachariæ: *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris.* Mundus è contrà est est effectus potentiæ divinæ, ut diximus, Joannes ergò major mundo.

Psalm. 144. 9.

Effectus misericordiæ major.

Luc. I. 72.

7. Dices fortassis, verum esse multos effectus misericordię divinæ, majores esse potentiæ divinæ; non tamen necessariò sequitur, illud verificari de omni effectu ejus, respectu effectuum alterius, & consequenter Joannem mundo majorem esse; quandoquidem ab eadem causa produci possunt, effectus majores, & minores. Respondeo verum esse, diversos effectus habere misericordiam divinam, nec omnes æquè magnos; unde non mirum esset, aliquos ex illis minores esse, quàm aliqua opera potentiæ divinæ. Ego tamen vobis exhibebo, S. Joannem non solùm esse effectum misericordiæ consuetæ, sed opus fuisse, ut Deus magnam, & extraordinariam misericordiam adhiberet. Quis mihi non concedet S. Joan-

Ioannes majoris misericordiæ effectus.

S. Joannem mundo majorem esse? Audite S. Joannem Evangelistam idem confirmantem: *Et audiêrunt* (inquit) *vicini, & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.* Advertistis verbum, *magnificavit?* mirabile quid, an exigua adeò erat misericordia divina? an non vocata magna à Propheta regio, dicente: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam?* Nónne idem inquit, misericordiam divinam adeò magnam esse, ut cœlum, & terram impleat: *Misericordia Domini plena est terra.* Et: *Domine in cœlo misericordia tua?* Quomodo ergò Evangelista dicit: *Magnificavit Dominus misericordiam suam?* Verum est misericordiam divinã semper fuisse magnam, Joannes tamen adeò magnus erat, ut dum in mundum prodire deberet, magnitudinem suam misericordia auxerit; cùm effectum extraordinarium producere deberet, qualis erat Joannes.

Lucæ 1. 58. Psal. 50. 1. Psal. 32. 5. Psal. 35. 6.

Productio S. Ioannis majoris misericordiæ effectus.

8. Ut magnitudinem equi Trojani amplificarent Poëtæ, scribunt illum adeò fuisse magnum, ut portas Civitatis intrare non posset, sed rumpendo murum, in civitatem introduxerunt. Pariter magnitudo Joannis tanta fuit, ut dum in mundum veniret, oportuit portam latiorem reddere per quam intraret. Porta per quam ad nos omnes gratiæ divinæ descendunt, est misericordia divina; & hæc licèt satis magna foret, major tamen effecta est in nativitate S. Joannis, quia: *Magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa.* Si ergò anima justificata, quæ opus est misericordiæ divinæ consuetæ, major est mundo, qualis erit Joannes, qui est effectus misericordiæ extraordinariæ, & à Deo ipso magnificatæ; quàm exiguus, & nullius momenti respectu ipsius poterit dici mundus? ita certè: *Erit magnus coram Domino.*

Probatur à simili.

9. Aliud insigne argumentum magnitudinis S. Joannis, Evangelista tribuit, dicens: *Etenim manus Domini erat cum illo.* Licèt enim Deus eodem modo omnia operetur, ut tamen nobis repræsentemus differentiam operum in seipsis, variis modis describimus Deum operari, & concurrere ad productionem operum. Nunc dicimus illum digitos adhibere, nunc manum, nunc brachium; opus digitorũ vocatur cœlum, teste Davide: *Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum.* Opus manûs ejus dicitur S. Joannes: *Etenim manus Domini erat cum illo.* Opus brachii sui vocatur incarnatio: *Fecit potentiam in brachio suo.* Hic triplex operandi modus videtur correspondere triplici ordini rerum apud Theologos: primus est, ordo naturæ; secundus, gratiæ;

Joan. 1. 66. *Opus fuit manus Dei.* Psal. 8. 4. Lucæ 1. 51.

gratiæ; tertius, unionis hypostaticæ; atque ita sicut in tertio ordine, primum locum tenet verbum incarnatum; & in primo ordine nullus præcedit mundum, ita in secundo ordine gratiæ, in primo loco, vel inter primos saltem, collocari debet S. Joannes, cujus nomen rectè gratiam indicat. Non solùm ergò in magnitudine Joannes superat mundum, sed post ordinem divinum, nihil ipso majus reperitur, meritò ergò dicitur: *Erit magnus coram Domino.*

Quare magnus coram Domino.

10. Quare autem: *coram Domino?* non sufficiebat dicere: *erit magnus* absolutè? Quinimò nónne plus fuisset sic dicere, quàm adjungere: *coram Domino?* sicut plus est dicere aliquem in seipso magnum esse, quàm dicere apud aliquem Principem magnum esse? Certè non, nam dicere: *Erit magnus coram Domino*, fuit major exaggeratio magnitudinis S. Joannis, quàm fieri posset. Quòd enim aliquis inter parvos sit magnus, non mirum est, sed quòd reputetur magnus respectu gygantis, hoc sanè mirandum, & argumentum efficax suæ magnitudinis. Sic inter homines magnos aliquos fuisse vocatos, ut Alexander, Pompejus, Carolus, &c. nil mirum, vocabantur quippe magni inter parvos; sed Joannem magnum vocatum *coram Domino*; ante Deum immensum, ante magnitudinem ipsam, hoc sanè maximè admirandum. Totus mundus teste Isaïâ, & Sapiente, est instar guttæ roris, & nihil ante Deum; Joannes tamen non tantùm est aliquid, aut parvus, sed *magnus coram Domino.* O quale judicium extraordinariæ, & immensæ magnitudinis.

Magna excellentia S. Ioannis est.

11. Magnus fuit Moyses, alloquebatur Deum facie ad faciem, operabatur miracula inaudita, magos Pharaonis confudit, liberavit populum Israël à servitute Ægyptiaca, recepit divinam legem, illamque promulgavit; quando autem sacra Scriptura vult ipsum commendare, quid ait? in Exodo sic de illo scribit: *Fuit Moyses vir magnus valdè in terra Ægypti, coram servis Pharaonis, & omni populo.* Sed quid hæc laus cum illa S. Joannis? *Vir magnus*, dicitur de Moyse, non fuit magnus dum infans esset, sed factus vir, primò ad maturitatem, ad ætatem virilem pervenit, & tunc magnus effectus; sed de Joanne ante conceptionem dicit Angelus: *Erit magnus*, non solùm quando homo perfectus fuit, aut juvenis, vel puer, sed infans, quin imò in ventre matris. Moyses fuit vir magnus ut homo solùm, sed Joannes erat magnus absolutè; non enim inter homines solùm magnus fuit, sed etiam inter Angelos; magnus sanctitate, magnus officio, magnus verbis, magnus

Exod. 11. 3.

Major est Moyse.

gnus opere, in omni re magnus. Moyses magnus fuit in terrâ Ægypti, ô quàm exigua magnitudo, non fuit magnus in universo orbe, non in omni terra, non in tota Africa, vel Asia, sed tantùm in parva Ægypti patria.

12. Ad illudendum Alexandro, qui se magnum vocari volebat, depinxit quidam parvum globum terræ, cui inscripsit: *In pusillo nemo magnus.* Ita nos de Moyse dicere possumus, in parva regione ut erat Ægyptus, quam magnitudinem habere poterat? *In pusillo nemo magnus.* Sed S. Joannes fuit absolutè magnus, in terra, aqua, cœlo, deserto, civitate, & omni loco. *Coram servis Pharaonis*, dicitur de Moyse, si quoque coram Pharaone magnus fuisset, quid hoc esset? magnus esse coram parvo, & abjecto, ut erat Pharao, cùm non esset homo justus, quid magni fuisset? quantò minùs magnus esse coram servis, aut plebe inferiore? de Joanne verò dicitur erit magnus, non coram populo, aut principe terreno, licèt hoc quoque verum esset, sed coram Domino. Non mirandum ergò S. Augustinum dicere, nullum esse majorem inter homines S. Joanne: *Nihil majus* (inquit) *exstitit in genere humano, quàm Ioannes Baptista, si quæris excellentiam hominis Ioannis Baptista est.* S. Cyrillus idem diversis verbis affirmat, dicens quòd S.

S. Joannes ubiq; magnus.

S. August. præfar. 2. in Psal. 29.

Joannes Baptista: *Ad ejus pervenit terminos, quò humana natura pervenire non potest.*

13. Ut hoc meliùs cognoscamus, consideremus paulò subtiliùs hæc verba: *coram Domino*; quæ, ni fallor, triplicem sensum habere possunt; Primò Joannem à Domino magnum judicatum: Secundò, magnum esse apud Deum, videlicet Deum illum magnifacere: Tertiò, magnum esse respectu Dei; in tribus hisce modis S. Joannes verè magnus dici potest; ô quàm admirabilis magnitudo? in primo sensu fuit *Magnus coram Domino*; habuit nempe magnitudinem non apparentem tantùm, aut fictam, sed veram, & realem, quia ante oculos divinos talis fuit, qui non falluntur; nec solùm cognoscunt magnitudinem, sed illam quoque rebus à se conspectis tribuunt. Magnitudines mundi sunt vanæ, aëreæ, & fumo similes. David videbatur magnus Rex esse, sed quomodo Deus illum judicabat? audi quid per Nathan illi intimari præcepit: *Feci tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra.* Non dicit, feci te magnum, sed dedi tibi nomen magnum, erat ergò magnitudo tituli, verborum, aut magis titulorum, quàm factorum. Nónne tamen Deus illum regem creaverat populi adeò magni, qualis erat populus Hebræorum

S. Ioa[nnes] omni m[odo] magnus.

2. Reg. 7. 8.

Non titulis sed reipsâ magnus.

bræorum, qui arenæ maris comparatus? nónne concesserat illi nobilissimas victorias, & divitias copiosas cumulare fecerat? omninò, sed hæc magnitudo est nominis tantùm, & titulorum, non habens veram substantiam: *juxta nomen magnorum.* Sequitur in sacro textu: *Qui sunt in terra*; juxtà magnitudinem terrenam, non cœlestem, aut veram. Nónne videtis omnes titulos magnitudinis mundanæ, aëreos esse; illustrissimus, clarissimus, eminentissimus, serenissimus, qui omnes solent aëri quoque tribui; præcipuè serenissimus, qui dignior æstimatur, quare hoc? ut scias omnes esse excellentias aëreas, sine fundamento, aut stabilitate. Non talis fuit excellentia S. Joannis, sed vera, realis, & stabilis, ideoque *coram Domino.*

Mundi excellentia nulla.

14. Potentes, & excellentes mundi, videntur magni, quia in alta basi sunt collocati; possident divitias, servos, exercitus, palatia, & ornamenta diversa; unde populus qui non distinguit inter basim, & staturam, æstimat illos magnos. Sed si descendant de sua basi, si videlicet auferantur divitiæ, & res externæ, ut alii homines exigui, & parvi remanent. Non sic S. Joannes, quia nullam basim habuit quæ illum elevaret, sed adhuc in profunda valle positus, & in deserto mansit abscon-

S. Ioannes verè excellens.

ditus; vestem aliam non habebat, quàm rudem de pilis camelorum, non servos, non palatia, non divitias, non cibum, aut potum habebat, quàm quem terra spontè producebat, aut casu reperiebat: nihilominùs adeò magnus evasit, ut ad ipsum videndum omnis regio confluerer. Pharisæi pro Messia illum habere volebant, Herodes Rex ipsum timebat: *Herodes enim metuebat Ioannem*, inquit S. Marcus. Quis ergò non confirebitur ipsum Herode multò majorem fuisse? imò ejus sola excellentia vera, & solida dici potuit; è contra autem Herodis, & aliorum magnitudinem, & excellentiam fictam apparentem, & falsam fuisse, ideoque non coram Deo sublimis fuit, cujus oculis omnia apparent, prout reverâ in seipsis sunt; falsa erat magnitudo, cùm enim peccator esset, non poterat verè magnus esse; quia teste S. Cyrillo Alexandrino, peccatum homines parvos efficit, & sola virtus illos magnos facit: *Peccatum* (inquit) *hominem parvum facit, & exiguum, & virtus eminentem præstat, & magnum.* Non de Herode ergò, nec de quolibet mundi monarcha, sed de S. Joanne in sanctitate eminente, dici potest: *Fuit magnus coram Domino.*

Marc. 6. 20.

S. Cyrill. Alexandr. lib. 12. in Levitic.

15. Ex dictis ergò mihi videtur illam esse differentiam, inter alios homines magnos, & S. Joan-

S. Ioannes ut sol fuit, alii Sancti ut stella.

S. Joannem, quæ est inter stellas, & solem. Stellæ sine dubio magnæ sunt, & majores ipso terræ globo, non tamen magnitudini solis æquari possunt. Pulchra quoque inter illas est differentia, stellæ quippe non splendent, nisi supra nostrum horizontem sint ortæ, in præsentia autem solis se abscondunt; sol tamen antequam nobis oriatur, illuminat terram, & producit auroram, nec aliquod est lumen, quod illum obscurare possit. Alii ergò Sancti ut stellæ fuerunt, & de ipsis loquebatur Apostolus, dicens: *Stella differt à stella in claritate.* Multamque lucem mundo afferebat, dum nobiscum degebant. At S. Joannes instar solis, antequam nasceretur lucem auroræ produxit, & cacumina montium illustravit; quia in ventre matris existens, illi spiritum suum propheticum communicavit; quandoquidem dicente S. Ambrosio: *Prophetant matres spiritu parvulorum.* Maria videlicet, & Elisabeth, spiritu Christi, & Joannis. Hinc est, quòd nativitatem S. Joannis insigni festivitate colimus, & non alterius Sancti. Alii Sancti Christo comparati, obscuri videntur, quia, ut inquit S. Job, & notat S. Gregorius Papa: *Numquid justificari potest homo comparatus Deo.* Sed S. Joannes ad præsentiam Dei apparet clarus, & magnus, quia *erit magnus coram Domino.*

1. Corinth. 15. 42.

S. Ambros. in Lucam.

Job. 25 4.

16. O qualis excellentia! de magnanimo inquit Aristoteles: *Non est admirator, neq; laudator.* Homo magnanimus, nihil admiratur, & difficulter aliquid laudat, quia nihil animô suô majus reperit; quinimò respectu suæ magnanimitatis omnia sibi parva videntur. Sed quid magnanimo cum Deo immenso? si quoque ille non admiratur aliquid, quantumvis magnum; quantò minus credendum est debere apparere coram oculis Dei? Joannes tamen adeò excellens est, ut magnus appareat in oculis Dei, ab ipso quoque laudatur, & mirabiliter laudatur; quis ergò non stupebit de ejus excellentia? sed quid dicam, non solùm Joannem judicatum magnum, sed à Deo quoque summè æstimatum? non tantùm intellectu speculativo, verùm etiam practico, & mirabiliter de ipso, ut de excellenti loquitur. Nónne videtis ipsum vix conceptum, vix ut peregrinum venire ad mundum, quin vadat visitare Joannem? Ad quid Domine tanta festinatio? si illi loqui cupias, cur non vocare curas, ut magni Principes facere solent, cum subditis suis? Cupio, responderet Christus huic interrogationi, mundum cognoscere hoc facto, quanti faciam S. Joannem,

Arist. lib. 4. Moral, cap. 3.

S. Ioannes in oculis Dei magnus

quandoquidem prima visitatio, imò primum negocium, quod in hoc mundo ago, ad ipsum particulariter directũ est. Cognovit insuper S. Elisabeth, S. Joanni hunc favorem exhibitum, ut notat Laurentius Justinianus, quia à beata Virgine salutata dixit: *Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Sed cur non dicis Elisabeth, quòd Dominus meus veniat ad me? Nónne ipsum præsentem vides? nónne cum benedicta sua matre illum venisse conspicis? imò illum matrem suam instigâsse? Respondet B. Laurentius Justinianus, cognovit Elisabeth visitationem illam non esse ad se directam, sed ad Joannem, ideòque nullam mentionem illius facit.

A Christo visitatus antequam natus.

Luc. 1. 43.

17. Nec sufficiebat Salvatori se illum semel in ventre matris salutâsse, ad desertum quoque perrexit ut baptizaretur ab illo. Baptizare est actus superioritatis, quia baptizans fit spiritualis pater baptizati. Christus autem, nónne omnium Dominus? nónne Pater omnium justorum: *Pater futuri sæculi*, juxta dictum evangelici Prophetæ? potiùs ergò videbatur, Joannem debere baptizari à Christo; sic absque dubio faciendum erat, & Joannes ipsemet confitebatur, dicens: *Ego à te baptizari debeo*. Christus autem, ut honoraret Joannem, & mundo exhiberet, quanti Joannem faceret, voluit ab ipso baptizari, & si patrem spiritualem in hoc mundo habere deberet, voluit eum Joannem esse. O qualis favor S. Ioannis! S. Thomas Aquinas ait tria à Deo bene ordinata fuisse, ut meliùs numquam fieri possent, videlicet Christum in unione hypostatica; Virginem, Matrem Filii Dei; & cœlestem beatitudinem, quæ ipsũ Deum pro objecto habet. Liceat tamen hoc mihi dicere, illis quartum adjungi posse, non potuisse videlicet digniorem facere Baptistam, S. Ioanne; quia de baptizato pervenit dignitas ad baptizantem. Cùm ergò non posset dignior Christo baptizari, sic nec dignior baptizans esse potuit S. Ioanne.

S. Ioannes pater spiritualis Christi.

Isaiæ 9. 6.

Matth. 3. 14.

Digniorem Baptistam habere non potuit.

18. Nec solùm hîc honoratur S. Ioannes à Christo, verùm etiam à Patre cœlesti; notate siquidem dum in monte Thabor Redemptor noster se transfiguraret, audiebatur vox dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* Quando verò baptizatus est, eadem vox audita est: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*; sed non fuit additum: *ipsum audite*. Quare? An tunc non erat dignus Salvator qui audiretur? Certissimè ita; scitis autem quare hoc non adjungatur, propter honorem S. Ioannis. Dicunt legis-periti, quòd

Non solùm à Christo, sed à Deo Patre honoratus.

Matth. 17. 5.

Matth. 3. 17.

quòd *inclusio unius, est exclusio alterius:* dum ergò S. Ioannes, & Christus præsentes erant, si dixisset Pater Christi: *ipsum audite*, Ioannes quasi exclusus fuisset, & derogatum fuisset ipsius auctoritati, & doctrinæ; & quasi fuisset dictum, ut non audirent Ioannem; ut ergò doctrinæ S. Ioannis nullum præjudicium inferat, modò omittitur confirmatio doctrinę Christi, videte qualiter Deus reveretur S. Ioannem. Sine consideratione quoq; pręteriri non debent verba Christi, quę hac vice S Ioanni dixit, videlicet: *Sine modò, sic enim decet nos implere omnē iustitiā.* Ex dicto: *sine modò*, colligunt S. Ieronymus, & Chrysostomus, quod paulò pòst Ioannes, à Christo baptizatus fuerit; unde nova dignitas S. Ioanni orta, cùm Salvator neminem baptizare solebat, sed discipuli ejus, ut S. Ioannes refert. Magnum ergò privilegium fuit S. Ioannis, potuisse à Christo baptizari.

Matth. 3. 15.

S Ioannes à Christo baptizatus videtur.

19. Sequitur Salvator dicendo: *Sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Sed quid intelligit per *nos?* an seipsum solum? sed Christus hunc modum non observabat, ut solent mundi magnates, qui in plurali de se loquuntur, nec tunc temporis hoc in usu erat. Dicendo ergò *nos*, credibile est seipsum, & Joannem intelligere, quasi una & eadem res sit, & eâdem regulâ gubernari debeant, quod non puto Salvatorem cum aliis exercuisse. Dixit semel Apostolis suis: *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum.* Non tamen dixit: *Ad patrem nostrum.* Et S. Petro in solutione tributi præcepit: *Vade ad mare, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & apertò ore ejus, invenies staterem, & da eis pro me, & te.* Non tamen dixit pro nobis duobus. Quid amplius, matri suæ benedictæ inquit: *Quid mihi, & tibi est mulier?* Non dixit quid nobis est? Loquendo tamen S. Joanni, non dixit, decet te, & me, sed: *Decet nos*; quasi nulla esset differentia inter illos. Sequitur: *Implere omnem justitiam*; ita ut S. Joannes, teste Christo, adimpleverit omnem justitiam, & in omni virtute perfectus fuerit.

Ibid.

S. Ioannes Christo æqualis videtur.

Ioann. 20. 17.

Matth. 17. 26.

Ioann. 2. 4.

Matt. 3. 15.

20. Nec solùm S. Joannes à Christo honoratus dum eum baptizaret, quando necdum excellentiam suam manifestaverat mundo; verùm etiam quando prædicabat, miracula patrabat, & se Deum exhibebat. Numerus annorum, & distinctio temporis, solet à rebus quibusdam notabilibus accipi ut à nativitate, vel coronatione Regum, aut Imperatorum, ita nos annos computamus à nativitate Redemptoris nostri; & antiquitùs à creatione mundi, ab exitu populi Israëlitici de Ægypto, à fundatione civitatis Romanæ, ab au-

A S. Ioanne cœlorum anni incipiunt.

ab auguratione Consulum, & Imperatorum numerabāt tempus. Christus autem unde distinctionem temporis sumit? unde vult annos cœli, initium sumere? Non ab alio, quàm à S. Joanne: *A diebus Ioannis regnum cœlorum vim patitur, Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem.* Sed cur non potiùs ab Herode, aut Cæsare Augusto? cur hic honor S. Joanni debetur? Quia illi magni tantùm sunt apud homines, sed S. Joannes apud Deum magnus est, & in cœlo: *Erit magnus coram Domino.* Tanti quoque Christus S. Joannem fecit, ut injurias illi illatas proprias æstimet. Nónne videtis quàm in passione sua se mitem, & benignum omnibus exhibeat? vocat Judam amicum, Malcho aurem restituit, respondet humiliter Pharisæis, fusè discurrit cum Pilato; Herodi solùm se indignatum ostendit, & licèt sæpiùs ab ipso interrogetur, respondere recusat. Quid hoc sibi vult? Herodes decollari fecerat Joannem, & Christus qui proprias injurias patientissimè tolerârat, sine indignatione injurias S. Ioanni factas, sufferre non vult; ideoque Herodi se indignatum monstrat. Quod ergò majus argumentum colligere possumus, æstimationis Christi de Sancto Ioanne.

Matth. 11. 12.

Ibid, 13.

Lucæ 1, 15.

Christus injurias S. Ioanni illatas, suas reputat.

S. Ioannes ut alter Christus fuit.

21. Solummodò jam considerare restat, utrum S. Ioannes adeò excellens fuerit, ut Christo comparatus, possit dici magnus; ut videtur Angelus asserere, dicens: *Erit magnus coram Domino.* Hoc fortè esset nimium desiderare, quia Ioannes licet magnus esset, finitus tamen fuit, Deus autem infinitus; & finiti ad infinitum nulla est comparatio; si ergò Deus (ut ita loquar) se extendere voluerit, S. Ioannes non tantùm parvus, sed pygmæus, & nihil videbitur. Considerando tamen Deum, in quantùm se humiliat, & nobiscum agit, secundùm exiguitatem intellectûs nostri, quasi dicere auderem, S. Ioannem adhuc magnum dici posse respectu Dei. Fuit, ut verum dicam, respectu Dei, ut lucerna exigua respectu solis; quia de illo sol justitiæ inquit: *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Sed lucerna adeò resplendens, ut non tātùm manserit obscura, ad præsentiam solis; verùm etiam solem quodammodo offuscare videretur. Pharisæi coram oculis suis quotidie solem justitiæ habebant, qui fulgentibus radijs doctrinæ, & miraculorum illos illuminabat: considerando tamen austeram, & admirabilem vitam S. Ioannis; potiùs credere volebant ipsum esse Messiam, quàm Christum. Crescit insuper admiratio, quòd S. Ioannes non operando miracula, æstimatur Christus; & Christus operando miracula

Ioann. 5. 35.

Pharisæi majorem Christo putabant.

miracula æstimetur Ioannes. Herodes quoque qui Ioannem decollaverat, aiebat: *Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in eo.* Quando duo denarij inæquales simul ponderantur, leviori aliquid adjungitur, ut ęquales fiāt; ita in bilance humani judicii, adeò æstimatus erat S. Ioannes, ut ipse ab una parte, & Salvator ab alia parte positus, ut hic non fuisset inventus minor, oportuit pondus miraculorum adjungere. Incarnatū verbum de seipso dicebat Iudæis: *Si non venissem, & opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ioanni tamen è contrà, absque eo quod perpetret miracula, vult ut omnes homines credant; quia ut inquit Evangelista, missus fuit: *Vt omnes crederent per illum.*

Matth. 14. 2.

Joann. 15. 22.

Joann. 1. 7.

22. Quid amplius dicere poterimus? ipsemet Diabolus licèt acutissimi ingenii, videtur in eo deceptus, & in suis tentationibus magis æstimâsse S. Ioannem, quàm Christum. Christo siquidem omnia regna mundi offerebat: *Ostendit ei omnia regna mundi.* Sed S. Ioanni regnum cœlorum, volens eum ut regem cœlorum honorare, & æstimare. A Christo adorari volebat, sed S. Ioannem rogabat, ut adorari se permitteret; Christo pro ultima tentatione regna terrena exhibebat; sed S. Ioanni à Pharisæis primò offerri volebat. Archangelus Gabriel, loquendo cum B. Virgine de S. Ioanne, nec deceptus, nec decipere voluit; ita tamen de illo agebat, quasi non fuisset dissimilis, aut diversus in excellentia à Salvatore; dum enim illa admiraretur altissimum incarnationis mysterium, ad hoc probandum, conceptionem S. Ioannis adduxit. Nónne tamen scimus in materia excellentiæ, non valere argumentum à minori ad majus? Non valere hoc argumentum, potes vincere hominem, ergò potes vincere Deum? Quomodo ergò Archangelus Gabriel argumentatur, Elisabeth concepit Ioannem, ergò tu poteris cōcipere Deum? non ita argumentabatur Angelus qui cum Iacobo Patriarcha luctabatur; quinimò omninò contrariè, dixit enim: *Si contra Deum, fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?* Non tamen erravit Gabriel Archangelus, adeò siquidem excellens fuit conceptio S. Ioannis, ut licèt non assimuletur conceptioni Salvatoris, requirit tamen infinitam potentiam, ideoque ab una ad alteram rectè argumentatur.

Diabolus S. Ioannem Christo prætulisse videtur.

Matt. 4. 8.

Archangelus Gabriel S. Ioannem summè æstimabat.

Genes. 32. 28.

23. Parum dixi, Christus ipse videtur vitam S. Ioannis, suæ præferre, dum diceret: *Venit Ioannes neq; manducans, neq; bibens, & dicunt, dæmonium habet;* venit

Christus vitam S. Ioannis suæ præferre videtur.

Matth. 11. 18.

venit Filius hominis manducans, & bibens; & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini. Vita ergò Salvatoris temperatissima, & sanctissima, vitæ Ioannis comparata, videtur delicata, & commoda. Non fuit tamen sol justitiæ obscuratus in S. Ioanne, quinimò (si mihi dicere liceat) clarior redditus; quia Ioannes omnem suam lucem ad Christum dirigebat, & testimonium reddebat claritatis suæ; venit enim: *Vt testimonium perhiberet de lumine.* (Joann. 1. 7.) Efficacissimum quoque fuit ejus testimonium, si enim aliud motivum habere potuerat, quàm veritatem, & si mentiri voluisset, sibi ipsi potiùs honorem Messiæ attribuendo quàm alicui alteri, facere potuisset. (*S. Ioannes testimonium Christo exhibuit.*) In hoc quoque excellentia S. Ioannis mirabiliter resplendet; quia sol ipse, quô nihil clarius, testimonium à S. Ioanne exigere voluit; quasi verò, illo medio die dicente, noctem esse, ipsi fidem adhibuissent. Amplius dico, sicut ille testimonium soli exhibuit, ita sol, testimoniũ suæ excellentiæ tribuit. Inter illos quoq; insignis videtur comparatio, quasi fuissent duo Cherubim à latere Arcæ, qui: *Clamabant alter ad alterum, sanctus, sanctus, sanctus.* (Isaiæ 6. 3.) Quia sanctus vocatur Christus à Ioanne, & Ioannes à Christo sanctus declaratus fuit; dicebat Ioannes Christũ esse agnũ Dei, & Christus aiebat, Ioannem esse Angelũ; Ioannes Christum Messiam in lege promissũ affirmabat; & Christus Ioannẽ esse Eliã promissũ aiebat. Ait denique S. Ioannes Chrysostomus: *Ioannes Christũ glorificans, humanam illi cõtulit laudem, Christus autem Ioanni divinam contulit gloriam.* (Chrysost. homil. 27. operis imperfecti.) O excellentia mirabilis!

24. Videtur mihi dicendum, S. Ioannem parum participem factum, de infinito, cui propriũ est, non posse minui; quantumcumque enim abstuleris, semper manet infinitum, ut primò erat. (*S. Ioannes in humilitate maximus.*) Ioannes quoque adeò magnus erat, ut quantumvis alii illũ minuere, & humiliare velint, mirabiliter tamen magnus apparet. (Joann. 1. 8.) De ipso nunc dicitur: *Non erat ille lux;* nunc autem: *Ioannes nullum signum fecit;* (Joann. 10. 41.) nunc illum Herodes constituit in carcere, & posteà caput aufert. Ipse quoque quid non effecit, pro humiliatione sui? nunc se vocem nominat, nunc baptizantem in aqua, nunc indignum, ut solvat corrigeam calceamẽti, Salvatoris: *Et illum oportet crescere, me autem minui;* (Joan. 3. 30.) alijsque diversis modis. An propterea parvus manet? quinimò major videtur quàm umquam. (*O Ex se nihil, alia multiplicat.*) Insignis est Arithmeticæ regula, de o innumero, quod licèt ex se nihil valeat, vel efficiat; aliis tamen numeris adjunctũ, supra modũ illos multiplicat; si enim numero 2 adjungas o, faciet 20; & si alterum

alterum o, faciet 200; & si tertiū adjungas, 2000; sicq; in infinitum. Non aliter in Arithmetica spirituali evenit, in multiplicatione virtutum; quia illud o est humilis sui ipsius cognitio, id est, se nihil reputare; nec dici potest quantùm hoc augeat sanctitatē, & virtutem. S. Ioannes ergò adeò in sanctitate excelluit, ut potuistis audivisse; sed quid erit, si illam per *nullo*, sive o multiplicemus, id est, per humilem cognitionē sui ipsius? transcendet omnes numeros, & quantitatem illorum. Quis enim non videt quàm sollicitus fuerit S. Ioannes, ut se per humilitatem promoveret? non meministis quando Pharisæi miserunt Ierosolymis, ministros ut interrogarent eum: *Tu quis es?* O quantùm se humiliavit, quàm multa o addidit numero sanctitatis? *Et confessus est, & non negavit, & confessus est, quia non sum ego Christus.* Quid opus erat tot verba multiplicare? non sufficiebat dicere confessus est? si hoc solùm dixisset Evangelista, credidisses forsan, illum frigidè negâsse, aut unâ vice solùm; voluit ergò per hanc multiplicationem intelligere, & indicare nobis, S. Ioannem omni affectu veraciter, & sæpiùs negâsse, & dixisse: *Non sum ego Christus.* Quoties etiam idem replicabat, tot *nullo* virtutibus suis, & sanctitati adjunxit; & per consequens per cētenaria, & millenaria multiplicavit. Nec hic se continuit humilitas; interrogatus siquidem ulterius: *Elias es tu?* respondit: *Non sum.* Ecce aliud *nullo*: *Propheta es tu?* respondit: *Non sum.* Ecce aliud: cúmque interrogarent: *Quid ergò baptizas?* respondit: *Ego baptizo in aqua*; meus baptismus in aqua solùm est, nullam habet virtutem; ecce aliud *nullo.* Ulteriùs interrogantibus: *Quid ergò es?* respondit: *Ego vox*, parum aëris, ecce aliud *nullo.* Se quoque in cōparatione Christi humiliavit, dicens: *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Ecce aliud *nullo.* O quantùm adjunxit S. Ioannes suæ sanctitati, & virtutibus, ideoque quis dicere poterit, quantùm excellentiam suam auxerit.

Sic humilitas S. Ioannis.

Joan. 1, 20.

Joan. 1, 26.

25. *Erit magnus coram Domino*; coram quo nullus magnus, nisi humilis: De Samuele notat S. Gregorius Papa, illum pariter dici magnum, & parvum: *Magnificatus est puer Samuel apud Dominum*: sed quo modo magnus factus, si puer erat? Quinimò propter hoc, erat magnus, quia puer erat; non solùm quoad ætatem, sed quod magis refert, quoad humilitatem: *Notandum* (inquit) *quòd puer Samuel dicitur, & magnificatus, cur ergò puer, nisi quia humilis? cur magnificatus asseritur, nisi quia ad perfectionis erat cel-*

Humilitas excellentiæ fundamentum.

1. Reg. 2. 21.

rat celsitudinem sublimatus? Hanc spiritualem pueritiam, cupiebat Salomon in se conservare, idcoque rogando à Deo sapientiam, à qua facillimè superbia nascitur, juxtà dictum Apostoli: *Scientia inflat*; rogabat simul ut illum in numero parvulorum conservaret: *Da mihi* (inquit) *sedium tuarum aßistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis.* Ex his pueris per humilitatem fuit semper S. Ioannes, & ideo magnus coram Domino: *Magnus* (inquit S. Ambrosius) *non virtute corporis, sed animi magnitudine, parvulus in sæculo, magnus in spiritu.* Quomodo etiam humilis magnus erit, si à Deo respiciatur: *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit*, inquit Propheta regius.

1. Corinth. 8. 2.

Sapien. 9. 4.

Psalm. 137. 6.

26. Pulcherrima est differentia inter visum, & cognitionem; visus pro objecto solũ pręsentia habet, & vicina; cognitio autem etiã longinqua, & absentia suo objecto includit. Respicere propriè dicitur de rebus, quas cum delectatione videmus; cognoscere autem etiam de illis quas odimus. Superbi ergò licèt magni, & alti, à Deo tamen multùm distant, viles sunt, & odio ab ipso habentur; ideoque à longè cognoscuntur. Humiles è contrà ipsi vicini sunt, amantur, & benignè respiciuntur. Sed quis nescit quàm potens sit oculus divinus, ut exaltet ea, quæ intuetur? *Respiciam vos* (inquit) *& crescere vos faciam.* Optimè hoc Origenes explicat similitudine solis, qui respiciendo arbores, & herbas, eas crescere facit: *Tamquam si sol* (inquit) *respiciat segetem, ut afferat fructus; quam utique si non respexisset, infructuosa mansisset. Ita Deus segetem cordis nostri respiciens, & radiis nos verbi sui illuminans, auget nos, & multiplicat; ut ultrà jam non simus parvuli, sed magni efficiamur, sicut magnus effectus est Isaac, & magnus Moyses, & magnus Ioannes.* Quantumcunque etiam quis se humiliando, videtur longè à Deo recedere; tantò magis Deus illi appropinquat. Hoc rectè insinuat S. Petrus Chrysologus, dicens: *Quia Deus charitas, Deus humilitas est, cùm per humilitatem, sive per charitatem, à Deo quisquam procul absistit, miro modo, quantùm à Deo quasi recedit, tantò illi proximus fit.*

Differentia inter visum, & cognitionem.

Humiles Deo vicini, superbi longè absunt.

Levit. 26. 9.

Origenes lib. 16. in Levitic.

S. Petr. Chrysol. serm. 10.

27. Ad hanc ergò magnitudinem vellem vos omnes aspirare, atque hanc, & non aliam sanctè ambire, prout David cupiebat, dicens: *In Domino laudabitur anima mea*; quis tamen ignorat quantas occasiones gloriandi haberet, & laudem à mundo expectandi? Adeò fuit robustus, & fortis, ut non tantùm absque armis, ludendo quasi, leonem, & ursum interficeret; verùm etiam machinam illam

In Domino exultandum.

Psal. 33. 3.

illam grandem, gygantem, inquam, Goliath, qui totum Israëliticum populum timore concutiebat, ad terram dejiceret, & caput ejus triumphando, & jubilando, in Ierusalem deferret. De hac ergò insigni victoria, ob quam à puellis Hebræis tantam laudem consequutus es, non gloriaris ô David? minimè inquit: *In Domino laudabitur anima mea.* Si non cupias laudes pro victoria mortalium; ad minus non acceptabis pro victoria contra infernales hostes, quandoquidem tantâ dexteritate novisti citharam pulsare, ut ad sonum vestrum diabolus vires perderet, & desineret affligere Saul? nec ideò; sed: *In Domino laudabitur anima mea.* Si propter fortitudinem non acceptes laudes; ad minus propter sapientiam recipies, quandoquidem cōposueris tot mysteriosos Psalmos, donum prophetiæ habueris, & Angelis assimulatus fueris? *In Domino laudabitur anima mea.* Nónne permittes te laudari, quia ex nobilissima stirpe Iuda ortus es, quia adeptus es regnum Israël, quia pulcher aspectu es, quia inimicis ignovisti, quia in pace, & bello tot insignia facta executus es? haud quaquam inquit: *In Domino laudabitur anima mea.* Si David ergò fortis, sapiens, Propheta, Rex magnanimus, famosus, & tot dotibus, ac favoribus cœlestibus insignitus; cognovit non in alio, quàm in Deo gloriandum: qualis erit verecundia, si nos viles vermiculi, præsumemus gloriari in alio quàm in Deo? Non æstimemus ergò hujus mundi excellētiam, & gloriam; sed illam quæ nos apud Deum, & regem cœlorum magnos efficit. Si quoque alias virtutes, & excellentias S. Joannis imitari nequiverimus; addiscamus ad minus ab ipso humilitatem: qualem enim excusationem adferemus, si illam imitati non fuerimus? S. Joannes adeò eminens in sanctitate, tam humiliter de se sentit; non admittit laudes indebitas, respuit quoque jure meritò debitas; & tu adeò extolleris? semper laudari cupis? non pateris te reprehendi? peccata confiteri recusas? Ampliùs dicô, de peccatis adhuc gloriari cupis? Ab operibus malis commendari desideras? O superbia Luciferiana? flammis infernalibus expiari digna? Proponamus ergò firmiter humilitatem sectari, defectus nostros cognoscere, & confiteri; hoc siquidem modo constituemus fundamentum ad veram excellentiam perveniendi.

David nullas hominū laudes exigebat.

In Domino omnis gloria ponenda.

Humilitas S. Ioannis imitanda.

SECUNDA PARS.

28. Vix natus filius magni Principis, subitò de uxore

xore digna tribuenda agitur. Non immeritò ergò de S. Joanne, quô inter natos mulierum non surrexit major Princeps, inquiremus, quæ illi de cœlis sponsa destinata fuerit? Nec defuit certè qui illum sponsum habere cupiebat; & inter cæteros excellens Domina, & fortè potentior quæ illis temporibus reperiebatur, eâ ratione nobilem legationem illi mittebat, & dotem insignem offerebat. Scitis qualis erat? Synagoga Hebræorum, quæ cum illo nuptias inire desiderans, dignitatem Messiæ offerebat. S. Joannes tamen inimicissimus adulterio semper fuit; ideoque videmus illud nec in Herode sufferre potuisse; quia tamen videbatur discipulos ejus hoc summoperè admirari; ipsis respondit, amicum se esse sponsi, ideò se nolle illi injuriam inferre: *Amicus sponsi* (inquit de seipso) *stat, & gaudet propter vocem sponsi.* Qualis ergò sponsa ejus fuit? Alia nobilissima Domina parum æstimata, quia incognita, tribulatio, inquam. An vobis extraneum videatur, me tribulationem sponsam vocare? Et ego vobis dico, hoc illi ita proprium esse, ut non fiant nuptiæ sine illa, nec ulla est sponsa, quæ non possit tribulatio vocari. Nec mea hæc excogitatio; sed S. Pauli, qui Corinthiis scribens de sponsalitiis, ait:

Synagoga S. Ioanni sponsare cupiebat.

Ioan. 3.29.

Tribulatio ipsi desponsata fuit.

Si acceperis uxorem, non peccâsti; & si nupserit virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Non peccant vir, aut mulier nubendo, sed quid faciunt? tribulationem accipiunt: *Tribulationem carnis habebunt ejusmodi.* Ita ut tantum sit accipere uxorem, quàm tribulationem accipere.

1. Corinth. 7.28.

29. Supra hæc verba S. Jeronymus scribens, ait: *Nos ignari rerum putabamus nuptias saltem carnis, habere lætitiam; si autem nubentibus tribulatio est, quid ergò erit reliquum, propter quod nubunt? cùm & in spiritu, & in anima, & ipsa carne tribulatio sit?* Quasi diceret, si carni ipsi ad cujus oblectationem nuptiæ fiunt, tribulationem adferant; quid facient spiritui, cujus operationes impediunt, cum quo nullam habent amicitiam, nec conjunctionem? Adeò certè magna est tribulatio, quæ in nuptijs reperitur, quòd, ut S. Augustinus notat, noluerit Apostolus illam explicare, ut fideles non superfluè deterrerentur, & videretur matrimonium ut malum, reprobare: *Tribulatio autem* (inquit) *est in suspicionibus zeli conjugalis, in procreandis filiis, atq; nutriendis, in timoribus, & mœroribus orbitatis, quos neq; nos exaggerare debemus, ne ipsis non parcamus, quibus parcendum existimavit Apostolus; postquam dixit, tribulationem carnis habebunt hujusmodi,*

S. Jeron. ad Ioann. lib. 4.

Nuptiæ carnales tribulationes sunt.

S. August. lib. de S. Virgin. cap. 6.

modi, addens, ego autem vobis parco, hoc enim est, nolo recensere labores, qui hunc statum comitantur. Gentiles quoque hoc cognoscebant, quia sponsos herbâ amarâ, & pungente coronabant; faces autem quas in nuptijs accendebant, erant ex spina alba, teste Plinio; unde quidam emblema conficiens, pro dicto apposuit: *Pungit, & ardet.* Fax videlicet Hymenæa; cogita ergò si tribulationem adducat. Si uxorem pulchram ducis, zelotypiâ transfigeris; si deformem, à consortio ejus abhorres; si benevolam, timebis ne cum alijs quoque ita sit; si rudem, & incivilem, semper in jurgio eris; si filios non procreet, fine matrimonii privaberis; si fœcunda fuerit, pondus, & fastidium afferet, ut filios enutrias. *Tribulationem* denique *carnis habebunt*; qui sponsam nominat, tribulationem inquit.

Gentiles hoc cognoverunt.

30. Qui sponsam habet, ab omni alio se separat; quia: *Relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ.* Afflictus quoque, solitudine gaudet, nec cuiquam loqui vellet, & ab omnibus deseritur; quia: *Si fortuna perit, nullus amicus erit.* Inter amicos omnia communia sunt sponsâ exceptâ, hæc à nullo participatur, quantumvis amico. Qui autem pretium tribulationis cognoscit, sibi soli illam reservat. Ita S. Paulus benignus, & liberalis omnibus erat, quando verò de sponsa sua & tribulatione agebatur, sibi soli illam reservare volebat: *Opto omnes hodie fieri tales, qualis ego sum.* Vellem omnibus mea bona communicare unô exceptô, quid hoc est S. Paule? exceptâ meâ sponsâ, quæ est tribulatio; illam nemini cedere volo: *Exceptis vinculis his.* S. Joannes Chrysostomus quoque amore hujus sponsę inflāmatus, videtur mentem S. Pauli optimè penetrâsse, cùm dicit: *Ubiq; S. Paulus gloriatur, quòd vinctus sit ob Christum, loquens tamen Festo, inquit, se optare omnes sicut ipsum esse, exceptis vinculis, non quòd vincula bona non essent, sed quia hoc sacramentum magnum, non erat illi reservandum.* Sed quid sibi vult *sacramentum magnum*? Explicet Apostolus verba sui interpretis, loquens S. Paulus de sponsalitio Adami, cum Eva, dixit: *Hoc sacramentum magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*; Ita ut tantum sit dicere sacramentum magnum, quàm sponsalitium; & consequenter, interim dum S. Chrysostomus inquit: ipsum non velle manifestare sacramentum magnum, quod erat in suis vinculis; fuit tantum ac dicere sponsalitium quod contraxerat cum illis. Hoc magis confirmatur, quia matrimonium apud eundem Apostolum vocatur vinculum: *Mulier* (inquit)

Gen. 2.24.

Amicis cuncta communia sponsâ exceptâ.

Actor. 26. 24.

Chrysost. homil. 17. ad popul.

S. Paulus de vinculis ut de sponsa zelosus.

Ad Ephes. 5. 32.

1. Corint. 7.39. quit) *alligata est legi, quantô tempore vir ejus vivit*. Maritô quoque inquit: *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem*. (1. Corinth. 7.27.) Non mirum ergò si etiam in suis vinculis recognoscebat matrimonium. Sapiens etiam universaliter dixit: *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus*. (Proverb. 14. 10.) Qui pulchritudinem hujus sponsæ novit, non permittet, ut alius illâ fruatur. Hæc sponsa fœcundissima est, quia, *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem*: (Rom. 5. 3.) Hanc sponsam possidentibus, dicitur: *Fructum afferunt in patientia*. (Luc. 8. 15.)

31. Optimus mos antiquitùs apud quosdam populos erat, referente Athenæo, matrimonium celebrandi; cùm nimirum puella matrimonium inire vellet, non eligebatur sponsus à patre, vel matre, vel aliis amicis, sed ipsamet eligebat hoc modo; convivium fiebat in domo sua, ad quod omnes illam prætendentes invitabantur; ipsa autem singulos intuita, illum eligebat, qui plùs illi placebat; suam voluntatem non verbis exprimens, sed scyphum vino plenum, illi bibendum offerens; cui siquidem hic favor fiebat, se sponsum ab ea electum intelligebat. Hæc consuetudo imitata quoque fuit à Theodolinda, Longobardorum Regina, cùm enim post mortem primi mariti alium eligere deberet, cui regnum tribueret, advocare jussit Agisulphum Taurinorum Ducem, cui scyphum vini offerens, maritum suum declaravit. Nec hoc sine fundamento Scripturæ sacræ est; Eliezer siquidem servus Abraham, sponsam requirens Isaac filio Domini sui, ut non erraret; nescivit melius reperire judicium, quàm illam accipere, quæ illi potum offerebat. Unde intra se concludebat, illam debere esse sponsam, à qua potum petendo, responsum acciperet, libenter se daturam, non tantùm illi, sed etiam camelis suis, ut rectè illi accidit. Non videtis quoque tribulationem optimè figurari, cum calice in manu. Ideò Christus dixit filiis Zebedæi: *Calicem meum bibetis*; id est, sufferetis tribulationẽ; & martyrium amore mei subibitis. (Matth. 20. 23.) Propheta regius se promptum ad hunc calicem bibendum declarans, dicebat: *Calicem salutaris accipiam*. (Psalm. 115. 13.) Accipiam videlicet libenter hunc calicem, qui mihi salutem afferet. Quid mirum ergò, matrimonium contrahi, inter tribulationem, & illum, qui calicem ab eo propinatum accipit, & bibit?

Mos antiquus matrimonium celebrandi.

Tribulatio rectè per calicem figurata.

32. Sponsa conditionem sponsi sui sequitur, ut si hic Rex sit, illa quoque Regina erit, si plebejus & vilis, illa quoque sic erit,

Sponsa conditionem sponsi sequitur.

erit. Pariter tribulatio sequitur conditionem tribulati, & afflicti; si bonus est, etiam illa bona erit, si malus, mala. Ita quoque mors, modò vocatur bona, nobilis, & pretiosa, quia justis conjuncta est, qui laude digni sunt: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Modò pessima, quia sceleratis sociata: *Mors peccatorum pessima.* Potentibus verò juncta, etiam fit potens, quia: *Potentes potenter tormenta patientur.* Hæc fuit sponsa S. Joannis Baptistæ, licèt enim verum sit inter Angelicos spiritus non esse matrimonium, quia juxta dictum Salvatoris: *In resurrectione neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* Tribulationis quoque incapaces sunt, quia: *Semper vident faciem Patris:* Ideoque non affliguntur. Joannes tamen, quia est Angelus per gratiam, & homo per naturam; ut Angelus se virginem conservat, nec matrimonium contrahit; ut homo tamen voluntariè, & libenter patitur, & tribulationem ut sponsam assumit. Quid hoc mirum, cùm ipsimet Angeli, licèt non ducant uxores (quia non solùm naturam, verùm etiam voluntatem habeant repugnantem) tribulationis tamen adeò sunt amantes, & cupidi, ut præcipuum æstimarent favorem, posse illi conjungi. Dum S. Joannes Evangelista

Psalm. 115. 14.

Psalm. 33. 22.

Sapient. 6. 7.

Matth. 20. 30.

Matth. 18. 10.

Angeli tribulationem amant.

volebat adorare Angelum, qui illi optima nova è cœlis deferebat; noluit admittere Angelus, & dixit: *Vide ne feceris, conservus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu.* Socius meus es, prout omnes qui pro nomine Christi patiuntur, hoc enim indicat: *Habentium testimonium Iesu.* Quasi diceret, licèt ego te in gloria superem, tu me in tribulatione, quam pro Christo pateris, superas; nec tantùm tè comitem voco, quia virgo es, sed quia sponsus tribulationis es.

Apocalypf. 19. 10.

33. Dicet fortè quispiam, quomodo matrimonium inivit cum tribulatione? nuptiæ sunt ad propagationem generis humani, & tribulatio mortem causat. Possem dicere reperiri nuptias mortem causantes; sic de serpente dicitur, quòd conjungendo se viperæ in actu conjugali, illa caput ejus truncat, & occidit. Pariter Joannes imitatus vitam, & prudentiam serpentis, fugiendo præcipuè hominum consortia juxta consilium Salvatoris, qui postquam dixerat: *Estote prudentes sicut serpentes;* subjecit quasi se explicando: *Cavete autem ab hominibus.* In morte quoque serpentem imitatus, caput suum abscindi permisit, à dilecta sponsa sua tribulatione. Meliùs quoque dicamus, quòd sicut matrimonium carnale, est princi-

Quomodo tribulatio mortem causat?

Matth. 10. 16.

Ibid. 17.

pium vitæ temporalis; sic matrimonium tribulationis, multis est occasio vitæ spiritualis. Tertullianus sanguinem martyrum semen vocabat; Salvator
Ioann. 12. 25. etiam apertè inquit: *Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hanc sponsam à ventre matris suæ dilexit Joannes; nónne videtis illum in ventre
Lucæ 1. 44. tre exultare: *Exultavit in gaudio infans in utero meo.* Tam citò
Cur S. Ioannes in ventre exultavit? Joannes saltas? ô si scires, propter saltationem unam tibi caput amputandum, fortè saltationem non ita diligeres. Quinimò, inquit, ideo modò salto, ut offeram me huic matrimonio, quod fiet, per saltationem. Vix natus, cum hac sponsa sua agere cœpit; ab Herode siquidem persequutus, dum innocentes occideret. Postmodùm quæsivit eam in deserto, & usque in domum Herodis prosecutus est, ubi tandé nuptię celebratę sunt.

Solennes nuptiæ S. Ioannis. 34. Hæ nuptiæ adeò fuerunt solennes, ut potentissimi totius mundi interfuerint; hi sunt quatuor illi qui in convivio Darii, potétiores omnium vocati fuerunt; nimirum Rex, vinum, mulier, & veritas; hi omnes ad has nuptias concurrerunt; Rex fuit Herodes, vinum adfuit quia erat convivii tempore; mulier fuit Herodias; & veritas per juramentum affirmata:
Marc. 6. 26. *Propter jusjurandum, & simul discumbentes noluit eam contristare.* Patet quoque amor immensus quem Joannes erga sponsam suam gerebat; ex odio quo inimicos persequebatur; si enim amicis omnia sint communia, etiam inimici communes esse debent. Inimici ergò tribulationis, ut sunt voluptas, delectatio sensualis, à S. Joanne semper longissimè absfuerunt, eosque omnimodo effugere, & persequi conatus est. *Ab omni voluptate alienus.* Vix quippe pedes figere, & gressus dirigere poterat; quin subitò ad eremum secessit, ut delectationes, & sensualitates mundanas effugeret; ubi adeò austeram vitam ab omnibus commoditatibus alienam duxit, ut de ipso Salvator dixerit: *Venit Ioannes non manducans, neq; bibens.* Quinimò ita à delectationibus abhorruit, ut sicut nos maximè aliquem locum abhorrentes dicimus, nollem ibi vel depictus esse; sic S. Joannes, in convivijs, & saltationibus, ne quidem nominari; sed potiùs mori cupiebat. Hoc solitâ suâ eloquentiâ clarissimè describit S. Petrus Chrysologus: *Ioannes virtute sobrietatis, ubi inter risus, saltus, & delicias, nomen ejus insonuit, statim moritur.* Matth. 11. 18.

35. Adeò deniq; hanc sponsam diligere voluit, ut ne quidé mortuus ab ea separari voluerit. *S. Ioannes post mortem pati voluit.* Solent sponsi qui in hac vita se invicem summoperè diligunt, mortui, in eodem sepulchro sepeliri;

peliri; ita qui tribulationē diligunt, etiam post mortem illam habere cupiunt, quantùm ipsis possibile fuerit. Hoc preclarè testatur S. Ambrosius: *In oratione de fide resurrectionis*; ubi considerat Patriarcham Jacobum, morti vicinum, precatum fuisse Ioseph, ne relinqueret corpus suum in Ægypto, sed deferret ossa sua, in terram Chanaam in sepulchrum parentum suorum; rationem autem reddens, ait, ut etiam post mortem pateretur: *Sanctus Patriarcha Israël* (inquit) *profugus patriâ, fratre, parentibus, stuprum filiæ, generis necem flevit, famem pertulit, sepulturam defunctus amisit, & transferri etiam ossa, ne vel mortuus requiesceret, obsecravit.* Pariter S. Joanni Baptistæ accidit, nam post mortem ab impio Juliano Apostata corpus ejus concrematum, & in cineres redactum fuit; non sine Dei providentia, qui sic desiderio S. Joannis satisfacere voluit; ut post mortem eô quô poterat modô pateretur, sicque dilectâ sponsâ suâ frueretur.

S. Ambros. in orat. de fide resurrect.

Tribulatio unicuique propria.

36. Dicet fortè quispiam me dixisse Joannem alienam sponsam noluisse admittere, quomodo ergo tribulationem omnibus communem obviam admittere voluit? Respondeo, sicut mulieres plurimæ sunt, ita pariter tribulatio, unusquisque particularem habet; non meministis dicti Salvatoris: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Crucem suam*, dixit, *non communem*; quia unusquisque propriam habet, ita S. Joannes propriam habuit, non verò alijs communem. Quis enim ut S. Joannes fuit, qui à septennio in desertum secessit, ut asperâ pœnitentiâ vitam duceret? quis umquam adeò crudelis erga seipsum fuit, cùm tamen esset innocens? Quis se non tantùm mundi delicijs, & voluptatibus, quas non curabat, verùm etiam dulcissimâ, & amabilissimâ præsentiâ Salvatoris sui ita privavit? sciebat illum in mundum venisse, ipsumque præsentem in ventre matris habuisse, licèt oculis corporalibus videre non potuisset, tantamque lætitiam exhibuisse, ut exultaverit in utero matris; cogita ergò qualiter ipsi servire, & adesse cupiebat. Si omnes Patriarchæ, & Prophetæ veteris Testamenti; deficiebant præ hoc desiderio; quali Joannes affici debebat desiderio, qui meliùs noverat Salvatoris excellentiam, magis illum diligebat, illique tantò vicinior erat? Si David aut Isaias intellexissent, in civitate vicina venisse, & apparuisse expectatum Messiam, speciosum inter filios hominum, qui salutem toti mundo adferre venerat; quis illos retinere potuisset, quin subitò omni-

Matth. 16. 24.

Aspera S. Ioannis pœnitentia.

omnibus relictis, ad ipsum accurrissent, ut illum videre, pedes ejus deosculari, & promtum servitium offerre potuissent? Joannes tamen omnia sciens, majorique ardore amoris quàm ipsi inflammatus, se mortificare volebat, nec deserto exire, ut illum videret, aut prædicationem ejus perciperet. Sciebat quippe hoc in majus Dei servitium cedere; sicque testimonium ejus majoris roboris fore, cùm nullam possent suspicionem habere, illum anteà secum egisse. O qualis hæc tribulatio Joannis, tantò major illâ, quam sufferebat in relinquendo matrem, domum paternam, & cætera omnia; cùm illud quod relinquebat, erat medium dignius, & ab ipso plùs desideratum, & amatum.

S. Ioannes se maximè mortificavit.

37. Quid dicam de tribulatione quam in carcere pertulit, ubi catenis constrictus, & morte condemnatus, in præmium puellæ saltantis cessit? poterátne siquidem caput S. Joannis minori pretiô vendi? poterátne magis contemni? omnia hæc ornamenta præcipua sponsę suę erant. Alia insuper ipse adjunxit, nō enim humiliatione mortis contentus, seipsum adeò humiliavit, quantùm possibile fuerit; cùm ignorantis instar, quasi non fuisset spiritu Prophetico plenus, discipulos suos ad Salvatorem miserit, ut peterent, si ipse esset Messias. Quantò magis autem se humiliabat, tantò gloriosior evadebat, juxta dictum Prophetæ regii: *Ludam, & vilior fiam coram Domino, & gloriosior apparebo.* Non solùm quia hinc Salvator occasionem accepit, ipsum summopere laudandi; verùm etiam quia hoc modo ut persona insignis, non verò ut vilis, & abjecta, se ad mortem disponebat.

Summa ejus humilitas.

2. Reg. 6. 22.

38. Prædicta clariùs intelligemus, si attendamus, quod dum persona nobilis, justitiâ plectendus est, illique sit caput amputandum; non audet carnifex illi manum admovere, & disponere ad ictum recipiendum, sed ipsemet, vel fidelis quispiam servus, collare deponit, vestesque aptat: postea verò permittit, ut carnifex ictu gladii illi caput amputet. Dum autem persona vilis justitiâ punitur, ipsemet carnifex omnia disponit. Nos omnes propter peccatum primi parentis nostri, condemnati sumus, & mors ipsa carnifex destinata; pulcherrima tamen est differentia, inter animos nobiles, & plebeos, ac viles; hi siquidem non solùm exspectant, ut mors illis ictum infligat, & vitam auferat; verùm etiam ut illos vestibus denudet, & omnia disponat; quia ad ultimam usque horam divitias, commoditates, & omnia quæ in hoc mundo possident cum

Quomodo nobilis & plebeus plectitur.

cum affectu retinent. Alii verò nolunt mortem illos spoliare, sed ipsimet paulatim omnia dimittunt, abdicant quoque affectum antequam veniat ultimum punctum; pauperibus divitias distribuunt, se commoditatibus privant, dignitates renuntiant, negotia seponunt, & mortis ictum placidè exspectant. Pari modo S. Joannes fecit, quia excellens persona erat, noluit mortem in eo aliquid auferendum reperire; cumque non divitiis, nec commoditatibus polleret, sed nomine, & opinione hominum prudentum magnus haberetur; ecce mittit Discipulos suos ad Christum, interrogans si ipse verus esset Messias; se spoliabat spiritu Prophetico, omnique sanctitate, ut nudus mortis ictum præstolaretur.

S. Ioannes generosè mortuus.

Ejus sponsa nobilissima fuit.

39. Illa denique S. Joannis sponsa adeò fuit nobilis, & excellens, ut cognata sponsæ Salvatoris dici posset. Nec pro tali dedignatus est ipsam Salvator honorare, loquens de S. Joanne, inquit: *Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt, sic & Filius hominis passurus est ab eis.* Fecerunt contra S. Joannem omnia quæ voluerunt; ecce tribulatio sponsa Joannis: *Sic & Filius hominis passurus est ab eis*: Ecce sponsa Christi, similis S. Joannis. Ratione ergò parentum, qui sunt Pharisæi; hæ duæ sponsæ sunt sorores sibi invicem similes, dicit enim: *Sic Filius hominis*: O quàm nobilis, & excellens hæc sponsa S. Joannis fuit.

Matth. 17. 12.

40. Sed quam dotem illi attulit? pretiosissimum regnum, nempe cœlorum: *A tempore Ioannis regnum cœlorum vim patitur.* Posuit in capite ejus pulcherrimam coronam, per ipsam enim martyrii coronam adeptus est. Regnum ergò cœlorum, dos est tribulationis; nec alio modo adipisci potest, quàm illam in sponsam sumendo. Dos privilegiata est, nec alienari potest, nolunt quippe leges sponsam sine dote manere. Quantùm ergò deciperis Christiane, cogitando te dotem hanc sine sponsalitio possidere posse? velles possessionem, sed nolles ducere Ruth in uxorem; velles nuptiis Christi perfrui, sed non cum illo pati: *Quàm pauci* (inquit S. Bernardus) *post te, ô Domine Iesu, ire volunt, cùm tamen ad te pervenire nemo possit, qui nolit, hoc scie͠tibus cunctis, quia delectationes in dextera tua usq; in finem, propterea volunt omnes te frui, at non ita imitari; conregnare cupiunt, sed non compati.* Magna est hominum deceptio, & illusio. S. Joannes fuit cognatus Regis cœlorum, ejus præcursor, qui præclarissimum de illo protulit testimo-

Matth. 11. 12.

Insignem dotem S. Ioannes accepit.

S. Bernard. serm. 21. in Cantic.

Tribulatio cunctis sustinenda.

stimonium, sanctificatus in ventre matris, ab omni peccato longissimè remotus; ut tamen dotem cœlestis regni percipiat, oportuit illum tribulationem in sponsam ducere, quomodo tu igitur sine his nuptiis illo frui confidis? Alacriter, ergò eam amplectamur, amemus illam ut charam sponsam nostram, fruemur siquidem ejus pretiosissimâ dote, quæ est regnum cœlorum, quod nobis Deus per misericordiam suam concedere dignetur. Amen.



DISCUR-

DISCVRSVS XIII.

In festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Patronorum tribulationis.

De excellentia, ac prærogativis eorum, quarum præcipua, quòd pro Christo pati dignati fuerunt.

Hodie Simon Petrus ascendit crucis patibulum;
Hodie Paulus inclinato capite pro Christo coronatur.

SUMMARIUM DISCURSUS.

SS. Petrus, & Paulus, duæ cœli columnæ, hodie cœlum ascendunt. num. 1. 2.

Tribulatione quàm Apostolatu gloriosiores. num. 3. 4. 5. 6.

S. Petrus tribulatione quàm Papatu excellentior. num. 7. 8. 9. 10.

Major consolatio mori pro Christo, quàm dignitate frui. num. 11. 12. 13. 14.

Propter tribulationem à Christo canonizatus. num. 15. 16.

Multò nobilius pati pro Christo, quàm ab Angelo liberari. num. 17. 18. 19.

Per tribulationem Christo adæquatus. num. 20. 21. 22.

Tribulatione quàm miraculis clarior. num. 23. 24.

SS. Petrus, & Paulus æquales meritis. num. 25. 26.

Majus privilegium pro Christo hîc pati, quàm in cœlum rapi. num. 27. 28. 29.

Per tribulationem S. Paulus nomen Christi portavit. num. 30. 31. 32. 33. 34.

Tribulatione quàm doctrinâ insignior, inde nobis imitandus. à num. 35. *usque ad finem.*

SS. Petrus, & Paulus duæ columnæ cœli.

1. Ancti Petrus, & Paulus charissima, & dulcissimą nostra recordatio; magna Ecclesiastici cœli luminaria, mystici corporis Christi oculi resplendentes, gemmæ pretiosissimę regalem Redemptoris coronam adornantes, portæ patentes cœlestis Paradisi, patres, magistri, duces, conductores, defensores, pæne dixero

animæ nostræ. Petrus, & Paulus, duæ columnæ pulcherrimæ, & validissimæ, quas ad sustentandum cœli palatium, divina fabricavit sapientia. Fortissimæ, & pretiosissimæ columnæ manu divinâ firmatæ: *Ego confirmavi columnas ejus.* Qui ut pedes Christo inserviunt: *Pedes ejus tamquam columnæ.* Supra aurum divinæ gratiæ fundati: *Fundatæ super bases aureas.* Argenteæ propter puritatem vitæ: *Columnas ejus fecit argenteas.* Marmoreæ propter fortitudinem: *Crura illius columnæ marmoreæ.* Ex ære fusæ propter eloquentiam: *Finxit duas columnas æreas.* Columnæ erectæ propter rectam intentionem Deo placendi; fortes propter patientiam in tribulatione perferenda; altæ propter auctoritatem quæ ad portas usque cœlorum pertingit. Columnæ non ut Herculeæ maris transitum prohibentes, superbum navigantibus edictum intimant: *Non plus ultrà*; sed unumquemque invitantes, ut è mundo ad cœlum se transferat, magnâ voce clamantes: *Plus ultrà, plus ultrà.* Si quoque ad merita illorum respicere velimus, in fronte scriptum deferunt: *Non plus ultrà.* Quia impossibile videtur homini mortali illorum merita superare.

Psal. 74. 4. Apoc. 10. 1. Cantic. 5. 15. Cant. 3. 10. Cant. 5. 15. 3. Reg. 7. 15.

Hodie ambo cœlum ascẽdunt.

2. Duo hæc ingentia luminaria hodie occidunt, & oriuntur; moriuntur terræ, & cœlo nascuntur; moriuntur vitâ miserâ, & infelice, nascuntur ad vitam immortalem, & beatam; moriuntur nobis, nascuntur Angelis, & Deo. S. Petrus scalam cœlorum, ex cruce suâ conficiens, cœlos ascendit; S. Paulus flumen ex proprio sanguine conficiens, ad portum æternæ salutis navigavit. Quid nos modò agemus? exultabimúsne, an dolebimus propter illorum decessum? plangemúsne miserum nostrum statum, vel trophæa, & glorias illorum decantabimus? S. Ecclesia nos ab hoc dubio liberat, hodie siquidem tristitiâ derelictâ quam pro illorum decessu suscipere potuisset; ad illorum lætitiam & gloriam prædicandam, festivisque gaudiis celebrandam, tota intentione fertur. De eadem igitur nos quoque hodie sermonem instituere volo. Quandoquidem ergò gloriosam illorum passionem colimus, ut nos præsenti festo accommodemus, ne à solita nostra materia discedamus; cupio vobis exhibere, hos duos Apostolos eminẽtiores fuisse quia continuò afflicti plurima tormenta pro amore Dei sustinuerunt; quàm quovis aliô titulô, aut excellentiâ illorum. Non quòd cætera illis in summo gradu concessa non fuerint, sed quia tribulatio præ omnibus excellit.

Propter tribulationem gloriosiores.

3. Maxi-

3. Maxima inprimis dignitas horum sanctorum fuit, Apostolos esse; quod est quasi dicere præcipuos ministros, Christo propinquiores, dispensatores mysteriorum Dei, judices universæ terræ, lumina mundi, primi promulgatores Evangelii, lapides fundamentales Ecclesiæ, stellæ pulcherrimam componentes coronam Reginæ cœli, intimi cubicularii Regis cœlorum, magistri omnium fidelium, portæ paradisi cœlestis, duces victoriosi electorum exercitus, naucleri & gubernatores magnæ navis S. Ecclesiæ, supremi denique principes cœlestis Hierarchiæ. Apostolus Paulus diversos ordines S. Ecclesiæ numerando, primo loco posuit Apostolos, secundo Prophetas; numquid tamen primò fuerunt Prophetæ, qui adventum Christi præcesserunt? Primi quidem tempore fuerunt, sed non dignitate; alibi quoque dicit illos recepisse primitias Spiritus divini: *Sed & nos ipsi primitias Spiritûs habentes*: *Primitias* (inquit glossa) *receperunt, quia & tempore priùs, & cateris abundantiùs receperunt*. Sicut etiam de Christo dicitur, ipsum fuisse primitias dormientium; primum videlicet gloriosè & majori dignitate resurgentem; ita nempe Apostoli primitias Spiritus habuerunt, potiorem videlicet partem donorum Sancti Spiritus. S. Augustinus de tanta dignitate admiratus, dicebat: *Dedit eis potestatem super naturam, ut eam curarent; super Dæmones, ut eos everterent; super elementa, ut illa immutarent; super mortem, ut eam contemnerent; super Angelos, ut corpus Domini consecrarent*. Maxima certè dignitas fuit Apostolatus, per quem homines piscatores, pauperes, idiotæ, despecti, supra naturam, supra elementa, supra Diabolos, supra cœlos, supra Angelos ipsos exaltati fuerunt. Audeo tamen asserere, gloriosiores fuisse tribulatione, quàm Apostolatu; hoc apertè probat S. Chrysostomus: *Vinctum esse propter Christum, illustrius est, quàm sive Apostolum, sive Doctorem, sive Evangelistam esse*. Quomodo major non erit, si omnis gloria Apostolatus à tribulatione dependeat? pulcherrimam huic rei probationem adjungit idem Chrysostomus; quia Nabuchodonosor Rex videns miraculum trium puerorum in flamma ignis nô comburstorum; prædicator exstitit immensæ potentiæ divinæ, & publico generali edicto præcepit, ne ullus malediceret Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, cùm ipse solus esset Deus potens, adjungens: *Placuit ergò mihi prædicare signa ejus, quia magna sunt, & mirabilia*

Apostolatus magna dignitas.

1. Corint. 12, 28.

Rom. 8. 23.

S. August. serm. de Apost.

Apostoli in tribulatione gloriosiores.

Chrysost. Homil. 8. in cap. 4. Epistol. ad Ephes.

Dan. 3. 99.

rabilia ejus, quia fortia, &c.

Tribulatio, non prædicatio Apostolo merit u tribuit.

4. Hæc prædicatio, officium Apostoli fuit; nónne siquidem apparet doctrina ejus? nónne litteræ per omnes partes missæ? nónne mandata exhibita? & prędicatio potētię divinę completa? An igitur Nabuchodonosor æquali præmio cum Apostolis dotabitur, quandoquidem cum illis potentiam divinam omnibus prædicaverit? minimè; cur quæso? quia in hoc officio nullas pertulit afflictiones, non persequutus fuit, non mille periculis vitam exposuit, nullam contradictionem habuit, nulla potentia illi restitit, ut Apostolis factum, quæ tamen omnia patienter sustinuerunt. A tribulatione ergò & afflictione, meritum Apostoli dependet. S. Paulus volens unâ vice exhibere litteras patentes Apostolatûs sui, ostendit eos sigillo tribulationis munitas: *Signa Apostolatûs mei, facta sunt super vos in omni patientia.* Alibi quoque cum falsis quibusdam Apostolis disputans, qui Corinthios suâ doctrinâ decipiebant, ostendit se illis perfectiorem esse Apostolum; sed quomodo? An quia plura patravit miracula? quia plures revelationes habuerit? quia doctior? minimè, sed quia plus pertulit. Quia verò gloriabantur se Judæos esse ex semine Abraham, dicere incipiebat, se in hoc non cedere illis: *Hebræi sunt, & ego; Israëlitæ sunt, & ego; semen Abrahæ sunt, & ego.* Concedamus, inquit, in eo nos pares esse, quòd autem ego plus illis teneo, est victoria in tribulatione: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Meritò quoque S. Paulus hoc inquit, quia ad tribulationem sustinendam oportet etiam Apostolos suspirare, sine illa quippe nil boni faciendum.

2. Corint. 12. 12.

Ibidem 11. 22.

Ibid. 23.

Per tribulationem affiliatio Dei.

5. Desideratis cognoscere qualis sit affiliatio Dei, quâ dignitate major reperiri non potest? Ad hanc Apostoli quoque aspirant, teste S. Paulo, dicente: *Sed & nos ipsi primitias Spiritûs habentes, intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes.* Nos, inquit, tantô favore à Deo præventi, tantis privilegiis decorati, ut primitias Spiritûs habuerimus, gemimus, & plangimus; sed cur Sancti Apostoli, quid desideratis? *Adoptionem filiorum Dei.* Magna certè res esse debet hæc affiliatio, sed quomodo obtinenda? tribulatione inquit S. Paulus: *Tamquam filiis, vobis offert se Deus.* O qualis favor! non expectat Deus ut illi libellum supplicem exhibeatis spontè se vobis offert ut pater, filios suos vos esse cupit. Qui autem sunt hi, quibus tanta oblatio

Rom. 8. 23.

Hebr. 12. 7.

latio exhibetur? Tribulati, & afflicti; ipsis enim loquebatur, ideoque dicit: *Quis enim filius, quem non corripit Pater, quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergò adulteri, & non filii estis.* Si afflicti estis, filii estis, inquit S. Paulus; sin autem non estis afflicti, non meremini inter filios ejus computari; ita ut SS. Petrus, & Paulus: *Ingemiscant, adoptionem filiorum Dei expectantes.* Ut tribulati autem inter filios Dei adscripti sunt, hæc dignitas illis liberè offertur. Quis ergò non dicet illos gloriosiores esse, in quantum afflicti, quàm ut Apostoli; optimè hoc S. Paulus intellexit, ideoq; ubi primò gloriabatur in epistolis suis scribere: *Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi.* Vinculis postea pro Christo adstrictus, quasi nobiliorem acquisivisset titulum, relictô titulô Apostoli, se intitulabat: *Paulus vinctus Iesu Christi.*

Ibidem.

Vbi supra.

Tribulatio Apostolatu gloriosior.

1. Corint. 1.

Ad Philemon. 1.

Apostolatus argenteus, tribulatio aurea.

6. De hoc titulo non admirandum, quis enim non relinqueret aurum pro argento? Dignitas Apostoli quantumvis excellens, argentea dici potest, sed Apostoli patientis aurea est. Propheta regius propositionem meam egregiè probat, dum de conversione mundi per Apostolos facienda scribit apertè: *Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multâ.* Prædicatoribus nempe divini verbi, tribuit Deus fortitudinem; ad Apostolos autem conversus, inquit: *Si dormiatis inter medios Cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Si videlicet inter unum, & aliud testamẽtum dulci contemplationis somno requieveritis, eritis ut insignes columbæ annunciantes pacem. Propheta quoque Isaias idem confirmat: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & sicut columbæ ad fenestras suas.* Duo hîc subjunxit; in vobis namque duo erunt laude dignissima, pennæ nimirum, & dorsum; ab illis motus, & volatus, ab hoc sustentatio; ferventes nempe eritis in operatione, & patientes in supportatione malorum. De his autem duobus quid melius erit? facilè hoc cogitare poteritis, cùm unum erit argenteum, aliud aureum: *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* In avibus nónne pennæ alarum longiores fiunt quàm dorsi? omninò, sed in anima contrarium accidit, & pluris fiunt, pennæ dorsi quàm alarum, plus siquidem in altum ferimur mala tolerando, quàm benè operando. Quid denique legatus efficeret, nisi litteras credentiales haberet? Legatus nomine esset, non effectu. Apostolus quid est nisi Legatus? Hoc testatur S. Paulus, dicens: *Pro*

Psalm. 67, 12.

Psalm. 67. 14.

Isaiæ 6. 8.

Ubi suprà.

Apostolatus sine tribulatione vanus est.

2. Corint. 5. 20. *Pro Christo legatione fungimur.* Nomen quoque Apostoli idem indicat; sed quæ erit credentialis epistola? Patientia; *signa Apostolatûs mei* (inquit Legatus gentium) *facta sunt super vos in omni patientia.* Quid ergò esset Apostolus sine patientia? esset nomen vanum, sine vero, & reali fundamento, & virtute.

Ibid. 12. 12.

Papatus magna dignitas. 7. His in communi dictis, ad dignitatem cujusque particularem transeamus, ut comparatio distinctior, & clarior appareat. S. Petrus est Vicarius Christi, & summus Pontifex; maxima certè dignitas, cùm ratione istius sit Pastor universalis. Reges & Principes particularem favorem æstimãt, posse osculari ejus pedes, ipsumq; in terris superiorem, & Vicarium Dei agnoscunt. Malogranata, purpureo colore decorata, & coronam naturalem in capite gerentia, symbolum sunt Regum, quæ ex fimbriis vestium Aaronis summi Pontificis dependebant. S. Ieronymo, & Isidoro dicentibus; 72. fuisse dicuntur, juxta diversitatem linguarum; ut indicarent, omnes linguas, & nationes mundi, summo Pontifici reverentiam exhibere debere, ipsumq; pro superiore agnoscere. Ad quorum præsentiam ipse pedem extendit, quod est signum dominii & possessionis, juxta illud: *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Ipsi autem osculatione pedis submissionem indicant, juxta sententiam Psalmistæ dicentis: *Osculamini Filium*; prout multi ex Hebræo legunt, ubi nos habemus; *Apprehendite disciplinam.* O quanta dignitas, summum Pontificem esse.

Omnes Reges excellit.

Psalm. 59. 10.

Psalm. 2. 12.

Status tribulationis major summo Pontifice. 8. Liceat tamen mihi dicere quod sentio, multò majorem dignitatem illos consequi, qui pro amore Dei patiuntur. S. Petrus multò gloriosior in persequutione, & opprobriis fuit, quàm in statu summi Pontificis; ecce vobis clarissimam probationem exhibeo, nónne desiderabilius est dominari thesauris Principis, quàm solũ dispensatorem agere? Absque dubio, qui enim illos dispensat, aliis dat; qui dominus est, sibi reservat. Quod est officiũ summi Põtificis? cœlestes thesauros dispẽsare, indulgentias cõcedere, absolutiones peccatorum committere, &c. ideoque illi dicitur: *Tibi dabo claves regni cœlorum*; ut illud aperire, & claudere possis, juxta exigentiam. Afflictus & tribulatus quid acquirit? possessionem regni cœlorum: *Beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Non dicit erit, sed de facto est. S. Joannes fidelibus scribens, dicit: *Ego Ioannes frater vester, & particeps in*

Matt. 16. 19.

Ibid. 5. 10.

Apoc. 1. 9.

tribula-

tribulatione & regno. Qualis hæc conjunctio tribulationis & regni? humilitatis & excellentiæ? ſpinarum & florum? abſynthii & mellis? tenebrarum & lucis?

Per tribulationem ad regnum cœlorum.

9. Mundani percipere non poſſunt, quomodo hæc duo convenire poſſint; ſed veri ſervi Dei hoc rectè intelligunt, & ſciunt nullũ aliud eſſe medium perveniendi ad regnum, niſi per tribulationem. Marcellus Romanus ita ſimul conjunxerat templum virtutis & honoris, ut nullus templum honoris ingredi poſſet, niſi per templum virtutis; pariter Deus univit adeò fortiter tribulationem & regnum, ut ad illud pervenire nequeamus, niſi per hanc tranſiverimus, quia: *Si compatimur, & conglorificabimur*; inquit Apoſtolus. Si ergò ſummus Pontifex cœlum aperit, tribulatio illud intrat. Hoc optimè intellexit S. Laurentius, qui in craticula ardenti igne combuſtus, gratias Deo agebat: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Modò pedem cœlis intuli, ſed quomodo? per tribulationem. Summus Pontifex ſuperior quidem eſt aliorum; ſed tribulatus & patiens, ſibi ipſi ſuperior, & diabolos inferni, ac mortem ipſam ſuperat, quæ omnes mundi monarchas & ſummum Pontificem exterret. In Apocalypſi dicitur: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Si coronam vitæ habuerit, Dominus ergò vitæ erit, nec mors illum infeſtare poterit.

Rom. 8.17.

Apocal. 2. 10.

Major tribulationis dignitas confirmatur.

10. Hæc major tribulationis dignitas clarè patuit in modô quô Salvator ſanctum Petrum alloquebatur. Nónne advertiſtis quàm diverſimodè amicum alloquimur, dum ab ipſo aliquid difficile deſideramus, & dum illi beneficium præſtamus; ſi ipſo in negotio urgenti indigeas, dices, amice modò tempus eſt, ut amorem tuum manifeſtes, & experiar an mihi bene velis; quomodo dicet alter, non vellem tibi bonum? impera tantùm, ſanguinem effundere paratus ero; tunc ipſi refers quid deſideres; quando autem donum offerre cupis, aut aliquod præſtare beneficium; ſine iſtis cæremoniis, aut interrogationibus, donum illi offers, dicens: Hoc amore mei fruere. Dum Chriſtus S. Petrum ſummum Pontificem conſtituit, quomodo illum alloquebatur? primò dixit: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Quomodo, inquit, ſi te amem, quis hoc te meliùs cognoſcit? ergò inquit Chriſtus hoc mihi præſtare debes, ut curam ſuſcipias meorum pecorum, & ſis paſtor univerſalis; nec contentus illum hoc ſemel dixiſſe, ter idem repetiit; quomodo hoc?

Joann. 21. 15.

Cur trina interrogatio ante collationem dignitatis.

tantâ præparatione opus erat, ut summam dignitatem assumeret? omnino, quia pondus insupportabile. Dum autem illi mortem prædicit, quomodo alloquitur? sine cæremoniis, dicendo solùm: *Sequere me.* Quasi cùm amicus vult alium ducere ad locum amœnum, per viam incognitam, illi innuit, dicens: sequere me, non dubites. Quid Domine his verbis insinuare cupis: *Sequere me*? ipsum in cruce mori debere, ut ego mortuus sum: *Significans quâ morte esset clarificaturus Deum.* Hoc ergò modo illi mortem prædicis?

Joann. 21. 19.

Ibidem.

11. Quando medicus, aut confessarius mortem infirmo prædicere debet, mille modis, & inventionibus cum disponit, ut amaram hanc potionem ebibat, & annuntiationem attendat; simpliciter quippe dicere, à medicis derelictus es, mori oportet, ictus nimis ferus apparet. Si ergò in lecto mori multis doloribus afflictus, quod potiùs liberatio à pœnis dicendum esset, sit tam durum, & arduum, ut tot media quærantur, quibus hoc persuaderi posset; quid debet efficere homini sano, & benè disposito, annunciatio crucifixionis? quomodo æterna sapientia adeò simpliciter hoc illi proposuit? videtur mihi hîc rectè dictum illud congruisse: *Petre amas me?* Petre si me diligas, erit occasio ut mihi hoc demonstres, condemnaberis siquidē ut moriaris in cruce, propter fidem meam. Non ita tamen proponit Salvator; scis quare? quia crucifixio S. Petro ingens favor erat; non oportebat ergò, consensum ejus exquirere, & supplicare ut acciperet, prout fecit in acceptatione summi pontificatus. Intellexit hoc rectè S. Petrus, ideoque videns se tanto favore præventum, & dilectum discipulum Joannem illô non frui; petiit à Domino, qualem illi præstaret gratiam: *Hic autem quid?* De illo, omnibusque Apostolis etiam dicitur, quòd à Pharisæis pessimè excepti propter nomen Iesu: *Ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Notandum: *Digni habiti sunt*; id est, se ad tantam dignitatem exaltatos, ut possint pro nomine Jesu pati; ita ut post Apostolatum, & missionem Spiritus sancti, postquam S. Petrus ad summam dignitatem evectus esset, metueret, ne non sufficientia haberet merita, ut dignitatem tribulationis consequeretur; dum autem hanc assequutus fuerat, gaudebat summopere: *Ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Cur simpliciter mors intimatur.

Joann. 21. 21.

Act. 5. 41.

Maxima dignitas persequutio pro Christo.

12. Optimè intellexit hoc S. Ieronymus, & sciebat ejusdem

Tribulationis imprecatio optima.

dem opinionis fore Damasum Papam, ideoque illi scribens, & gratiam expostulans, quam desiderabat, ut illam impetraret, bonam imprecationem adhibet, ut precantes agere solent; quænam fuit ista? an dixit, Deus te incolumem servet, perpetuam salutem tribuat, cuncta tua prosperè dirigat; non ita, sed quid? ut illum nempe S. Petri instar crucifixum videret: *Ita te alius cum Petro cingat.* Quis modus benè imprecandi est iste? si quis hodie amico suo diceret, favorem hunc mihi exhibe, ut te crucifixum videam instar S. Petri, assatum, instar S. Laurentii, lapidatum instar S. Stephani, excoriatum instar S. Bartholomæi, nónne hunc dementem diceres. Stulti nos sumus, qui non consideramus in quo verum bonum consistat. Quando S. Sixtus consolari voluit S. Laurentium diaconum suum, de morte sua summè dolentem, quid creditis illum excogitasse? fortè nō dubites Laurenti, quin post mortem meam, in locum meum succedere poteris, sedebis in throno meo, summus Pontifex electus eris? minimè, nam hæc consolatio non fuisset viri sancti; sed quid illi dixit? contentus esto, post triduum me sequeris, majora patieris tormenta, & morte crudeliori enecaberis. O consolatio admirabilis! si quis infirmo diceret esto hilaris, citò advenient dolores intolerabiles, sudor mortis erumpet, maxima anxietas te opprimet, & omnia viscera tua turbabuntur; morieris denique lentâ, & miserabili morte, extremis doloribus undique confectus. O qualis hęc foret consolatio! talis fuit à summô Pontifice, S. Laurentio tributa; sciebat quippe se illi majorem dignitatem promittere, quàm cardinalatus, aut summi pontificatus.

S. Sixtus optimè S. Laurentium consolatus.

13. Aliud hîc quoque notandum, quòd apud nos sani consolantur infirmos, & liberi bonis verbis corroborant incarceratos; hîc verò omnino contrarium accidit; cùm enim ad mortem ligatus duceretur S. Sixtus, & S. Laurentius liber esset; non hic consolabatur illum, non liber vinctum, non sanus infirmum; sed è contrà, ad mortem pergens consolatur in vita manentem. Simile exemplum in Actibus Apostolorum occurrit, ubi incarcerati & flagellati consolabantur alios fideles: *Exeuntes* (inquit sacer Textus) *de carcere, introierunt ad Lydiam, & visis fratribus, consolati sunt eos, & profecti sunt.* Videbantur Paulus & Sila, qui incarcerati, & flagellati fuerant, & publico affecti dedecore, consolatione egere, non verò illi qui apud benignam hospitem commorati, nihil

Qualiter afflicti consolantur alios.

Act. 16. 40.

Non patientes consolatione indigent.

nihil perpessi fuerant. Inter Sanctos tamen qui excellentiam tribulationis agnoscunt, non sic agendum; consolatione non egent patientes, sed non patientes. Ad hoc propositum declarandum multi SS. Patres exponunt locum Ieremiæ, à S. Matthæo citatum: *Vox in Rama audita est, ploratus, & ululatus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.* Supra hunc locum dicit Eucherius sermone de Innocentibus: *Sancta mater Ecclesia, quamvis multùm de filiorum suorum nece lugeat, consolationem non recipit, quia non sunt in tali eventu dandæ, vel recipiendæ consolationes; ubi enim lætitia vincit lachrymas, gaudium mœrorem, gloria paßionem; ibi consolatio necessaria non est, magis enim lætandum est de illa vita, quàm de ista dolendum.*

Matt. 2. 18.

Eucher. serm. de Innoc.

14. S. Joannes Chrysostomus hunc locum bene considerans, inter cætera dicit: *Si flevit, cur consolari contempsit?* Et respondit: *Conditio à matre defletur, sed spe gloriæ humanæ, consolatio contemnitur.* Ad idem dubium non diverso modo respondet S. Hilarius, dicens; non fuisse mortuos illos, quos mortuos æstimabant, cùm per martyrium ad æternam vitam commigrassent; consolatio fit propter res perditas, non propter illas in melius mutatas. Nec deest qui, considerans hos innocentes non à Rachele, sed à Lia descendere; dicat Rachelem plangere, quia filii sui non fuerunt digni martyrio, ut vitam pro Christo effunderent. Qui ergò novit quantum sit bonum pro amore Dei pati, omni dignitati, etiam summi Pontificis illud præfert. Hoc sancta Ecclesia se intelligere cognoscit, quæ festum Cathedræ S. Petri celebrans, id est, memoriam coronationis & inaugurationis ad summum Pontificatum recolens, non diem solennem agit, sed in Ecclesia tantùm officium recitat; quandò verò crucifixionem colit, solennissimum festum instituit; scit enim quantò majoris gloriæ fuerit, crucifigi, quàm in summum Pontificem eligi. Hæc quantùm ad dignitatem Papatus.

Chrysost. homil. 3. de variis locis Matt.

Ingens bonum pati pro Christo.

15. Quas alias dignitates S. Petrus habuit? aliam summè præcellentem, quòd in vita sanctus declaratus fuerit, non ex ore Vicarii Christi, sed ab ipso Christo, dicente: *Beatus es Simon Barjona.* Singulare certè privilegium; quandoquidem omni alteri dicatur; *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Et meritò, quàm diu enim in hoc stadio currimus, & ab infestissimis hostibus oppugnamur, nullus de victoria securus esse potest. Petrus autem beatus declaratus fuit, ab illo qui omnia

Matth. 16. 17.

Eccli. 11. 30.

omnia

omnia noverat, nec falli, aut fallere potest. Quis ergò negare audebit, ipsum non esse talem? si autem pro sancto canonizari sit maximus honor qui alicui tribui potest; quantum putatis fuisse honorem S. Petri, qui in vita sua particulari, & privilegiato modo, hunc adeptus est? non tamen hic superat illum, quem ex tribulatione pro Christo adeptus est. Duobus modis quis potest fieri eques, vel quia Princeps absolutâ potestate absque prævio examine meritorum, aut nobilitatis, illum constituit; vel primò considerando merita, & nobilitatem, & ad hunc finem processus instituendo, & testes examinando; sicque dignum repertum, in numerum equitum asciscit. Qualem ex his duobus digniorem existimares? sine dubio secundum, quia primus est eques per gratiam Principis, secundus autem per justitiam; ideoque primus eques æstimaretur in ditione Principis, non verò extra; secundus autem ab omnibus, in omni parte & loco. Pariter dicendum, majorem honorem esse tribulari, & persequutum esse pro Christo, quàm beatum vocari à Christo, quia hoc secundo modo fuit canonizatus per gratiam & favorem Principis, cùm ex sua parte non fuisset probatio sufficiens. Licèt enim insignem illam confessionem præmiserat: *Tu es Christus filius Dei vivi*, scimus tamen solam fidem non sufficere, & dæmones id ipsum dixisse, non tamen inde beatos dictos fuisse: Quando autem afflictus & tribulatus fuit pro Dei amore, tunc propriis meritis canonizatus fuit; quia nulla major probatio, quàm tribulationis & patientiæ. Non meministis Salvatorem dixisse: *Beati qui persequutionem patiuntur, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Non dixit *erit*, sed *est*; idem sanctus Petrus affirmat: *Si quid patimini beati.* Pro amore quippe Dei pati summa beatitudo est.

S. Petrus in vita canonizatus.

Major honor pati pro Christo.

Matth. 16. 17.

Matt. 5. 10.

1. Petr. 3. 14.

16. Hæc probatio tribulationis adeò certa est, ut inimicis nostris os occludat; & qui Deo credere renuunt, huic fidem adhibere necesse est. Non meministis S. Prophetæ Job? nonne à Deo maximè laudatur: *Numquid considerâsti servum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex, ac rectus, ac timens Deum?* Diabolus tamen huic testimonio fidem non adhibens, gloriari ausus est, se effecturum ut Deum blasphemet. Quid accidit? eum affligit, filiis, bonis, familiâ privat; videt patientem persistere, in tribulatione & doloribus Deum benedicere; confusus remanet, nescit quid dicere, hanc probationem rejicere non

Job 1. 8.

non potest. Quid amplius? nónne videmus Deum numquā de aliquo servo suo fidere, donec in hoc lapide Lydio, tribulatione, inquam, probaverit? Non audistis quid dixerit Abrahamo, quia constantem, & fortem ad mortem unici filii perferendam, conspexit, imò adeò promptū ut seipsum carnificem constitueret: *Nunc cognovi quòd timeas Dominum.* Ergò Domine, non ante cognoveras? certè ita, sed per tribulationem certiori modo, magísque aperto toti mundo innotescere fecit. Hæc probatio talis est ut infideles ipsi fidem negare non possint.

Tribulatio fidelitatem probat.

Gen. 22.12.

17. Ad alias dignitates S. Petri transeamus. Mirabilis fuit excellentia, quòd illo in carcere existente, Angelus venerit qui illum solveret, portas ferreas aperiret, & liberum dimitteret. Magnus certè favor, ne quidem S. Jacobo concessus, qui paulò antè in obscuro carcere consistere debuit, & inde ad capitis amputationem adductus. Nec S. Joanni Baptistæ concessus, cui idem accidit, quod S. Jacobo. Quid tamen huic favori, cum tribulatione pro Dei amore perpessa? *Hic si mihi quispiam* (inquit S. Chrysostomus) *dixisset, elige utrum velis, vis esse Angelus Petrum stimulans, ac solvens, an Petrus servatus; Petrus utique maluissem esse, propter quem Angelus descendit.* Potiùs (inquit) vellem carcerem sustinere cum S. Petro, quàm gaudere in cœlis cum Angelis. Meritò certè hoc dixit, quis enim major favor, visitari à servo vel à Principe? frui parvô tempore præsentiâ servi, vel multô tempore Domini? absque dubio major favor esset in societate Domini permanere quàm servi. Dum S. Petrus è carcere liberatus fuit, fruebatur præsentiâ Angeli, cum illo parum progrediebatur; dum autem in carcere maneret, præsentiâ Domini sui gaudebat, qui dixerat per Prophetam suum: *Cum ipso sum in tribulatione.* Si de Josepho loquendo David dicat, quòd Deus: *Descendit cum eo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.* Quantò magis cum S. Petro in carcere mansit, qui amore suo in eo custodiebatur? nónne videtis quàm dulciter S. Petrus in catenis obdormiat? opus est ut Angelus non tantùm vocet illum, verùm etiam percutiat, & sollicitet ut exeat; quomodo non percepit sonum cadentium catenarum, non sensit se liberum esse? non catenæ S. Petrum affligebant, sed derelictio gloriosæ illius mansionis; ut tamen se divinæ voluntati, & utilitati totius Ecclesiæ accommodaret, contentus fuit inde discedere. S. Bernardus considerans

Magnus favor ab Angelo liberari.

Chrysost. homil. 8. in cap. 4. ad Ephes.

Major favor tribulari.

Psalm. 90. 15.

Sapient. 10. 13.

derans insignes promissiones tribulatis & afflictis concessas, dicebat: *Cum ipso sum in tribulatione dicit Deus, & ego aliud interim requiram quàm tribulationem?* Quomodo etiam S. Petro non videbatur molestum carcerem relinquere, ubi Deus particulari modo secum erat? Ecclesia quoque hoc innuere videtur, licèt enim liberatio S. Petri maximum illi beneficium attulit, non tamen de illa, sed de vinculis ejus, & incarceratione festum celebrat.

S. Bernard. serm. 17. in Psalm. 40.

Multò nobilius pati, quàm liber esse.

18. Quid ampliùs desideratis? vultis clarissimam probationem, majorem honorem S. Petro attulisse tribulationem, quàm liberationem? considerate quid illi accidit, dum una vice è carcere aufugiens, & Româ discedens, illi occurrit Christus; S. Petrus hoc advertens, interrogat illum: *Domine quò vadis?* respondet Christus: *Vado Romam iterum crucifigi.* S. Petrus subitò intellexit hoc illum dixisse propter mortem suam, & subitò reversus se in carcerem constituit, & sententiam condemnationis recepit. Sed quid sibi vult Christum è cœlis descendisse, ut S. Petrus in carcerem rediret? non sufficiebat Angelum mittere? nónne S. Petrus ejus voci obedisset? certè ita; quare ergò ipsemet venit? voluit nos edocere, quantò nobilius esset pati, quàm liber esse; quia ut illum liberaret, sufficiebat mittere Angelum; dum autem de tribulatione agitur, nimis humilis legatus videtur Angelus, ut negocium adeò dignum perficiat, voluit Deus ipse è cœlis descendere. Dicunt Theologi juxta negocia mitti Angelos minores, ut aliqua ordinaria nuntient; majores autem Angelos pro negociis majoris momenti. Liberatio S. Petri è carcere parvi momenti erat; ideoque non Archangelus, sed Angelus ultimi ordinis missus est; quando autem de crucifixione agitur, negotio majoris momenti, inter Angelicos ordines vix reperitur dignus Legatus, sed Rex cœlorum ad hunc finem descendit. Sed in illa liberatione, nónne plurima intervenerunt miracula? omninò, unum fuit, quòd non fuerint excitati custodes, nec ad splendorem Angeli, nec ad rumorem cadentium catenarum, nec ad egressum Petri; aliud fuit, quòd ex se catenæ ceciderint, & Petrum solutum abire permiserint; aliud, portas ex seipso apertas fuisse, non carceris tantùm, sed & civitatis, & fortè etiam Petrum ab aliquo visum non fuisse. Quando autem Christus annuntiavit crucifixionem Petro, intervenítne aliquod miraculum? nullum, non aliud quàm verba

Cur Christus S. Petro fugienti apparuit.

verba fuerunt; tribulatio tamen res adeò digna est, & excellens, ut sine miraculis plus ęstimetur, quàm ab ipsa multis miraculis liberari.

Arist. lib. II, Politic.

19. Aristotelem dicentem recordor, Principem per ministrum exequi debere justitiam, pœnas infligere, & sententiam condemnationis ferre; sed per seipsum gratias & privilegia conferre, quia hoc officium nobilius, & amabilius est; aliud autem odiosum, & minus excellens. Si hoc verum est, quomodo Deus operatur omnino contrariè; dum enim de gratia & liberatione agitur, Angelum mittit; dum verò de cruce & morte, ipsemet descendit? an falsa est Aristotelis doctrina? non, imò verissima, hîc quoque à Deo observata est, in cœlo siquidem nullus favor aut gratia pluris fit, quàm pro amore Dei pati. Ut hanc gratiam Deus S. Petro præstaret, in propria persona descendit, è contrà aliquem è carcere, aut vinculis liberare, dum hæc pro amore Dei patitur, res odiosa, & minùs grata est, ideoque non descendit Princeps ipse, sed ministrum mittit. Scitis insuper cur non mittat Angelum S. Petro, ut annunciet crucifixionem? ut occasionem invidiæ Angelo non præberet; licèt enim optimè cognoscam, nec invidiâ, nec alio immoderato affectu posse illos beatos spiritus commoveri; credo tamen, si invidiæ capaces forent, non aliud homini invidere posse, quàm posse pati, & crucifigi pro Redemptore, & Domino suo, quod ipsis non est concessum. Qui dignitatem & excellentias vehementer cupit, nec obtinere potest, quandoque se illas obtinuisse fingit, & seipsum vanâ spe & gloriâ pascit. Unde videmus plurimos se vestire ut Principes, coronam ut Reges in capite ponere, à servis summo honore haberi, &c. Non aliter fecisse legimus excellentiores spiritus, Seraphim nempe; dum enim Isaiæ apparerent, omnes crucifixi videbantur, alas medias solùm extendentes, reliquas collectas habentes. Ad quem finem? cùm siquidem non possent verè crucifigi, in forma crucifixi videri voluerunt, ut desiderium suum exhibeant. Philippus Macedoniæ Rex, propter vulnus in crure receptum parum claudicabat, aulici verò ut Domino suo se conformarent, claudicare se fingebant. Sic Angeli advertentes Dominum illorum crucifixum, eodem modo se accommodare nituntur, & fingunt se crucifixos. Non meministis quantum invidiæ attulerit Aman, videre Mardochæum non solùm illo honore affectum, quem ipse con-

Ingens gratia affligi pro Christo.

Angeli tribulationi invident.

Cur Christus ipse S. Petro crucifixionem intimet.

se concupierat, verùm etiam se debere equum ejus ducere per civitatem: ut ergò Deus hanc invidiæ occasionem Angelis auferat, dum agitur, ut S. Petrus supra regium crucis equum per civitatem Romanam ducatur; non mittit Angelum, sed ipsemet illi hoc intimat.

S. Petrus in Christum transformatus.

20. Sed ecce alius singularis favor in hac apparitione Christi S. Petro exhibita, sese offert; quia Christus se monstrat eundem esse cum Petro; cùm non dicat revertere Petre, ut crucifigaris, sed dicat ego vado crucifigi. Sed tu Domine nónne immortalis & gloriosus es? quomodo ergò denuo poteris crucifigi? non fuit in persona propria crucifixus, sed in persona S. Petri, ita ut ipse & Petrus idem essent. S. Leo Papa hoc considerans, dicit S. Petrum à Christo solicitatum, ut idem cum ipso esset: *Hunc*, ait, de S. Petro loquens, *in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari dicendo; tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Scio glossam per hanc individuam unitatem intelligere Ecclesiam; sed pace suâ dixero, hanc expositionem, non esse textui conformem, & facilè reprobari; hoc siquidem loco S. Leo de particulari privilegio S. Petri loquitur, quod adeò

S. Leo Papa Epist. 87. ad Vien. cap. 19.

magnum est, ut sit fundamentum alterius insignis privilegii, quòd nimirum Salvator S. Petro proprium nomen communicaverit; admitti autem ad Ecclesiam & communionem fidelium, non proprium S. Petrò est, sed commune omnibus; non de hoc ergò loquitur S. Leo Papa, sed de unione quâ idem cum Salvatore effectus est. Hinc rationabiliter colligere possumus, etiam proprium nomen illi communicasse; quinimò vult S. Leo non tantùm nomen, verùm etiam officium suum magna ex parte Salvatorem communicasse S. Petro. Cùm quippe proprium Christo esset, caput Ecclesiæ esse, & inde mystico suo corpori omnem sanctitatis & gratiæ influxum tribuere; dicit S. Leo, S. Petrum à Christo pariter caput Ecclesiæ constitutum, nec ullo posse influxu divinæ gratiæ frui, qui huic capiti conjunctus non fuerit: *Vt ab ipso* (inquit de S. Petro) *quasi à quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.* Si tamen corpus Ecclesiæ duo capita haberet, nónne monstrum esset, & variis incommodis suppositum? certè ita; non ergò dicendum habere duo capita, Christum & S. Petrum,

Christus proprium officium S. Petro communicavit.

 non

non enim sunt duo, sed unum. Petrus nónne alius Christus? imò non alius, sed ipsemet Christus. Quod privilegium huic adæquari poterit? quæ dignitas, hac inferior non erit? An tribulatio cum hac contendere poterit, & primum locum prætendere?

Per tribulationem Christo æqualis.

21. Non vult cum hac contendere tribulatio, prætendit enim omnia in honorem ejus fieri, & hanc dignitatem filiam ejus esse. Nónne videtis hunc favorem S. Petro concedi, quando de crucifixione agitur, non quando de gloria? non in monte Thabor, sed in monte Janiculo Romæ, ubi S. Petrus crucifixus fuit? nónne advertitis duo Salvatorem dicere, primò: *Vado Romam*; secundò: *Iterum crucifigi?* sed in quo se ostendit eundem esse cum S. Petro? nono in primo, S. Petrus enim discedebat tunc Româ, sed in secundo in crucifixione nempe; ita ut dum S. Petrus à crucifixione discederet, etiam à Christo longiùs recedebat; dum autem crucifixus esset, idem cum Christo esse dicitur. Hoc ergò privilegium cruci concessum, proprium est tribulationis; quod verum esse apertè patet, dum aliis similiter afflictis conceditur. Non meministis istius quod Christus S. Paulo dixit, dum

Actor. 9.4. adhuc Saulus esset: *Saule, Saule quid me persequeris?* Se persecutionem pati cõqueritur, nõ in propria persona, sed in persona discipulorũ; ita ut idem cum ipsis efficiatur, ut hîc cũ S. Petro agit.

Christum in miraculis superasse videtur.

22. Hunc discursum cum alio privilegio concludamus, quòd fuit ingens potentia & virtus quam S. Petrus habebat, in infirmis sanandis, & miraculis patrandis. Non enim mortuos tantùm resuscitabat & occisos vivificabat, verùm etiam quod nec de Christo legitur, umbrâ suâ omnes sanabat: *Vt* Actor. 5.15. *veniente Petro saltem umbrâ illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Aliqui ulteriùs considerando inquiunt, non tantùm infirmum illum ab umbra Petri contactum, sanatum fuisse, sed omnes alii ipsi contigui, & sacrum Textum hoc modo explicant: *Vt saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.* O virtus admirabilis umbrâ sanare? legimus Christum fimbriâ vestis, contactu, aut verbo sanâsse infirmos, sed umbrâ, quæ simplex privatio est, numquam. Hîc ergò patet verificari verba Salvatoris dicentis: *Qui crediderit in me,* Ioann. 14. 12. *signa quæ ego facio ipse faciet, & majora horum faciet.* Hic insignis favor & privilegium S. Petri debet gloriam suam necessariò tribulationi cedere & dicere, hoc illi

illi accidisse, quia pro amore Christi passus fuerat. Primò, quia hoc fuit majus miraculum cùm adeò contrarium inclinationi humanæ sit pati; videre quippe hominem voluntariè sustinere extremos dolores, ex seipso in carcerem reverti, ut condemnetur ad crucem; & crucifixus capite inverso velle erigi, ut magis patiatur, quis umquam vidit majus miraculum? quando Iudæi Christo dicebant, ut descenderet de cruce, & crederent in eum, noluit descendere; S. Augustinus dicit illum majus quid effecisse, quàm si descendisset; quòd nimirum mortem acerbissimam patienter tulerit; quod erat majus miraculum, & propter hoc debuissent converti, ut conversus fuit latro. Tertullianus quoque ejusdem opinionis fuit, unde ad Pharisæos exclamat: *Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis, patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret.* Meritò ergò nos idem de S. Petro affirmare possumus, majus fuisse miraculum, tantâ alacritate crucis tormentum sufferre, quàm alius ante ipsum umquam egerat.

Tertull. serm. de patient. cap. 3.

Magis per tribulationem quàm per miracula laudandus

23. Adjungamus insuper, in miraculis patrandis S. Petrum nihil de suo addidisse, sed sicut Deus modò luto, modò sputo utebatur; ita quoque S. Petrus utebatur, cumque umbra illius nullam haberet realem entitatem, dici non potest illam physico influxu concurrisse, ad miracula; Deus ergò solummodò ad præsentiam ejus operabatur. In miraculo tamen patientiæ, Petrus verè concurrit, eratque hæc virtus animi sui effectus; ideoque majorem per hanc, quàm per illam meretur laudem. S. Joannes Chrysostomus inquit, dignius esse, patientem esse, quàm miracula patrare, hæc quippe faciendo obligamur Deo, sed patienter persistendo, Deum nobis obligatum reddimus; & alibi inquit: *Ego tres pueros non propter hoc admiror, & beatos prædico, quia ignis incendia calcaverunt illæsi, sed quia pro patriis legibus vinciri voluerunt, atque ignibus tradi.* Adjungamus insuper, si umbrâ corpora sanabat, patientiâ animos resanabat; tribuens exemplum humilitatis & patientiæ, contra superbiam & iram; si umbrâ præsentes sanabat, patientiâ sanitatem absentibus tribuebat; quia fideles præsentes ad mortem voluntariè amplectandam animabat, & futuris consolationem in tribulatione relinquebat.

Chrysost. homil. 9.

Vmbrâ corpora, patientiâ animas sanabat.

24. Nec morte solùm, verùm etiam moriendi modo consolationem adferebat; cur enim voluit capite inferiùs & pedibus superiùs crucifigi? ultra rationes alibi allegatas, dico

Cur capite inverso crucifixus.

 ipsum

ipsum hoc egisse, ut demonstraret quàm libenter in crucem ascendebat & ad mortem properabat. Plinius notat, dum homo nascitur, capite primò ad mundum venire, quasi involuntariè & vi eò perveniat, ut alibi dicemus. S. Petrus ergò, dum non capite, sed pedibus ante, crucem ascendit, ostendit se libenter illud iter ingredi, nec violẽter mori. Moris insuper est, rebelles pedibus sursum suspẽdi, judicando, quòd sicut ille situs est contra naturam, sic illos contra naturam operatos fuisse, dum contra patriam, aut Principem suum conspirarunt. S. Petrus ergò recordatus se contra Deum suum rebellâsse, dum illum negaret; non sufficiebat illi in vita sua cõtinuò planxisse, & peccata lacrymis delevisse; in morte quoque pœnitentiam agere voluit, & pedibus sursum ut rebellis crucifigi. Voluit denique nobis animum addere, ut ad illum totâ fiduciâ confugiamus, se promptum ostendens ut preces nostras suscipiat; ideoq; non capite in altum supra crucem elevatum ostendit, sed capite inclinato deorsum; ut sciamus accessum ad eum non scalis acquirendum, sed caput nostrum inclinando, ipsum ad omnia promptum reperiemus. Probatum ergò restat, inter omnes glorias & dignitates S. Petri, tribulationem quam pro Dei amore pertulit, majorem fuisse. *Tribulatio major dignitas S. Petri.* Qualis autem cordis nostri duritia, si ex hac gloriosa passione nullum fructum collegerimus? si non resolvamus voluntariè pro amore Dei pati, imò si tribulationẽ omnibus mundi deliciis, divitiis, & dignitatibus non proposuerimus? Laudamus & glorificamus cuncti hunc beatissimum Apostolum, quia tàm alacriter pro Dei amore cuncta pertulit: cur ergò nos quoque non procuramus ejusdem gloriæ participes effici? si tamen ex tot præsentibus animus ad tot ferenda non sufficiat, ad minus quæramus patienter leves nostras tribulationes sufferre; atque ita non totaliter excludemur.

SECUNDA PARS.

25. Non expectetis, Auditores, me hos insignes Ecclesiæ Principes, SS. Petrum & Paulum ad invicem collaturum; & inquisiturum, quis eorum major futurus sit, vel cui dextra tribuenda, aut quid simile. *Iudicare quidquam periculosum est.* Comparationes siquidem pericula errandi secum deferunt; aut ad minùs certum est indignationem unius partis acquirendam. S. Augustinus multùm extollebat dictum docti viri, qui potiùs inter duos inimicos judicium ferre maluisset, quàm inter duos amicos; dum siquidem inter duos

duos inimicos ſententiam ferret, unius amicitiam acquirebat, in cujus nimirum favorem ſententiam tuliſſet. Sed inter duos amicos judicans, unum amittebat. Scimus pariter quantùm mali judicium Paridis attulerit, quod inter tres Deas protulit; illa ſiquidem quæ ſententiam contrariam ſenſit, nùmquam injuriæ obliviſci potuit; unde dicunt Poëtæ:

——— Manet altâ mente repoſtum
Iudicium Paridis ſpretæq; injuria formæ.

Ego autem hos duos ſanctos in patronos & amicos æquè bene habere cupio, ideoq; hanc contentionem arripere nolo; humilis inſuper noſter intellectus, tàm altè pertingere non poteſt, ut merita ſanctorum penetrando, poſſit juſtè unum alteri præponere. Nobis quoque apparet hos duos æquales eſſe; ſi enim S. Petrus dignitate præcellere videatur, S. Paulus ſapientiâ ſuperat; ſi S. Petrus in miraculis mirabilior, S. Paulus in prædicatione excellentior; ſi S. Petrus primò vocatus & electus, S. Paulus ſublimiori & digniori modo vocatus; ſi S. Petrus Apoſtolus Hebræorum fuerit, S. Paulus gentium fuit; ſi S. Petrus primò prædicationem adorſus eſt, S. Paulus pluribus in locis illam extendit; ſi S. Petrus Simonem Magum confudit, S. Paulus plures Philoſophos & Gentiles confudit. Unde meritò de illis S. Ambroſius loquens, ait: *Quis cui præponatur incertum eſt, puto enim illos æqualis eſſe meriti, qui æquales ſunt paſſione; & ſimili eos fidei devotione vixiſſe, quos ſimul videmus ad martyrii gloriam perveniſſe.* Nec diverſa opinio S. Leonis Papæ fuit, qui de illis loquens, ait: *De quorum meritis & virtutibus, quæ omnem loquendi ſuperant facultatem, nihil diverſum, nihil debemus ſentire diſcretum, quia illos, & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales.* Hoc pariter colligitur juxta gloſſam interlinealem, & à Gratiano S. Jeronymo attribuitur, quod S. Petrus à S. Paulo reprehenſus fuerit: *Quod non auderet* (de S. Petro dicitur) *niſi ſe non imparem ſciret.*

SS. Petrus & Paulus meritis æquales.

S. Ambroſ. ſerm 66. in natal. horum.

Gloſſa in præfat. ad Galat. Gratian. conſ. 2. q. 7. cap. 33.

26. Verum quidem eſt Angelicum doctorem in ſermone quodam de his duobus ſanctis, illos vocare: *Duo luminaria magna*; in cœlo S. Eccleſiæ, & S. Petrum inquit: *Luminare majus*; & S. Paulum: *Luminare minus* eſſe; non quia meritis aut ſanctitate minor, ſed quia S. Petrus majoris dignitatis, cùm ſummus Pontifex fuerit. Sicut quoque ſol diei præfectus, & luna nocti; juxta illud Pſalmiſtæ: *Qui fecit luminaria magna, ſolem in poteſtatem diei, & lunam, & ſtellas in poteſtatem noctis.* Ita S. Petrus deſtinatus fuit prædicationi

Quomodo S. Petrus ſoli, & S. Paulus lunæ aſſimulatus?

Geneſ. 1. 16.

Pſalm. 135. 7.

dicationi Judæorum, qui instar diei, lucem divinæ Scripturæ habebant; & S. Paulus Gentibus, qui tenebris errorum, instar noctis involutæ erant. Sicut quoque de illis dicitur:
Joël. 2. 31. *Sol vertetur in tenebras, & luna in sanguinem.* Ita verificatum est de his, nam S. Petrus veram lucem obscuravit in nocte passionis Christum negando; & S. Paulus se maculavit sanguine Christianorum, illos persequendo. Licèt quoque hi duo Apostoli multùm differant; in eo tamen quod plus refert, simillimi sunt, in dignitate, nempe, & gloria majori quàm habuerunt, patiendo pro Christo. Cumque jam viderimus in S. Petro omnes dignitates tribulationi cedere, consonum est, nos quoque in S. Paulo idem exquirere.

Ingens privilegium in cœlum rapi. 27. Fuit inprimis summa gloria S. Paulo, raptum esse ad tertium cœlum, & participem fuisse mysteriorum divinorum; imò multi putant ipsum eo tempore divinam essentiam vidisse: si tamen, ut credibilius est, non fuerit, ad minùs clarissimam & perfectissimam cognitionem rerum cœlestium habuit. Maximum profectò privilegium fuit, in terris existens, cœlestibus frui deliciis; vix ad Christum conversus, admitti non tantùm ad secretam Principis audientiam meruit, verùm etiam (quod maximum amicitiæ indicium est) participem fieri secretorum ejus, & audire ea quæ lingua humana exprimere non valet. His tamen non obstantibus, non discedens à conclusione nostra, dico, majorem fuisse favorem pro amore Dei pati, quàm ad Christi fruitionē elevari. Major fuit favor incarcerari, & vinculis ferreis constringi, quàm suprà omnes cælos elevari. Majorem esse gratiam, tot injurias pro Christo sustinuisse, quàm cælestia secreta audivisse; sic illud affirmat S. Paulo addictissimus, S. Joannes Chrysostomus: *Non ita* (inquit) *beatum dico Paulum, quòd in paradisum raptus, atque quòd in carcerem est conjectus; non ita beatum æstimo, quòd verba ineffabilia audierit, atque quòd vincula sustinuit. Non ob id adeò beatum illum prædico, quòd in tertium cœlum raptus est, atque propter vincula.* Alibi quoque de oculis Apostoli loquens: *Viderunt* (inquit) *paradisum, isti oculi viderunt tertium cœlum; sed eos non tam censeo esse beatos propter hoc spectaculum, quàm propter lachrymas per quas viderunt Christum.* Nec mirum S. Chrysostomum hoc dicere, qui enim verè amat, magis pro persona amata pati cupit, ut suum sincerum exhibeat amorem, quàm ab ipso gratias recipere. Amor nullibi melius applicari potest, quàm Deo, ideoque non possumus actionem digniorem efficere

Majus est tribulari pro Christo.

Chrysost. homil. 12. in epist. ad Coloss.

cere quàm pro illo pati: *Si quis* (inquit S. Joannes Chrysostomus) *Christum diligit, is novit, quid sit, quod dico; si quis erga Dominum insanit, ut ita dicam, & ardet, is novit quæ sit vinculorum virtus. Hic utique prius habebit optimè datum, vincula ferre propter Christum, quàm cælos habitare.* Puto ego si Angeli beati alicujus desiderii capaces essent, non aliud desiderarent, quàm pati pro Christo, & libenter aliquo tempore relinquerent Dei fruitionem, ut pro illo pati possent.

Ubi suprà.

An Eliæ & Enoch melior paradisus quàm cælum.

28. Nónne videtis maximum favorem Deum contulisse Eliæ & Enoch, quòd vivos in paradisum transtulerit? consideremus parum, in quo hic favor consistat; an pulchrior voluptatibus & deliciis abundantior est paradisus terrestris, quàm cœlestis? an melius est animæ societate corporis frui, quàm societate Dei? certè non. Nónne igitur melius fuisset his Prophetis debitum naturæ moriendo persolvere, ut alii sancti, & ad claram Dei visionem fruendam pergere; se in Oceano illo dulcedinis divinæ immergere, quàm tot annorum millibus, quasi extra cœlum relegati manere, & longè à consortio sanctorum in angulo mundi degere? Certè si statum præsentem Eliæ & Enoch assimulemus statui beatorũ in cœlis, absque dubio hic melior est. Hi sunt jam in patria, illi adhuc in exilio; hi mensæ Regis cœlorum assident, & nuptiis Agni fruuntur, illi famelici solâ spe alantur. Hi ad portum feliciter appulerunt, illi se in insulâ licèt amœnâ conservant, quia iterum mare intrare & navigationem complere debebunt. In quo ergò privilegium Enoch & Eliæ consistit? non in altero, ut mihi videtur, nisi quòd tempore Antichristi venient, & cum ipso pugnando coronam martyrii recipient. Hic favor tantus est, ut benè satisfactum videatur tot annis privationis visionis beatificæ, paucis horis, quibus pro Christo patiuntur. Adeò longa abstinentia à cœlesti manna, bene compensata putatur, cum gustatione pretiosi cibi tribulationis; adeò longum exilium à cœlesti patria; bene peractum judicatur, ut commoditatem quandoque habere possimus aliquid pro amore Dei sustinendi. O qualis excellentia tribulationis, cui ipsa cœli gloria cedere debet! nónne videtis in cœlo pro uncia tribulationis dari multa pondera gloriæ; quasi illa multò majoris pretii esset? eodem modo hîc in mundo pro minima auri parte dantur multa pondera æris? S. Paulus idem clarissimè affirmat: *Momentaneum & leve nostræ tribulationis.* Ecce uncia auri, & tribulationis: *Æternum gloriæ pondus ope-*

Melius pro Christo pati, quàm cælo frui.

2. Corint. 4. 17.

dus operatur in cœlis. Ecce incomparabile gloriæ pondus quod pro illa datur. Quid mirum si hîc ubi tanta copia tribulationis, veri servi Dei, magis tribulationem & adversitatem æstiment, quàm consolationem, & delicias cœlestes.

29. Recordor me legisse de Patriarcha Jacob, illum duas mirabiles visiones vidisse, in prima vidit Angelos pulcherrimos per scalas ascendentes & descendentes, vidit cœlum apertum, & Deum scalis innixum; ô quàm delectabilis visio! In altera apparuit illi in tenebris similitudo hominis, qui illum stringens, luctabatur cum eo, & in fine tetigit nervum ejus, & claudus effectus est. Quale judicium feretis de duabus his visionibus? prima certa fuit particularis favor & delectabilis; secunda videtur aliqualis castigatio, aut ad minus terribilis; Jacob autem quid ipse refert? omninò contrarium; de prima inquit: *Quàm terribilis est locus iste?* Unde perterritus es ô Jacob? venerunt Angeli te salutatum, Deus se totum benignum exhibuit, ut te consoletur, & dicis hunc locum terribilem esse? Si quoque Deus te consolans terribilis est, quid erit dum te oppugnabit? si nunc expavescis, tunc mortem tibi adferet; quinimò inquit, erit vita mea & salus, sic enim inquit, finitâ luctâ: *Vidi Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Mira certè res, cœlum apertum pavorem immittit, & luctationes illum sanant. Qualis homo fuit iste? scis tamen quare? quia in hac vita veri servi Dei fruuntur tribulatione & dolore; cognoscunt hos esse majores favores, quàm frui deliciis cœlestibus. Rectè ergò S. Joannes Chrysostomus suprà relatus, potiùs volebat in carcere & catenis esse cum S. Paulo, quàm cum ipso in cœlis inter Angelicos choros.

Quanam visio Iacobo gratior?

Genes. 28. 17.

Genes. 32. 30.

Lucta gratior quàm cœlum apertum.

30. Quod fuit aliud privilegium S. Pauli? vocatum fuisse vas electionis: *Vas electionis est mihi iste* (aiebat Dominus ad Ananiam) *ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus.* Maximus favor fuit, esse vas portans preciosissimum liquorem nominis Iesu, quid melius dici potest? vas adeò Deo charum, ut propter illud ignoscat terræ, unde hoc factũ est; quæ aliàs sterilis, saxosa, & meritò destruenda; tribus Beniamin, nempe, quæ propter scelus illud horrendum Galaaditarũ, merebatur omnino deleri. Prævidendo Deus, ab ipsa nasciturum S. Paulum, voluit illam conservare, inquit S. Jeronymus in epitaphio S. Pauli. Vas de quo meritò S. Bernardus inquit: *Vas dignum, & cœlestibus ferculis repletum, de quo & sanus escam, & infirmus accipiat*

Actor. 9. 15.

Ingens favor portare nomẽ Christi.

S. Bernard. serm. 1. hujus festivit.

S. Jeron. lib. 3. advers. Pelag.

piat medicinam. S. Jeronymus inquit: *Vas aureum toti mundo resplendens.* Ulteriùs tamen procedit S. Joannes Chrysostomus, qui ipsum stellis præferendo, inquit, *Astra quædam cùm fierent, admirabantur Angeli, hunc verò Deus ipse admiratus est, dicens: vas electionis.* Apostolus insuper de vasibus dicebat; alia fiunt in honorem, alia in contumeliam, aliqua ad exercitia honesta, aliqua ad vilia; quod autem exercitium nobilius esse poterat, quàm continere pretiosissimum unguentum nominis Jesu, de quo dictum; *Oleum effusum nomen tuum*? Vas continens liquorem odoriferum, & ubique diffundens: ideò S. Paulus aiebat; *Christi bonus odor sumus.* Liquor adeò Christo charus, ut potiùs vitam, quàm nomen amittere volebat. Capite insuper amputato, adhuc sacratissimum hoc nomen prolatum fuit; quasi non sufficeret ipsi in vita ubique portasse, & manifestasse, etiam post mortem prædicare voluit.

S. Chrysost. Homil. 18. ad Rom.

Cant. 1. 3.

Cur S. Paulus vas dicitur.

31. Notandum quoque est non dici debere illum instar hominis hoc nomen portare, sed instar vasis. Quid hoc sibi vult? an S. Paulus illibenter hoc portabat, nec suâ voluntate in portando utebatur? Si ita fuisset, nil promeritus fuisset; quare ergò dicitur portare instar vasis? Pulcherrimum hîc latet mysterium; primò, non est homo à natura formatus ut aliquid ferat, aut aliquid contineat; sed aliis officiis & exercitiis destinatus, & accidentarium illi est quod portet pondus. Vas autem ab arte confectum est ut aliquid contineat, aut ferat, quod ipsi imponetur. Multi reperiuntur qui velint portare nomen Domini; sed quomodo? ut homines, non se volunt omninò huic exercitio tribuere, sed volunt mille aliis rebus attendere, volũt servire Deo, & mundo. S. Paulus verò, fuit vas ad hunc usum destinatum, non aliud intendit, nec alio die noctuque occupatus fuit, quàm quomodo gloriam sanctissimi nominis Jesu augeret. Dum insuper aliquis quidpiam portat, à seipso movetur, seipsum regit, non autem ab alio movetur, sed vas se movere non potest, oportet aliquem esse qui illud moveat, & deferat. Pariter multi sunt, qui Christum portare volunt, sed à seipsis moveri volunt, proprio cerebro se regere cupiunt: illas orationes dicere, quæ ipsis magis placent, & non alias, nolunt denique obedientiâ superiorum dirigi. S. Paulus autem, quàm admirabile vas, portat nomen Domini nostri Jesu Christi, sed à gratia divina etiam portatus fuit; non movebatur proprio cerebro, sed à beneplacito divino, cui se totum consignaverat, ideoque dicebat: *Non ego autem,* 1. Cor. 15. 10.

 sed

sed gratia Dei mecum. Non ego prædico, non ego converto gentes, non ego bene operor, sed gratia Dei me movet, & regit: ego verò me ab ipsa regi, & ut vas deferri sino.

Tribulatio hoc favore dignum reddidit.

32. Maximus certè favor, sed quid ipsum tanto favore dignum reddidit? Tribulatio, nónne videtis quòd vasa terrea, antequam alicui honorato officio deputentur, vel mensis principum adhibeantur, primò in fornace bene, & diu coquantur? sic nobis evenit in fornace tribulationis, in quo sumus cocti, & apti redditi servitio Dei nostri: hoc, teste Sapiente, verum
Eccli.27.6. declaratur, qui de iis sic ait: *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* Clariùs adhuc ex eo patet, quod Deus de S. Paulo Ananiæ dixit:
Act.9.15. *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum.* Quare Domine vocas Saulum Ecclesiæ tuæ persecutorem, *Vas electionis*? Cur tantum illi exhibes favorem? *Ego, enim,* inquit, *ostendam illi, quantum oporteat illum pro nomine meo pati*: Ecce ratio in promptu, plurimum pro nomine meo pati debet, multas tribulationes sustinere, ideoque vas dignum est, ut portet nomen meum.

Absque tribulatione frustra Dei nomen fertur.

33. Dico insuper, deferre solummodo nomen Domini Jesu, nullum fructum adferret, quando huic delationi, non esset tribulatio pro amore ejus conjuncta, & libenter tolerata. Tunc siquidem eveniret sicut jumentis, quæ lautissimos quidem cibos, & vina pretiosissima deferunt, sed aliis, ipsis verò nil datur nisi parum fœni, & aquæ. Ita multi deferunt sanctissimum Jesu nomen, illud prædicant, sæpius in ore habent, sed quid ipsis prodest si non gaudent fructu ejus, si non participent de gratia illius, sed solùm aquam turbidam, & fœnum rerum mundanarum gustent? In die judicii tales dicent: *Domine nónne in nomine tuo prophetavimus, & dæmonia ejecimus?* Et respondebitur ipsis; *Amen dico vobis, nescio vos.* Qui verò pro amore Dei patientur, illi gaudebunt fructu, & suavitate hujus sanctissimi nominis; quia ut optimè Apostolus inquit, *Si compatimur, ut & conglorificemur*, & S. Petrus: *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis:* non dixit si prædicaveritis, sed si contempti, & afflicti fueritis, propter nomen Jesu, beati eritis. Quare? *Quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus spiritus super vos requiescet.* Quasi diceret, fruemini cuncto bono quod hoc nomen continet, & illi credent vos injuriâ afficere, vos autem honorati, & gloriosi eritis, ac fruemini ejus spiritu.

Matt. 7.22. Matt.25.12. ad Rom.8.17. 1. Petr. 4.14. Ibid.

S. Paulus de tribulatione gloriabatur.

34. Hoc optimè intelligebat S. Paulus, idcircò nô gloriabatur se multum prædicasse, sed multa su-

ta sustinuisse; *Gloriamur*, inquit, *in tribulationibus*. Notat autem S. Joannes Chrysostomus, illum alibi dixisse: *Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem, non secundùm magnitudinem facti, sed prout fuerit qualitas passionis*: & paulò infrà ait, non dixisse illum tot, & tantis prædicavi; *Sed dimittens omnia sua præclara facinora, mala quæ toleravit, enumerat*. Tribulationes ergò S. Paulum multò gloriosiorem reddiderunt, quàm prædicationes; magis conformitas passionis patientissimi Jesu, quàm delatio nominis ipsius per totum mundum. Quod tantò ampliùs considerandum, quia summâ alacritate patiebatur, & promptitudine cordis se Deo offerebat; ut enim S. Joannes Chrysostomus inquit: *Libentiùs verbera excipiebat, & vulnera, quàm alii bravia diripiant*. Numquam vidistis dum multi ad pallium currunt, quàm alacriter ille qui cæteris præcurrit, ad præmium accipiendum tendat? quantâ lætitiâ, & honore, ab omnibus comitatus? multò major inquit. S. Joannes Chrysostomus, erat lætitia cordis S. Pauli, dum injurias, & verbera recipiebat. Parum dixi, videbatur paradisum intrasse, dum carcerem intrabat, & coronam gloriæ recipiebat, dum catenis stringebatur; ita S. Chrysostomus rursum inquit: *Livoribus quasi quibusdam coronis gloriabatur, tribulationibus ut delitiis utebatur, squallore carceris, ut Paradisi amœnitate gaudebat*.

Chrysost. in epist ad Olympiam

Chrysost. homil. 2. de laudib. S. Pauli.

Chrysost. homil. 8. de laudib. S. Pauli.

35. Fuit denique maximum privilegium S. Pauli, doctorem gentium esse; primò, quia non fabricabat super fundamentum aliorum, ut ipse dicebat; *Ne super alienum fundamentum ædificarem*. S. Petrus fuit quidem Apostolus, & doctor Judæorum, non debuit tamen ipse fundamenta jacere, quia illa à prophetis jacta reperiebat; loquebatur genti Deum cognoscenti, sacram scripturam acceptanti, & Messiam expectanti; sed S. Paulus Apostolus ultra quòd fuerit datus magister, & doctor pluribus numero personis; gentiles quippe multò plures erant Judæis, agendum illi fuit cum gente ignorante Deum, sacras scripturas non admittente, immortalitatem animæ negante, & bestiarum instar vivente. Videbatur Christus S. Paulum sibi comparare, sicut enim ipse Hebræis concessus fuit; *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*; ita gentibus missus est S. Apostolus Paulus; quod autem Christus de Spiritu sancto dixit; *Alium paracletum dabit vobis, spiritum veritatis, ille vos docebit omnia*: Non defuerunt hæretici qui hoc intelligendum putabãt, de Apostolo S. Paulo, in quo licèt impii, & stolidi fuerint, opinio-

Excellens fuit doctor gentium.

ad Rom. 15. 20.

Matt. 15. 24.

Joan. 14. 16

opinionem tamen ſublimem quam de ipſo conceperant, oſtendebant. Gentiles in Licaonia S. Paulum adorare cupiebant, credendo illum Deum eloquentiæ Mercurium eſſe, adeò excellens prædicator illis videbatur.
Per tribulationem doctor. Si tamen primò in ſchola tribulationis non fuiſſet edoctus, quid ſciviſſet? Sapiens hoc rectè
Eccli. 34. 9. teſtatur dicens: *Qui non eſt tentatus, quid ſcit?* qui tribulationes non eſt perpeſſus, quid ſcire poteſt? Nihil certè; unde inquit:
1. Cor. 22. *Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum.* Videbatur nil aliud poſſe proferre, niſi cruces, tribulationes, & mortes; in hac quippe ſchola doctor effectus fuerat, & noverat nullam utiliorem doctrinam hac eſſe.

Plus patiendo quàm prædicando docuit. 36. Audeo inſuper dicere, illum plus patiendo docuiſſe, quàm prædicando; ampliorem fructum per patientiam attuliſſe, quàm per doctrinam. Hoc autem verum eſſe, clarè patet ex inſtructione, & modo quo diſcipulum ſuũ Timotheum prædicare docuit: primò quippe loco, inquit, patientiam doceas, & poſtea doctrinam habeas;
2. ad Tim. 4. 2. *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, in omni patientia, & doctrina*: primò patientiam ut magis neceſſariam ponit, & poſtea doctrinam; illam vult eſſe univerſalem, hanc autem indefinitè profert; quaſi exigua quævis doctrina ſufficeret. Dico inſuper doctrinam ejus in patientia terminandam, hic enim erat præcipuus punctus quem docebat; oportere nimirum pati, qui paradiſum ingredi vellet: multò magis quoque verbo quàm opere docebat; quin imò nec in vita illam tradidiſſe ſufficiebat, poſt mortem quoque eandem docere voluit. Quando *Cur lac loco ſanguinis ex collo defluit?*
S. Paulo caput amputatum fuit, loco ſanguinis ex collo lac fluxit; quam creditis fuiſſe cauſam? Alibi plurimas aſſignavimus rationes, hic verò hanc ſolam adjungemus, quæ propoſito noſtro inſervit; ſanguinem vindictæ ſymbolum eſſe, tam quia ira eſt ebullitio ſanguinis circa cor, quàm quia videre ſanguinem ſparſum, beſtias quoque ad vindictam accendit: ut in libris Machabæorum legitur. Marcus Antonius, ut animos Romanorum ad vindicandam Cæſaris mortem accenderet; illis induſium ſanguine refertum oſtendit. Qui veſtes ſanguine tinctas reſervat, ſignum eſt illum vindicare velle, fortè Joannes in Apocalypſi, de martyribus ait:
Dealbaverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni; pulcherrimâ metaphorâ oſtendens martyres, ex conſideratione patientiæ, quâ Agnus innocens ſanguinem ſuum ſparſerat, didiciſſe quoque omnem appetitum vindictæ dimittere. Scimus denique ſanguinem cla- Apoc. 7. 14.

mare

mare vindictam, juxta illud Genesis; *Vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra.* Ut ergò sciretur in anima Pauli, nullum esse appetitum vindictæ, sed affectum pium, & maternum, erga persecutores, loco sanguinis lac effluit. Natura ab inflammata charitate Pauli adeò victa remansit, ut sicut ad præsentiam occisoris (ut graves referunt auctores) ex vulneribus occisi sanguis emittitur, vindictam quasi poscendo; hic è contrà versus occisores misericordiam postulans, lac emittit.

Gen. 4.10.

S. Paulus misericordiam non vindictam quærebat.

37. Concludamus ergò hos sanctos gloriosissimos fuisse, non tantùm quia Apostoli, & principes S. Ecclesiæ fuerunt, non propter miracula, & sapientiam, non propter supremam dignitatem, & revelationes, nec tam propter prædicationem, & conversionem gentium; quàm propter passionem, labores, vulnera, injurias, persecutiones, mortem denique acerbissimam, pro Christo toleratam. Alacriter ergò resolvamus hos sanctos imitari; si quippe melior via ad cælos esset, ab his sanctis inventa fuisset: quia tamen illi, omnesque alii hac viâ nos præcesserunt, stulti essemus si aliam invenire nos posse cogitaremus. Dum populus Hebræus à tyrannide Pharaonis liberatus, ad terram promissionis pergeret, assignavit illis Deus ductores; duas nempe columnas, una nubis, altera ignis, quæ per vices populum præcedebant; nec ullus adeò stolidus repertus, qui per aliam viam ad terram promissionis pergere præsumeret. Qualis ergò erit nostra confusio si stolidiores, & audaciores Hebræis fuerimus? Nónne videtis nos etiam præcedere duas columnas admirabiles, quæ non terram promissionis, sed viam cæli nobis demonstrant. Scitis quales hæ duæ sint? SS. Petrus & Paulus.

Gloriosiores tribulatione quàm alia dignitate.

Nobis sunt imitandi.

38. Columna nubis de die populo Hebræo lucens, fuit S. Petrus, qui eidem populo radiis divinæ legis illuminato, viam cæli aperuit. Columna nubis, quæ in noctis obscuritate eumdem populum per iter securum dirigebat, fuit S. Paulus; qui gentibus in infidelitatis tenebris detentis, viam salutis exhibebat. Columna nubis rore gravida, pluviæ guttas continuò stillans, fuit S. Petrus; ex cujus oculis, pretiosa lachrymarum pluvia numquam cessabat. Columna ignis ardentis, propter zelum animarum fuit S. Paulus. Nubes S. Petrus, qui in sublimitate dignitatis suæ, obscurum se semper tenuit propter humilem æstimationem sui. Ignis S. Paulus, qui inter tenebras infinitarũ tribulationum, & persecutionum, continuò fervidus, & gloriosus mansit. Hæ duæ columnæ nobis

SS. Petrus, & Paulus, columna nubis, & ignis.

viam ostendunt, per quam ad cæli palatia ascendere possimus. Hæc non alia est quàm tribulationis, & patientiæ via, quam alta voce, exhibuit dicens: *Per multas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei.* Quis aliâ viâ eò tendere præsumet? Verè stoliditas magna foret; ideoque sumere animos, & alacriter eò tendere, oportet tantò ampliùs, quòd hi gloriosi Apostoli non solùm nos doceant, verùm etiam robur addant, ut Deo serviamus, & in illorum consortio postea securè procedamus, sine alicujus inimici pavore. Contra hos portæ inferi non prævalebunt, ab his Ecclesia Catholica continuò defensa, nosque simul defendemur.

Stultum est has columnas non sequi.

Act. 14. 21.

39. Roma antiquitùs duos insignes habebat duces, quorum unus Fabius Maximus, vocabatur scutum; alter M. Marcellus dicebatur gladius, per hos duos omnes adversarios se victuros confidebat. Multò tamen melius S. Ecclesiæ provisum est, scuto, & gladio, his duobus Apostolis. Vis scutum forte, & inexpugnabile? Accipe S. Petrũ in quo omnia inimicorum arma confringuntur: propter firmam fidem quam tenuit: *Adversarius vester diabolus*, inquit, *circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Gladium desideras? Ecce S. Paulus pro lege Dei sui fervidus, & zelosus; qui gladio verbi divini, ab omnibus inimicis nostris triumphat; *Gladium*, inquit, *spiritus assumite, quod est verbum Dei.* Si verò exempla gentium displiceant; imitemur reædificatores civitatis Jerusalem, qui (ut in libro Esdræ legitur) ut non essent improvisè præoccupati, una manu lapides ad fabricandum, altera verò gladium tenebant, ut se ab inimicis defenderent. Pariter nos faciamus, lapide, & gladio indigemus; lapide propter fidei firmitatem, gladio propter perseverantiam in bonis operibus. Sed ubi inveniemus petram, & gladium nisi in his duobus sanctis Apostolis? S. Petrus, petra est stabilis & firma, supra quam Ecclesia fabricata. S. Paulus, ut gladius ardens, & inflammatus à cælesti sapientia. Hos duos S. Ecclesia vobis hodie patronos in tribulatione offert; sciatis his bene uti, armate manus exemplo illorum, ad merita illorum accurrite, illorum intercessionem implorate, documenta eorum ad opus redigite, & æternâ, ac felici beatitudine cum illis perfruemini; quod vobis concedat Deus auctor gratiæ, & Apostolorum elector. AMEN.

SS. Petrus & Paulus scutum, & gladius.

1. Petr. 5. 8.

ad Ephes. 6. 17.

His duobus utendum.

DISCVR-

DISCVRSVS XIV.

De causis tribulationis; & in primis si à Deo procedat. Cum utilissima consideratione tribulatos consolandi.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Rerum causas cognoscere, perfecta scientia est. num. 1.
Quæ tribulationis causa? nu. 2. 3.
An Deus tribulationis causa? nu. 4.
Deum auctorem non esse ex ejus amore probatur. à num. 5. usque ad 10.
An Deus propter suam utilitatem nos affligat? num. 11. 12.
De nostra afflictione multum dolet. num. 13. 14.
Deus testatur se non esse tribulationis auctorem. num. 15. 16. 17.
Videtur tamen tribulationis auctor esse. num. 18. 19. 20.
Ad Deum in tribulatione recurrendum. à num. 21. usque ad 25.
Qualiter Deus tribulationis auctor. à num. 26. usque ad 30.
Quis fructus ex tribulatione colligendus. à num. 31. usque ad finem.

Cognitio causarum mater scientia.

1. Uamvis intellectus humanus plurimum in aliqua re versatus fuerit; certissimè cognoscat magnitudinem, prosperitatem, accidentia, partes, & naturam ejus: non tamen ad perfectam ejus cognitionem pervenisse se credit, nisi radicem, & originis causas perscrutetur: quibus perfectè cognitis, metam, & portum perfectæ scientiæ attigisse videtur. Ita testatur Peripateticorum princeps Aristoteles; *Tunc arbitramur aliquid perfectè cognoscere, cùm usque ad causas primas pervenerimus.* Natura quoque diligentem, & providam se exhibet, ut nos ad hanc cognitionem excitet: posuit siquidem in nobis ut acutissimum stimulum admirationis affectum, quo continuò excitati, occasiones admirabilium effectuum quas ignoramus inquirere delectat. Unde eodem Aristotele testante Philosophia ortum habuit; quia, *Cœperunt homines admirari, & ex admiratione philosophari.* Viderunt repentè cælo sereno, solem offuscari, lunam quasi velo

Aristot. 1. physic. textu 1.

Admiratio cur homini data?

Aristot. 1. Metaphys.

velo tegi; hoc admirati, occasionem ejus indagare incipientes, interpositionem corporis alicujus opaci causam esse repererunt. Obscuratio quippe solis, ex interpositione lunæ inter ipsum, & aspectum nostrum contingit; & eclipsis lunaris interpositio terræ inter solem & lunam causa est. Viderunt varias in omnibus rebus mutationes; & admirati, quomodo unum corpus modò in uno, modò in alio loco reperiatur; modò unam qualitatem acquirat, modò aliam oppositam: causas singulorum investigantes, in cognitionem naturæ devenerunt; illam nimirum esse, *Principium, motus & quietis*. Viderunt quandoque aquam contra naturam in altum ascendere, & admirantes quomodo hoc accideret, cùm gravitate deprimatur; occasionem inquirentes, repererunt illud, ad impediendum vacuum effici, quod summoperè natura abhorret. Eodem modo per alios omnes effectus discurrendo, causas illorum reperire potuerunt.

Ex hac Philosophia orta.

Tribulatio majori admiratione digna.

2. Ut verum tamen dicam, si umquam res aliqua, in regno naturæ, aut à quavis arte digna fuit diligenter inspici, aut ab homine admirari; non hæc, meo judicio, fuit pulchritudo, & varietas cælorum, non vastitas maris, non pyramides Ægypti, non labyrinthus Creti, nec aliqua mundi excellentia; sed tribulatio, infirmitas, & cætera mala pœnæ. Admirationem quippe rerum, tollit cognitio causæ, naturæ verò auctorem scimus esse Deum omnipotentem, artium autem subtilissimum hominum ingenium; quid mirum si ab ipsis procedere videamus admirabiles & pulcherrimos effectus? Tribulationis autem quæ aliud nihil est quàm defectus, & privatio, qualem dicemus esse originem, & causam? Res bonas in mundo esse non admirandum; quia Deus optimus auctor earum est: malum culpæ esse, non mirum, cum procedat à nostro libero arbitrio; sed tribulatio quæ nec bona, nec culpa est à quo procedere potest? An à Deo? Si tamen bonus est, quomodo rei non bonæ, imò malæ auctor erit? A nobis? Si omnes illam fugiamus & horremus, quomodo ejus causam esse possumus? quàm admirabile ergò est illam reperiri.

Tribulationis causa admirabilis.

3. Ampliùs dico, stupenda fuerunt miracula Salvatoris nostri; tactu sanare infirmos, illuminare cæcos, resuscitare mortuos: sed dicere quasi auderem, majorem admirationem mihi tribulationem adferre; magis admirandam cæcitatem, quàm restitutionem visus; infirmitatem, quàm subitaneam liberationem; magis mortem, quàm resurre-

resurrectionem. Ejusdem opinionis, ni fallor, fuerunt Apostoli; non enim quemquam illorum miracula Salvatoris admiratum fuisse reperio; licèt quoque sciam tempestate maris unico signo sedatâ, homines admiratos fuisse; non ignoro tamen S. Hieronymum dicere; notandum esse, per hos homines non intelligendos Apostolos; si tamen inter illos aliquis comprehenditur, meritò hominibus annumeratur, quia nondum intelligebat potentiam Salvatoris. De quo ergò Apostoli admirabantur? De tribulatione quia videndo hominem cæcum stupebant, & pleni admiratione & curiositate, causam à magistro suo petebant dicentes; *Rabbi quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Pariter in parabola zizaniæ, dum viderent grana viridia, & pulchra, nullus admirabatur; dum autem zizania conspicerent, subitò admirantes interrogant; *Domine nónne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergò habet zizania?* Similiter nos dicere possemus; Deus nónne omnia bona creavit, & in servitium hominis deputavit? *Unde ergò habet zizania?* Unde ergò nata est mala illa tribulationis herba? unde tantum crescit, ut nihil sit in mundo magis multiplicatum? Ab hac admiratione, volo nos incipere hodiè discurrere, & investigare, quæ causa tribulationis, utrum effectus Dei verè dici possit, & cognoscat Deum auctorem suum?

Matt. 8. 27

Apostoli tribulationem non miracula admirati.

Joan. 9. 2.

Matt. 13. 27

4. Sed quis erit, qui Deum auctorem tribulationis esse dicat? A patre adeò bono filia maligna generari potest? filia tanto odio ab omnibus habita, à patre tanto amore ab omnibus excepto? à radice tenerâ, & delicatâ, spina adeò pungens? à vitali, & salutifero principio, venenum adeò mortiferum? non meministis ab ipso cuncta bona processisse? *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Non auditis Sapientem dicentem: *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum:* non auditis seipsum excusantem, & dicentem; *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum?* Dices fortasè non sufficere auctoritates, sed te velle rationes audire, & probationes necessarias. Dum enim quis invenitur occisus, & sunt testimonia contra aliquem, non sufficit ipsum aut amicos ejus hoc negare, sed oportet illum hoc probare. Nos modò hîc hominem habemus, si non mortuum, saltem ad mortem usque vulneratum, & infinitis bonis spoliatum; quæritur auctor hujus latrocinii, nec desunt qui Deum ipsum constituere audeant: ita Job vulneratus inquit: *Manus Domini tetigit me:* ita David: *ut quid Deus repulisti in finem, iratus est fu-*

An Deus tribulationis causa?

Gen. 1. 31.

Sap. 1. 13.

Osee 13. 10.

Id probari non potest.

Job 19. 21.

Psal. 73. 1.

est furor tuus super oves pascuæ tuæ? Oportet ergò ad probationes venire, simplex enim negatio in judicio non sufficit. Pars tamen negativa ad probandum difficillima, inquiunt legistæ, nec directè ostendi potest, sed indirectè solùm: ut per affirmationem quandam repugnantem; v. g. talis non fuit auctor homicidii, quia tempore occisionis fuit in aliis partibus, vel si præsens fuerit erat sine armis. Si hoc non sufficiat, probatur inter adversarium & occisum nullam fuisse inimicitiam, imò summam amicitiam; & ex morte ejus nullam illi potuisse obvenire utilitatem, nec morte ejus illum lætari sed maximè dolere.

Deus non potest esse causa tribulationis.

5. Deum autem non esse auctorem tribulationum, ex eo probare non possumus, quia præsens non fuit, cùm in omni loco adsit, nec quia arma non habuit, cùm omnia suo nutui obediant, sed per alias rationes adductas. Amor & affectus erga vulneratum erit probatio efficacissima; quis enim nescit amantem non offendere, nec posse offendere amatum? Invitatus Joseph à domina sua, ut dominum ab eo summè dilectum, in honore offendat; non respondit, nolo sed *quomodo possum*? Non vides impossibile esse ut ego hoc faciam? Si tamen verum dicere velim, apud homines minùs efficax hæc probatio est; adeò quippe humanus amor instabilis, ut duo se invicem hoc mane summè diligentes, vesperi indignentur, & unus alium occidat. Notat Plutarchus, gentiles duobus diis non dedicasse idem templum, nisi mysterium & unio particularis intercessisset: uti Cereri, & Neptuno, quia cibus per Cererem significatus, non debet esse sine sale, per Neptunum figuratum Deum maris, à quo sal venit. Mercurio, & Veneri, quia nulla efficacior eloquẽtia, quàm venustas; nec minùs dulcis loquela, quàm amabilis visus amorem conciliat. Herculi, quoque & musis; quia laudes heroica facta comitantur. Amorem ergò cui conjungebant? An Veneri? ex venustate quippe nascitur. An Apollini, quia non minùs sole, est pulcher, & efficax? An Vulcano, quia ignis quoque est comburens, & consumens? An Marti, quia vulnerat, & occidit? An Plutoni, quia comitatur divitias, his aliisque Diis, videtur ipsum conjungi potuisse; veteres tamen sapientes, relictis omnibus, æstimabant nulli alteri meliùs jungi posse, quàm fortunæ. Ut autem majorem inter illos unionem ostenderent, ambos simillimos fingebant, utrisque oculi velati: nudam fortunam, & vestibus spoliatum fingebant amorem; cum velo fortunam, cum alis amorem,

Gen. 39. 9.

quæst. 4. convivalium.

Cui veteres amorem jungebant?

Fortuna, & amor omninò similes.

morem, juvenem fortunam, adolescentem amorem. Magna similitudo, & paritas, sed cur? An quia à casu, & non ab electione dependeat amor ? vel quia amor, & fortuna æquo passu incedere solent ? juxta vulgare dictum :

Tempore felici multi numerantur amici;
Si fortuna perit, nullus amicus erit.

Bene quidem; sed melius ad docendum quàm instabilis sit amor, cùm se conjungat Deæ instabilitatis fortunæ videlicet. Nec hoc contenti, alas ipsi affinxerunt, juvenemque finxerunt, ut demonstrarent subitò illum avolare, nec ullo loco firmum consistere.

Amor divinus omninò oppositus. 6. Talis ergò natura amoris humani; amor autem divinus omninò oppositus; non juvenis, sed senex est; non oculis velatus, sed apertis, non volans, sed sedens, non nudus, sed bene vestitus, non fortunæ junctus, sed innumerabilibus Angelis cinctus, qui numquam voluntatem mutant. Quis ita illum vidit, & retulit? Daniel Propheta;
Daniel 7.9. *Aspiciebam*, inquit, *donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum ejus candidum quasi nix, & capilli capitis ejus, quasi lana munda.* Et paulò pòst; *Libri aperti sunt*; Ecce qualiter descriptus amor divinus; *Antiquus dierum*, non juvenis est; *Sedit*, non volat; *Vestimentum ejus candidum*, non ergò nudus; *Libri aperti sunt*; ergò videt; *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia aßistebant ei*, Ibid. 10.
non ergò solus fortunæ sociatus. Senex est amor divinus, quia æternus; *Charitate perpetuâ dilexi te.* Jerem. 31. 3
Sedet, quia constans est, *Cùm dilexißet suos in finem dilexit eos.* Joan. 13. 1.
Vestitus est, quia nostris rebus non indiget; *Bonorum meorum non eges*, inquiebat David, Psal. 15. 2.
quia non casu amat; *Ego scio quos elegerim*, cinctus, & ministratus Joan. 13. 18
à beatis spiritibus, quia immortalis est; *Charitas numquam excidit.* 1. Cor. 13. 8
Dicet fortè quispiam quomodo probatur Danielem amorem divinum sub hac forma vidisse ? Respondeo ipsum hoc testari, cinctum fuisse undique igne; *Thronus ejus*, inquit Daniel, *flamma ignis, rotæ ejus ignis succensus, fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus.* Daniel. 7. 9.
Quis nescit ignem symbolum amoris esse ? Quis alius sedere poterat in throno ignis, quàm amor, qui flammam ignis ex ore evomebat ? An nescitis prophanos quoque currum igneum Deo amoris tribuere ?

Amor divinus flumen. 7. Amor ergò divinus naturâ suâ stabilis, firmus, & constans est: licet quoque moveatur, & crescat, non tamen minuitur. Maxima est differentia inter cisternam, fontem, & flumen aquæ vivæ: ab hoc quantum

tum demas, tantò magis abundat, nec umquam minuitur; ab illa verò quantò plus haurias, tantò magis minuitur, & si semper haurias exsiccatur, & rursus implere oportet. Amorem mundanum quomodo credis esse? ut cisterna est? petas hodie aliquid ab amico, cras iterum, postea rursus aliud, aqua affectus deficere incipit; si verò continues, jubebit te alios quærere qui tibi inserviant, ipse enim suis occupatur negotiis. Dices non veros esse amicos, qui aliorum servitio defatigantur; qui verè amat, numquam deficit, nec cisterna est quæ siccatur, sed fons aquæ surgentis numquam deficiens, rectè inquis, sed horum vix ullus in mundo reperibilis. Hoc autem verum esse probatur; quis amor major esse potest, quam sponsi, ad sponsam? ille tantus est, ut de iis Salvator dicat, non esse duas sed unam personam; *Erunt duo in carne una.* O qualis erit hic amor, sponsa quippe in sponso omne cor suum figit, omnes cogitationes eò dirigit, ab ipso omnis affectus ejus dependet, nec umquam à servitio ejus cessabit: amor iste ut fons erit, non ut cisterna, deciperis etiam illa cisterna est; quis hoc inquit? Sapiens in proverbiis suis; *Bibe aquam de cisterna tua*, quid per hanc aquam intelligit? litteraliter amorem mulieris, ita enim se postea explicat; *Lætare cum muliere adolescentiæ tua, & in amore ejus delectare jugiter.*

Humanus cisterna est.

Gen. 2. 24.

Prov. 5. 15.

Ibid. 18.

8. Amor ergo sponsæ ut amor cisternæ, quare? quia sicut foret insipiens, qui aquam ex cisterna quæreret cùm nulla posita esset; ita stolidi sunt illi mariti, qui uxores suas non amantes, ab illis amari volunt. Vis aquam ex cisterna, oportet in ea esse positam, quia ex fundo ejus non exurgit, vis ab uxore tua amari? ama illam primò; vis tibi fidem servet? noli primò illam fallere. *Quales*, inquit, S. Augustinus, *volumus uxores nostras invenire, tales & ipsæ nos inveniant, & si intactam quærimus, intacti simus, si puram, puri*: Lactantius quoque Firmianus ait; *Exemplo continentiæ docenda uxor, ut se castè gerat, iniquum est enim, ut id exigas, quod ipse præstare non possis.* Unde non mirum Poëtam ita cecinisse.

Si viri ab uxoribus amari velint, redamare debent.

Lactant. cap. 23.

Dum fuit Atrides una contentus, & illa
Casta fuit, vitio est improba facta viri.

Ovid. lib. 2. de arte amandi.

Meritò quoque uxores lamentantur, maritos nolle ipsis fidem servare, quam tanto rigore ab ipsis exigunt; & graviter leves culpas puniunt, nolentes culpas suas leviter puniri. *Hanc legem*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *nequaquam probo, hanc consuetudinem minimè laudo, viri erant qui hanc legem sanxerunt, ac*

S. Gregor. Nazianz. orat. 1. de pace.

propterea versus mulieres lata est. S. Paulus quoque se illis favere demonstrat, dum Corinthiis scribens, rigidè reprehendit, & condemnat incestuosum; de muliere autem incestuosa, nullam mentionem facit, quasi excusatione dignior esset. Nec legimus S. Joannem Baptistam corripuisse Herodiadem, sed Herodem, à viris quippe omne malum procedere solet.

Mulier cisterna clausa esse debet.

9. Sicut insuper cisterna bene clauditur, nec permittitur aqua foras effluere, ut aqua fontis; ita mulier abscondita, & seclusa esse debet, nec amorem suum alicui dividere. In Canticis sponsa vocata fuit, *Fons signatus*; unde alius bibere non potest nisi dominus ejus. Hæc denique etiam cisterna est, quia amor in odium verti potest: ut uxor Job fecit, quæ illum ulceribus plenum videns, nequidem accedere volebat ut illi inserviret. *Halitum meum,* inquit, *exhorruit uxor mea.* Nec solùm creaturæ sunt cisternæ, sed cisternæ dissipatæ; *Foderunt sibi cisternas dissipatas.* Non dicit cisternas ab illis factas, dissipatas postea fuisse; sed quòd fabricabant cisternas dissipatas. Magna sanè res est, quando aliqua fabrica erigitur, nónne de novo fit & ædificatur perfecta? Quomodo ergò Jeremias inquit, has cisternas fuisse dissipatas, si noviter factæ erant? Talis siquidem natura est rerum creatarum, ut non tantùm post multum temporis, antiquæ & dissipatæ appareant, sed dum recenter confectæ sunt; dum te securiorem credis, ruinæ proximior es propter res veteres, & inutiles. Amor autem divinus, non cisterna, sed fons perennis, & fluvius perpetuò currens est: *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus. Rapidus*, quia corda rapit, secumque omnes gratias divinas defert, non enim à quovis impedimento retineri potest: *Egrediebatur* continuò sine cessatione fluens. Jeremias hunc divini amoris fluxum perennem considerans, meritò lamentabatur dicens: *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Hic fluvius amoris Dei, non solùm potens est, verùm etiam continuò rapidè currens, numquam enim cessat. Flumina in scaturigine sua solent esse parva, non navigabilia, nec nomen fluvii merentur: ubi siquidem nascuntur, & multis miliaribus post, naviculas sustinere non possunt; ita Padus, Rhodanus, Rhenus, aliique. Sed flumen amoris divini, ab initio magnum est; *Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur à facie ejus*: rapidus est, quia corda rapit, & sine intermissione gratias divinas adfert.

Rescreata cisterna dissipata.

Marginal references: Cant. 4. 13. — Job 19. 17. — Jerem. 2. 13. — Dan. 7. 10. — Jerem. 2. 13. — Dan. 7. 10.

 10. In

Deo idem est currus, & thronus.

10. In hac visione aliud quoque mirandum notatu dignum est; thronum supra quem amor divinus sedebat, rotas igneas habere; *Rotæ ejus ignis accensus.* Sed thronum cum rotis quis umquam vidit? Solent principes thronos, & currus habere, hos rotis instructos, illos pedibus immobiles; illis utuntur dum foras exire cupiunt; his verò dum in palatio commorantur. Sed divinus noster amor adeóne pauper erat, ut currum tenere nequiret, quo ad exeundum uteretur? Non paupertas, sed mysterium fuit, throno pro curru uti; ut nimirum intelligeres amorem divinum nunquam otiosum, semper beneficiis tribuendis occupatum. Non divisit tempus inter thronum, & currum; si ad loquendum accedis, numquam dicitur, foris est, aut impeditus; sed semper throno insedentem reperis; si auxilium animæ tuæ postulas, numquam impeditum reperis; semper in curru promptus est ut succurrat, imò postulationes tuas quandoque prævenit. Dicamus quoque currum cum rotis, ut currum triumphalem esse, qui antiquitùs ut thronus sublimis ædificari solebat, sed cum rotis; quia huic insidens triumphans, civitatem magno apparatu, & comitatu intrabat. Cùm ergò amor divinus in omni corde triumphet, & de omni amore palmam ferat, in curru triumphali visus fuit. Si adeò ingens, fervens, & constans est amor divinus ergà hominem, vis illum occasionem statuere tuorum malorum, & vulnerum? Magna certè temeritas esset hoc suspicari; non enim potest tali odio stimulari, cùm tam immenso amore tuo inflammatus fuerit.

Amor divinus semper promptus.

Quàm potens sit proprium commodum?

11. Dices fortè si odio commotus non fuerit, lucro, & proprio commodo accensus erit; quis enim ignorat quàm efficax hoc incitamentum? illo siquidem prædominante, non respicit frater fratrem, non pater filium, non maritus uxorem: Dum Christus in ultima cæna discipulis suis dixit; *Unus vestrûm me traditurus est*; omnes Apostoli contristati, magnâ curiositate intelligere cupiebant quis ille esset, qui tam nefarium crimen committere deberet. Quid egerunt? inter se inquirere cœperunt; *Quis eorum videretur esse major*: ad quem finem? Quomodo ad præsentiam magistri sui, dum de traditione ejus ageretur, post insigne humilitatis exemplum, quod Dominus tantâ submissione pedes eorum abluerat; Quomodo in ipsis cogitatio superbiæ irrepere poterat, ut de primatu inter se agerent? Scitis quid imaginor? Non fuisse cogitationem superbiæ, sed curiositatis; non desiderium honoris,

Matt. 26. 21

Luc. 22. 24

honoris, aut primatus, sed stratagema insigne, ut in cognitionem traditoris venire possent. De Trasibulo refertur, quòd interrogatus à Periandro, qui nuntium ipsi miserat, ut sciret quomodo se in regimine, & conservatione dominii sui, dirigere se oporteret; illum eduxisse nuntium foras in campum frumenti, & baculo quem manu tenebat, altiores spicas percutiens, aliud illi responsum non dabat. Nuntius igitur ad Periandrum reversus, ab eoque interrogatus, quid responsi adferret, dixit, ad stolidum missus videor; petitione siquidem perceptâ, me foras in agrum frumenti adduxit, ibique spicas majores frumenti percutiens, absque responso dimisit. Intellexit tunc Periander illa actione, voluisse Trasibulum docere, ut si vellet regnum tyrannicè usurpatum pacificè possidere, vitam adimere deberet majoribus regni; ab his siquidem uti ab inimicis qui regnum occupare possent, timendum foret. Tarquinius superbus à filio simili interrogatione præventus, respondit, percutienda suprema capita papaverum. Ita Apostoli inquirebant, quis ille sceleratus & impius esset, qui mortem magistro suo machinari vellet, nullus nostrûm inquiunt ullum detrimentum recepit, nullus occasionem odiendi habet, sed amandi; nec possibile videtur reperiri cor adeò durum, & perversum, inter nos, ut tanto odio remuneret amorem exhibitum, & mortem pro tanto beneficio inferat. Si hæc ergò traditio ab odio non procedat; à lucro & proprio commodo procedere oportet. Sed quid aliquis protendere poterit ex morte ipsius? An divitiis eum spoliare poterit? Pauperrimus est. Solùm ergò restat, ut in supremo ejus dominio succedere cupiat, ac caput, & magister, noster fiat. Si hoc verum est, ab altero esse non potest hæc inventio, quàm ab illo, qui cum inter nos major sit, succedere vellet, in dignitate magisterii ejus: videamus ergò quis inter nos major fuerit, & traditorem reperiemus. Ita inter se argumentabantur Apostoli; ideoque; *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Luc. 22. 24.

Cur Apostoli de primatu contendebant.

Vt traditorem magistri reperirent.

12. Magnum ergò motivum, & ingens potentia est proprii commodi & lucri; sed quid, an Deus aliquid à nobis prætendit? An utilitatem aliquam ex nostris malis, & morte capiet? Videtur quòd ita, quia magna est prætensio hæredis; testatore quippe mortuo, in hæreditatem ejus succedit. Deus hæres est omnium nostrûm; *Tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Psal. 81. 8. In utilitatem ergò ejus cedet mors nostra. Nec hoc verum esse potest, cùm nullâ re nostrâ indigeat; optimè

Deus nostris bonis non indiget.

optimè hoc David intellexit dicens: *Quæ utilitas in sanguine meo dum descendero in corruptionem?* Verum est nec vivum quidem me tibi prodesse, ad minus tamen laudare & glorificare possem, quod mortuus & in pulverem redactus efficere non valerem: *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, aut veritatem tuam, in perditione?* & alibi; *Non mortui laudabunt te Domine*; sed nos qui vivimus. Ex morte ergò nostra Deus nullam utilitatem percipit, imò utilius ipsi est, ut vivamus, quàm moriamur. Quod autem David dicit: *Tu hæreditabis in omnibus gentibus*, non de hæreditate successionis intelligendum, sed de possessione; non quòd aliquid de bonis tuis illi obveniendum est, cùm tu sis hæres, sed quòd ipse omnes gentes pro hæreditate sua possideat; juxta aliud dictum Psalmi; *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Si ergò nullam utilitatem ex tribulatione nostra percipiat, & maximè nos diligat, quis dicere audebit, illum gaudere de malo nostro, illiusque causam esse?

Psal. 39. 10. Ibid. Psal. 87. 12. Ps. 113. 17. Psal. 81. 8. Psal. 2. 8.

Deus summè dolet de malis nostris.

13. Ampliùs dico, illum summum sentire dolorem de afflictione nostra. Apud Persas, ignis quidam sacer vocabatur, semper ardens, qui regibus præferebatur, uti quoque Romanis moris erat, à virginibus Vestalibus custodiri. Hic modus introductus fortè fuit, ad imitationem Hebræorum qui ex præcepto divino semper ignem in altari tenere debebant: *Ignis in altari meo semper ardebit.* In Persia autem rege moriente, extinguebatur ignis, in signum quòd Deus cujus iste ignis erat, sentiret dolorem de morte principis. Sicut enim in festis publicis, in signum lætitiæ plurimi ignes accenduntur, ita signum tristitiæ erat, ignem extinguere: putabant enim Deum illorum de morte principis dolere. Meliùs tamen nos dicamus Deum non tantùm de morte regum tristari solere, verùm etiam de calamitate populi: in cujus signum voluit quoque ignem suum extingui. Non meministis quomodo in libro secundo Machabæorum legitur, quando populus Hebræus captivus abductus est in Ægyptum, Jeremiam Sacerdotem abscondisse ignem sub terra in puteo sicco? Quid de igne illo actum? dicit Sacer textus, in aquam conversum fuisse. Quàm admirabile est, ignem in aquam converti? Quis umquam talem vidit mutationem? An non poterat Deus Angelis jubere, ut continuò ignem illum conservassent? Absque dubio poterat, voluit tamen in aquam converti; scitis quare? Quia ignis symbolum est lætitiæ, aqua symbolum

Levit. 6. 12.

Ignem extinguere signum tristitiæ.

lum lachrymarum, & tristitiæ: dum autem populus ejus in Ægypto afflictus serviebat, voluit Deus ab omnibus sciri, se lætitiam in tristitiam commutasse; ipsumque afflictionem magnam sentire, quantum Deus sentire potest. Dum populus Israel à servitute Ægyptiaca ad patriam rediret, visum fuit aquam illam in ignem converti, in signum videlicet, mœstitiam illam in lætitiam conversam fuisse.

Deus in omni tribulatione nostra luget.

14. Nullum clarius, & communius signum mœstitiæ est, quàm veste lugubri coopertum esse; quem non in omni tribulatione assumimus, sed in luctu mortis alicujus amici nostri. Deus autem licèt non sit ex nostra familia, aut cognatione, ita tamen nos amat, ut non tantùm in morte; verùm etiam in omni tribulatione nostra doleat, & lugeat. Audite Prophetam Jeremiam id clarè docentem; *Super confusione filiæ populi mei contritus sum, & contristatus, stupor obtinuit me.* Vis vestes lugubres videre? ubi nos legimus *contristatus*, textus Hebræus legit *obscuratus*, nigris vestitus sum. Sed quomodo hoc potest esse? Nónne Deus omninò lux est? nónne in palatio lucis habitat? *Lucem habitat inaccessibilem; amictus lumine sicut vestimento.* Communiter hoc verum est, sed in afflictione amicorum vestem lucis exuens, obscuram, & luctus vestem induit, in signum tristitiæ; *& obscuratus est.* Ampliùs dico non solùm sentire dolorem, in afflictione amicorum, sed & in castigatione inimicis inflicta. Populus Hebræorum à Jeremia petere solebat; *Quod est onus Domini?* An videlicet aliquam castigationem à Deo infligendam habes? Quadam vice Propheta Jeremias dominum consulebat, quid responderet populo talia interroganti? dixit autem Deus, responde illis, *Vos estis onus;* vos videlicet causæ estis vestrarum afflictionum; non enim sentitis adeò castigationem quam vobis mitto, quàm sentiam ego vos afflictos. Si ergò ita de malis nostris doleat, si nullam utilitatem inde hauriat, si intimè diligat, quis dicet illum causam nostri mali esse?

Jerem. 8. 21.
1. ad Tim. 6. 16.
Psal. 103. 2.

Deus malorum nostrorum causa non est.

Jerem. 33. 33.
Ibid.

Solus Deus testis suiipsius.

15. Licèt quoque omnis ratio cessaret, verbum ejus sufficiens probatio est; illa siquidem regula, neminem de se testimonium perhibere posse, in ipso locum non habet, qui summa est veritas, nec mentiri potest; ut sol quoque est, qui nisi de se quidquam revelet, scire non possumus, nec videre. Quid ergò inquit? Bonorum nostrorum, se velle auctorem cognosci, sed non malorum; ita ut dum castigationes, & pœnas minatur, tali modo loquitur, ut ostendat se nullam partem in his habere. Ad hoc propositum sancti Pa-

Deus bonorum, non malorum auctor.

tres multa loca sacræ scripturæ adducunt, è quibus principaliora seligemus. In primis valde considerandum est illud quod Eli summo Sacerdoti dictum est; *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*: ubi clarè patet, quòd licet dicat se glorificaturum istos, non tamen inquit, ut oppositio requirebat, alii à me puniti erunt, sed erunt ignobiles: sine honore, & gloria, licèt ego nil auferam ab eis aut inferam eis malum. Hoc benè notat S. Ambrosius; *Doceant te*, inquit, *verba divina, quia operatur gloriam, pœnam relinquit; honorificantes me inquit honorificabo, honorem bonorum operationis suæ esse declarans. Et contemptores inquit mei, non dixit honore privabo, sed honore privabuntur; non suæ operationi deputans eorum injuriam, sed quid futurum esset ostendens.* Huic opinioni S. Ambrosii, alii omnes expositores se conformant, quia Septuaginta Interpretes traduxerunt, *spernentur*; Chaldæus Interpres traduxit; *despicientur*; S. Jeronymus exposuit; *Ad nihilum redigentur*; S. Ephrem, *Ignominiâ afficientur*. Notat S. Ambr. in pœna serpenti data; quare non fuerit dictum; *Facio te super pectus tuum ambulare, & terram manducare; sed ambulabis, & manducabis, ut prædixisse magis de serpente quæ futura sunt videretur, quàm præscripsisse quid faceret.*

1. Reg. 2. 30.

S. Ambros. lib. de paradiso c. 14.

S. Jeron. in c. 5. Ezech.
S. Ephrem tom. 2. Parænesi 41.
S. Ambros. Gen. 3. 14.

Differentia Dei in præmiando, & castigando.

16. Ad idem propositum notat Origenes verba Apostoli, qui justitiam divinam justis præmia, & malis pœnam distribuentem, describens, sic ait: *Reddet unicuique secundùm opera ejus, iis qui secundùm patientiam boni operis gloriantur, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio.* Nota inquit Origenes vitam æternam à Deo datam; sed non dicitur, ipsum pœnam illaturum, sed manet ipsis pœna, & indignatio. Sicut etiam præmium in accusativo, sic pœna in nominativo ponitur; ad demonstrandum, inæqualiter à Deo procedere. Ad hoc propositum confirmandum suprà citatum locũ ex libris Regum adducit, & hunc ex Propheta Isaia; *Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis.* Ex his aliisque multis locis, ut notat S. Hieronymus, colligitur, licèt fons omnium bonorum sit Deus noster; quoad mala autem, & castigationes non debet auctor agnosci. Si talem quoque se Deus in lege veteri exhibebat, quæ lex timoris erat, & Deus exercituum, & Deus ultionis vocabatur; quantò magis hoc in lege gratiæ, & amoris credendum, in qua deferendo nomen illud terribile; *Pater misericordiarum, & Deus totius*

Orig. lib. 2. in epist. ad Rom. c. 2. 6.

Isa. 50. 11.

In cap. 5. Ezech.

2. Cor. 1. 3.

tius consolationis dicitur, se omninò mitem, & mansuetum exhibens? *Ubi jam illud*, inquit S. Bernardus, *quod apud antiquos tam terribiliter, quàm frequenter intonare solebat; ego Dominus, ego Dominus? Profectò majestatis, ac potentiæ nomen, in id quod est pietatis, & gratiæ transfunditur.*

S. Bernard. serm. 5. in in Cant.

Deus olim arbores hominibus præferebat.

17. Deus in lege veteri se magis misericordem versus arbores, quàm versus homines monstrabat; unde præcipiebat, ut in obsessione civitatis alicujus, non amputarent arbores fructiferas; rationem autem assignabat, quia talis arbor, lignum, non homo erat: *Quando obsederis civitatem multo tempore, non succides arbores de quibus vesci potest, quoniam lignum est, & non homo.* Adeò parum ergò homo æstimatus erat, ut illi lignum præferret? imò adeò castigatione dignus, ut sufficiens ratio cunctis aliis ignoscendi erat illud non esse hominem? Quasi etiam omnia mundi mala, exigua pro ipso fuissent, advertebat, ne aliqui ex iis participarent, ut omnia pro ipso conservarêtur? non *succides*, inquit, *quia lignum, & non homo est*; quasi diceret, si homo foret præscinde illud, combure, & fac quod placet, quia nil refert. Ecce ad quem finem propter comestionem fructus arboris, homo redactus erat, pro quo omnes arbores creatæ erant. Sed ecce Deo incarnato, omnia in melius subitò mutata fuerunt, & arbores reservatæ, quia homines non erant, nunc pœnas luunt hominibus debitas; nec homines exempti sunt. Ita legimus maledixisse Dominum ficum, non propter culpam suam, cùm teste Evangelista, non dum erat tempus ficuum; sed ut ipsa pœnas hominibus debitas exsolveret. Si ergò Deus hominem adeò reveretur, si erga eum adeò est misericors, maximè post incarnationem, quomodo dicere audebimus, ipsum auctorem malorum nostrorũ esse?

Deut. 20. 19.

Nunc illas pro hominibus punit.

Marci. 11. 13.

Deus tribulationis nostra auctor videtur.

18. Quid tamen faciemus cùm apertas habeamus conjecturas, & vehementes suspiciones, non alium quàm Deum auctorem nostrorum malorum esse? Primò si aliquis minatur occidere quempiam, & postea occisus reperiatur, certum indicium est, ipsum fuisse auctorem. Quis autem ignorat; quoties Deus minatus fuerit pœnas, & mortem homini? Primo parenti nostro dixit: *In quacumque die comederis ex ea morte morieris*; per Moysen quoque populo Hebræo; *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes*: Per Oseam insuper; *Occurram eis, quasi ursa raptis catulis*: aliæque cominationes infinitæ. Quis ergò cominationem verificatam videns, negabit illum esse auctorem? Si in manu cujusdam reperiatur scyphus, quo

Gen. 2. 17.

Deut. 32. 42.

Oseæ 13. 8.

alius venenum bibit, magnum est indicium, ipsum homicidam fuisse. Homo tempore legis veteris veneno infectus fuit? Fel Draconum vinum eorum, & venenũ aspidis insanabile. (Deut. 32. 33.) In cujus manu est calix? Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. (Psal. 74.9.) Quis ergò alius præter ipsum illi obtulit? Si aliquẽ recenti sanguine conspersum reperias, eo tempore, quo quispiam occisus est, argumentamur ipsum fuisse auctorem; Deus noster vestẽ suam sanguine aspersam gerit, ut illum S. Joannes vidit; Veste aspersa sanguine. (Apoc. 19.13.) Ergò auctor homicidii istius erit.

Deus per morbos nos affligit.

19. Qui visus fuit gladium evaginare, & bombardam explodere, creditur quoque ictum dedisse; Deus noster à Propheta Davide visus fuit gladium excutere; Gladium suum vibravit; (Psal. 7. 13.) & arcum tendere; Arcum suum tetendit, & paravit illum, quis ergò negabit à manu ejus hoc vulnus inflictum? Si occisor servus alicujus sit, credendum est Dominum causam principalem occisionis fuisse? Morbi omnesque calamitates servi sunt Dei omnipotentis, eique ad nutum obediunt; ut rectè intellexit Centurio dicens: (Matt. 8.8.) Dic tantùm verbo, & sanabitur puer meus, nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic veni, & venit, & servo meo fac hoc, & facit. Quasi diceret, scio Domine infirmitates tibi obedire, sicut servi mihi; ergò affligendo homines per Dei præceptum hoc exequuntur. Quando in armis quibus aliquis occisus est, reperiuntur insignia alicujus, opinio est illum fuisse homicidam; insignia divina sunt misericordiæ ejus; Deus cui proprium est misereri semper & parcere; hæc autem in omni tribulatione reperiuntur, juxta dictum regii Prophetæ: Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eo: (Psal. 88. 33.) ergò ipse vulnus intulit. Ut gigantem cognoscamus, sufficit videre digitum ejus; Deus maximus gigas: Exultavit ut gigas: (Psal. 18. 6.) digitus autem ejus in tribulatione conspicitur, ut confitebantur magi Ægyptii dicentes: Digitus Dei est hic; (Exod. 8.19.) ergò sufficiens probatio ipsum auctorem esse. Tribulationes deniq; sunt bonorum, aut malorum, si malorum; inter ipsos & Deum est aperta inimicitia; Odio sunt Deo, impius, & impietas ejus: (Sap. 14.9.) si ergò mali videantur afflicti, credi potest, hoc illis à Deo provenire; si boni affligantur, cùm eos particulari curâ ut filios protegit; credendum est ab ipso quoque provenire dicente potissimùm Apostolo; Flagellat omnem filium quem recipit. (ad Hebr. 12. 6.)

Deus se auctorem tribulationis confitetur.

20. Sed ad quid tot probationes, ipsemet liberè profitetur, imò gloriatur se auctorem esse

esse nostrarum miseriarum: ita per Isaiam Prophetam inquit; *Ego Dominus generans lucem, & faciens tenebras, faciens pacem, & creans malum*: & per Amos Prophetam inquit: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* & alibi sæpius. Sic pro certo est à Deo nobis omnia mala pœnæ proveniunt, & cunctæ tribulationes immittuntur: stultitia quoque est aliter credere. Manichæi hæretici duo principia esse dicebant, unum bonorum omnium, alterum malorum; illa ab auctore Evangelicæ legis procedere dicebant, hæc verò ab auctore legis veteris. Quod non solùm contra Theologiam, & lumen fidei; verùm etiam contra lumen naturæ, & Philosophiam est. Quasi mundus tot annorum millibus subsistere potuisset, si in ipso duo absoluti, & potentissimi Domini reperti fuissent, continuò se invicem oppugnantes. Juxta dictum Salvatoris: *Omne regnum in se ipsum divisum, desolabitur.* Quasi auctor bonorum, non posset, non sciret, non vellet, auctorem malorum subjugare; sicq; impotens, ignorãs, aut malignus fuisset: quę omnia divinæ naturæ maximè repugnant. Hunc errorem diu multumque impugnavit magnus Ecclesiæ defensor S. Augustinus: qui contra Faustum aliosque Manichæos plurimum scripsit: licèt mulier sufficienter illorum argumenta improbasset. Sic Anna mater Samuelis in Cantico suo dixit: *Dominus mortificat, & vivificat, humiliat, & sublevat, deducit ad inferos, & reducit.* Quæ Tertullianus considerans ait: *Ad omnia tibi occurrit Deus; idem percutiens, sed & sanans, mortificans, sed vivificans, humilians, sed & sublevans: condens mala, sed & pacem faciens.* In alio quoque loco Manichæos magis constringens inquit: *Quid differentiam rerum, ad distantiam interpretaris potestatum? Quid antitheses exemplorum distorques adversus Creatorem, quas in ipsis quoque sensibus, & affectionibus ejus potes cognoscere? Ego, inquit, percutiam, & ego sanabo.*

Isa. 45.7. Amos 3. 6. *Manichæi falsò duo principia ponebant.* Luc. 11. 17. 1. Reg. 2. 6. Tertul. lib. 2. contra Marc. capit. 14. Lib. 4. c. 1.

21. O si hanc veritatem omnes afflicti cognoscerent, quàm utile ipsis foret? Modò illud solùm dicam, causam principalem, cur à nostris miseriis non liberemur, est, quia Deum auctorem non cognoscimus. Scitis qualiter nobis evenit? ut illis qui ludunt certo lusu, antiquitus vocato *Musca cæca*; in quo ligantur oculi alicui, qui in medio stans percutit ubi potest, reliquis advenientibus vel recedentibus, & percutientibus medium, donec aliquem apprehendat, & conjiciat quisnam sit. Pariter Deus nobiscum agit, mittit tibi morbum, perdis litem aliquam, negotia malè succedunt, quid hoc esse credis, nisi

A Deo omnia mala pœnæ cognoscenda.

lusum *Muscæ cacæ*? Audi quid Isai.7. 18. Isaias dicat; *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti*: quid per hanc muscam intelligitur? Exercitum armatum, & potentem, muscæ comparat. Quid prætendis Isaia? Terrorem immittere populo Israëlitico? An illos muscam timere cupis? Dic potiùs Deum missurum Ursos, Leones, & Tigres, quos timebunt, & non muscas. Ita est inquit; *Sibilabit Dominus muscæ*: nescis in primis quàm audax, importuna, & molesta sit musca? Quomodo ubique intrat? Quomodo fugata redit? Tales erunt hi milites; non modesti, ac sobrii, non stipendiis contenti, sed importunii, insolentes, ubique intrabunt, nihil erit ab ipsis derelictum: nescitis Homerum quoque dicere Minervam, ut cuidam militi suo faveret, illi animum muscæ addidisse.

Cuncta tribulationes sunt muscæ.

22. Melius tamen dicendum; *Sibilabit Dominus muscæ*, propter multitudinem illarum, quâ aërem cooperient: vel melius, *Sibilabit Dominus muscæ*, ut sciatis respectu potentiæ divinæ, muscas Elephantes esse, & Elephantes muscas. Muscæ antea milites Dei fuerunt, quibus Pharao oppugnatus est; modò milites erunt muscæ; *Sibilabit Dominus muscæ*, ut sciatis, omnia mala quæ ingens exercitus infligere potest, non alia fore, quàm puncturas muscarum; cùm enim animam lædere non possint, omne malum corporis, nihili faciendum. Tandem ad propositum nostrum; *Sibilabit Dominus muscæ*: quia per hos milites ludere volebat *muscam cæcam* cum populo Israëlitico. Eodem modo dicere possum, omnes tribulationes, quas Deus immittit, tot muscas esse, quibus tecum ludere cupit *muscam cæcam*; in tenebris es velatis oculis, quia, *in tenebris ambulamus*; percuteris, & vulneraris, quis fuit? Attende bene nisi quippe rectè conjeceris, alia recipies verbera. Fuit inimicus meus; non indivinasti, plura recipies; perdis gratiam principis, in cujus servitio potiores ætatis annos consumpsisti, quis fuit occasio? Aulicus ille meus inimicus, qui ut gratiam principis iniret, mala de me dixit: non indivinasti, percutieris donec conjicias. Ita evenit populo Israëlitico, à Deo percusso, modò bellis, modò fame, modò peste, & aliis: omnia tamen hæc, vel fortunæ, vel cælo, vel aliis attribuebant. Heu, inquit Isaias nō indivinasti, idcircò plura recipies, *In omnibus his*, inquit, *non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta*. Quæ causa est ô Isaia? quia, inquit, populus hic meus, *Non est reversus ad percutientem se, & Dominum exercituum non inquisierunt*: Non est reversus ad Dominum ut eum auctorem

Deus nos lusu muscæ exercet.

Joan. 1. 16.

Isa. 9. 12.

Ibid.

auctorem tribulationis agnosceret, sed ad alias creaturas, quas auctores tribulationis putaverunt, ideò, *Adhuc manus ejus extenta.*

David hunc lusum bene noverat. Psal. 76. 3. 23. Vis aliquem videre qui bene sciebat conjicere? Ecce David: *In die*, inquit, *tribulationis meæ, Deum exquisivi manibus meis, nocte contra eum, & non sum deceptus; renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Quomodo David tam paucis verbis contraria inquis? *In die tribulationis, Deum exquisivi nocte*; si dixisset in tempore quo alibi dies est, de nocte quæsivi Dominum, non admirarer; eodem quippe tempore potest alibi dies esse & hîc nox, ut apud Antipodes, est dies quando hîc nox est. Metaphoricè quoque dici potest, ordinariè siquidem contingit in tenebris mœstitiæ aliquem sedere, alium verò in luce consolationis; unde, inquit Isa. 60. 2. Isaias; *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur.* Sed respectu ejusdem diem, & noctem esse quomodo id fieri potest? *Quomodo eidem sit dies & nox?* An per diem intellexit tempus quod amplectitur lucem & tenebras: quasi dixisset, *In tempore tribulationis meæ*; bene quidem, juxta litteram, non tamen credendum, quòd dum propriùs posset dicere tempus sine mysterio dixerit diem. An fortè monstrare voluit, quàm brevis ipsi tribulatio videretur, cùm bene per noctem, & diem duraret, unâ solùm die durasse diceret? Vel sciens tenebras in scriptura sacra symbolum mœstitiæ esse, diem autem lætitiæ, & prosperitatis; juxta dictum Jeremiæ Prophetæ; *Diem hominis non desideravi*; & Jerem. 17. 16. bonum tribulationis cognoscens, putabat pro se clarum diem esse, sicque dixit: *In die tribulationis meæ*: ut alibi dixit; *Nox illuminatio mea in deliciis meis*; Psal. 38. 11. nox videlicet felix pro me erit. Bene quidem, magis tamen proposito nostro inservit, quod qui de die oculos velatos habet, nónne potest dicere pro se diem illum, noctem esse? Omninò, quia non magis videt quàm de nocte; sic ergò erat David, quia ludens, ut diximus, in obscuro, sive ad muscam cæcam, dicere debemus ipsum oculos velatos habuisse; ideoque dicit se manibus pro oculis usum fuisse; *Deum exquisivi manibus meis*; Psal. 76. 3. bene quoque ipsi lusus successit, sequitur enim; *Non sum deceptus*, quia Deum reperi; quid inde secutum? *Memor fui Dei, & delectatus sum*; recognovi Deum meum, & à tribulatione liberatus fui, imò tribulatio in delectationem mihi versa est.

24. Athenienses quoque se hunc ludum non ignorare ostenderunt, dum altare *Ignoto Deo* erexerunt; admirabilis inventio, *Cur altare Deo ignoto erectum?*

ventio, adorare quem nescimus. Si non cognoscitis, quomodo scitis eum Deum esse? Aut quomodo adoratis, personam ignotam, quæ est maxima reverentia quam alicui in mundo exhibere possumus? Auctor scholasticæ historiæ putat illos ad hoc adductos, per Eclipsim quæ erat tempore passionis Domini; ex ea argumentantes, prout quoque S. Dionysius Areopagita, Deum naturæ pati debere, cui illis ignoto, altare erexerunt. S. Joannes Chrysostomus dicit morem fuisse Atheniensibus, omnes Deos adorare, unde postquam omnes notos in civitatem adduxerant, ut nullus apud eos honore privaretur, hoc quoque altare Deo ignoto ædificarunt. Oecumenius tamen occasione particulari refert, de hoc altari, dicitque tempore quo Athenis pestis maximè grassabatur, cives ut ab illa liberarentur, ad Jovem recurrisse, sed frustra; Apollinem in vanum consuluisse, & Palladi frustranea sacrificia obtulisse. Videntes ergò se à nemine adjuvari, sapiens quidam inter illos dixit: Pestis hæc à nullo Deorum missa videtur, cùm rogati non auferant illam, sed extraneus quidam, & ignotus Deus auctor ejus erit; ideò supplicemus eum si fortè à nobis auferet infortunium hoc. Placuit consilium, altare ædificatum, sacrificia oblata ignoto Deo, pestem cessare fecerunt.

Pestis per hoc ablata.

25. Dic mihi modò, ô afflicte, quem auctorem tribulationis agnoscis? ad quem auxilium posciturus recurris? Ad homines? non sunt hi Dii qui te afflixerunt, in vanum ergò ad hos recurris; ad divitias? Sine fructu eò recurris; Ad veneficas, & maleficia? ô infelix tantò pejus tibi erit. Ad Deum ignotum tibi recurrendum, ad crucifixum à te in prosperitate ignotum, imò despectum usque modò, & contemptum; cujus consilia, inspirationes & admonitiones audire renuisti. Huic intra pectus tuum altare fabrica, devotionem exhibe, cor tuum illi exhibe, & verum remedium malis tuis reperies.

Ad Deum in afflictione recurrendum.

SECVNDA PARS.

26. Conclusio ergò certa est, Deum auctorem tribulationum nostrarum esse, & nullâ probatione indiget, sed declaratione; licèt enim in quibusdam tribulationibus omnes hanc veritatem agnoscant, ut in infirmitate cujus occasio ignoratur, in percussione fulminis, in sterilitate, quæ ex siccitate nimia, vel abundantia pluviarum nascitur. Non tamen intelligitur, dum inimicus meus mihi famam, vitam, & honorem aufert, Deum auctorem esse. Ut omnia hæc intelligantur, aliquæ distinctiones intelligendæ sunt, & no-

& notandæ. Prima est, aliquem posse esse auctorem alicujus rei, mediatè vel immediatè; v. g. condemnatur quis ad mortem, mors immediatè à carnifice infligitur, mediatè à judice, qui sententiam mortis contra eum tulit. Quomodo intelligitur Deum tribulationum nostrarum auctorem esse, mediatè vel immediatè? Non immediatè id enim est officium carnificis, nec dignum Deo exercitium, sed mediatè castigat, punit, & affligit, per alios; ut distinctiùs discursu sequenti differemus. Numquam tamen per seipsum id præstat? Quantum ad tribulationes positivas, puto probabilius esse, Deum non immediatè castigare, nec percutere aliquem. Sunt tamen aliqua mala, non per actionem positivam causata, sed per negationem, & horum potest Deus sæpius auctor dici, immediatè; imò de multis contrarium dici non potest, uti magna tribulatio servo Dei est, non exaudiri, non consolari à Deo; hæc non possunt dici à Deo per alios immitti, non enim consistunt in actione quam facit Deus, per alios, sed in sola negatione, & subtractatione divinæ gratiæ.

Qualiter Deus tribulationum auctor.

27. Secunda distinctio est, in tribulatione duo considerari posse, una est actio, à qua immediatè dependet, altera est passio, in qua formaliter consistit: illa consideratur in affligente, hæc in afflicto, v. g. vulneratus es ab amico, in hoc vulnere potest considerari actio, quæ fuit ictus, quo te percussit: & passio, quæ est vulnus quod tibi inflixit. Dicendo ergò Deum auctorem esse tribulationis, non de actione intelligimus, quia hæc sæpius mala est, & peccatum, & Deus non est auctor peccati; sed de passione, quæ in se nullam malitiam continet. Hanc distinctionem optimè intellexit Propheta Job, ideoque cùm illi relatum esset, inimicos suos tres turmas fecisse, servos occidisse, & jumenta abstulisse, dixit; *Sicut Domino placuit ita factum est*, non dixit, *Sicut Domino placuit ita fecerunt*; quia actio mala Deo non placet; sed *factum est*, quia passio illi placuit. Joseph quoque fratribus suis dixit; *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*: non dixit, *huc me misistis*, sed *missus sum*; non complacuit Deo, vestra mala intentio, aut actio, sed effectus passionis. Spiritus sanctus quoque per Caipham dixit: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo*, non dixit, *ut unum occidamus*, sed, *ut unus moriatur*, quæ simplex est passio, quia hæc est voluntas Dei.

In tribulatione actio, & passio est.

Non actio, sed passio Deo placet.

Job 1. 21.

Gen. 45. 8.

Joan. 11. 50.

28. Dicet tamen aliquis, quomodo hæc duo separari poterunt? passio non potest sine actione, quomodo aliquis eam sine

Quomodo hoc intelligendum?

ſine illa habere poterit? Reſpondeo realiter ſepari non poſſe, ſed per intellectum, quod ſufficit. Pulcherrimum exemplum ad hoc propoſitum eſt de Theſſalo quodam, de quo referunt Cicero, & Plutarchus, quòd dum Apoſtema quoddam haberet, cui medici nullum amplius remedium applicare noverant, inimicus ejus ictu gladii, illum occidere quærens, illud aperuit, eumque ſanavit. Huic ergo quis neſcit ictum illum placuiſſe, qui illi ſalutem attulit? Diſplicebit tamen illi actio vindicativa inimici, cui fortè ſimilem ſi potuerit, rependit: poteſt ergò alicui placere paſſio, & non actio à qua derivatur. Videor tamen alium contradicentem, & ſubtiliùs increpantem audire; bene hoc procedere quantum ad guſtum, & placitum, ſed non quantum ad cauſationem; quia beneplacitum eſt circa objectum, in quantum ab intellectu meo apprehenſum, ideoque uno modo conſideratum placere poteſt, alio modo diſplicere. Occaſio autem rei entitatem reſpicit, unde non video quomodo eſſe poſſit cauſa unius, & non alterius. Hæc opinio clarè probari poteſt, quis enim neſcit guloſum illum peccatorem in die jejunii perdicem comedentem (niſi plus quàm impius ſit) quantum ad beneplacitum, di-videre hanc actionem & dicere; in hac comeſtione perdicis duo concurrunt, delectatio guſtus, & offenſio divina, ego autem primum deſidero, non verò ſecundum; guſtus mihi placet, offenſio divina diſplicet. In praxi poſſúntne hæc duo dividi? ut dicam ego hîc & nunc nolo Deum offendere, sed tantùm delectationem ſumere? Certiſſimè non. Pariter ergò licet valde bene intelligatur, Deum ſibi complacere poſſe in paſſione, & non in actione; quomodo tamen poſſit eſſe occaſio unius, & non alterius, difficillimè intelligitur, cùm paſſio neceſſariò & eſſentialiter ab actione dependeat. Dicitur Deum non eſſe auctorem actionis, quia ipſe non movet hominem, nec illi reſiſtit, ſed permittit tantùm, & quaſi agens univerſale concurrit, ut liberum noſtrum arbitrium non impediat; paſſio autem illi placet, ipſamque deſiderat, & amore ejus, permittit actionem; ideoque ſicut illa dicitur eſſe permiſſiva, hæc dicitur cauſa efficiens. Sic de paſſione Salvatoris dicitur ab Iſaia in perſona Patris cæleſtis; *Propter ſcelus populi mei, percuſſi eum*; Iſa. 53, 8. numquam tamen dicitur illum commoviſſe Judæos, & occaſionem crucifixionis fuiſſe. Has tamen ſubtilitates ſcholaſticis relinquentes; ſufficit mihi à Deo ut auctore precipuo, omnia ma-

Quomodo Deus poſſit dici auctor paſſionis, non actionis?

la nostra devenire; si enim ille nollet, nullus vel minimam tribulationem inferre posset. Ad argumenta contraria respondeamus?

Argumentis contrariis respondetur.

29. Quid modò dicitis, qui vos contrarios ostendebatis? Deum nos nimiùm diligere, qui autem diligit non offendit? Verum est, sed tribulationes non sunt offensiones, sed effectus amoris; *Quem enim diligit Dominus castigat*, inquit S. Paulus; dicit *quem* in numero singulari, ut scias particularem favorem esse, à Deo castigari. Quid dicitis Deum non expectare lucrum ex castigatione cujusdam? Verum est, non enim affligit nos propter lucrum suum, sed propter nostrum, non ut consequatur & hæreditet bona nostra, sed ut hæredes cælorum constituat, per tribulationem quippe constituimur filii Dei; quandoquidem ipse, *Flagellat omnem filium quem recipit*: teste Apostolo; si autem simus filii & hæredes; *Quod si filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Quid dicitis illum dolere de tribulatione nostra? Verum quidem est, sed de utilitate quoque nostra lætatur. Ut Chirurgus est qui ut ulcus sanet, necesse est ut aperiat, & infirmo dolorem adferat; ferit tamen ut sanet. Deus noster expertissimus Chirurgus est; *Vt mederer contritis corde misit me*; dixit per Isaiam Prophetam, & hoc fine vulnerat, ut salutem conferat; ut S. Job inquit; *Ipse vulnerat, & medetur*, & David; *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*; Divina insuper manus, tantam virtutem medicandi habet, ut cogitando solùm illum nos vulnerare, duas plagas cordis nostri sanet; primam iræ, secundam doloris.

ad Hebr. 12. 6.

Per tribulationem filii Dei sumus.

Ibid.

ad Rom. 8. 16.

Isa. 61. 1.

Job 5. 18.

Psal. 46. 3

Deus auctor mali pœnæ non culpæ.

30. Quid dicitis Deum ipsum dicere, se non esse auctorem nostrorum malorum? de malis culpæ, id est, de peccatis verum est, non autem de malis pœnæ, & tribulationibus, ut probavimus. Quomodo ergò non dicit, contemnam illos qui me contemnunt; non autem, qui contemnent me erunt contempti? Parum quippe referret à Deo omnipotente contemni, qui eis infinitè superior est; ideoque dicitur: *Ignobiles erunt, & contemnentur*: ab omnibus videlicet creaturis contemnentur, & vilipendentur. Deus insuper punire potiùs solet, suspendendo influxum beneficiorum, & gratiæ suæ, quàm actione positivâ. Quid dicitis Deum in hoc tempore gratiæ omninò misericordem esse, & arbores non verò homines ab ipso maledictos? Sed tribulatio nónne effectus misericordiæ est? & pater nónne proprios filios castigat? Quid mirum ergó si Deus nos quoque castigat? Maledictionem

1. Reg. 2. 30

quoque ficus quid fuisse creditis? Castigatio fortè ejus? Certè non, sed exemplar ejus quod nobis succederet, si fructum non attulerimus. Ne ergò inopinatè castigemur; ex rebus supradictis duos fructus adferre discamus.

Primus fructus ex tribulatione colligendus.

31. Primus fructus quem ex tribulatione inflicta haurire debemus est; ut si aliquis te afflixerit, aut quamvis injuriam intulerit, non secum indignari debes, aut velle sumere vindictam, ipse siquidem instrumentum solummodo Dei est; ipsíque indignans, Deo indignaris, & nescis. Dices, Deus non est causa tanti mali, nec injuriæ; si enim aliquem odio persequor, non hoc efficio ut instrumentum Dei, & vis me credere quòd illum odio habeas, propter actionem malam quam efficit, & non potiùs propter passionem quam in te sentis? numquam credam, si enim illum propter actionem illam odio haberes, tam bene odio persequereris aliquem incognitum inimicum tuum persequentem, quàm illum te persequenté. Sed quid sibi vult te actionem illius non curare, qui inimicum tuum persequitur, imò gaudes de actione illa; & postmodum odio persequi illum, qui te immeritò persequitur? Non hoc est ratione actionis, nam eadem est in ambobus; sed ratione passionis, nam hæc est in te, & illa in altero? Dum ergò illum odis, quia occasio est passionis tuæ, quam sentis, odis illum ut minister, & instrumentum Dei, ut voluntatem Dei exequentem, ideoque injuriam Deo facis.

Inimicum odiendo, Deum odis.

32. Leges Imperiales præcipiunt, dum dux militum aliquem virgâ quam manu tenet, percutit; non licere illum insurgere in ducem, nec virgam rumpendo se vindicare, quod si fecerit, reus est capitis; *Si virgam fregerit capite plectatur; ff. de re militari, l. militis.* Tanta pœna pro virga fracta? si aurea, aut argentea fuisset, minùs indignandum foret; sed pro ligno fracto quod ubique reperitur, & naturâ suâ ad ignem destinatum est, hominem debere morte puniri, & quidem militem, qui sæpius fortè vitam pro republica exposuit, admirandum videtur. Scis autem quare tantam reverentiam virgæ huic debeamus? non propter meritum proprium, sed quia est ministra, & instrumentum justitiæ. Quem verò credis esse inimicum te persequentem, virga est in manu Dei, quod per Isaiam ipsemet testatur dicens; *Aßur virga furoris mei*; Rex Assyriorum, licèt idololatra, Deum ignorans, dũ populum Israël persequeretur, erat virga Dei; vide, & caveas tibi ne eam tangas.

Inimicus instrumentum Dei est.

Isa. 10.5.

33. Nónne insuper stultus esset,

Contra instrumenta irasci vanum est. set, qui contra instrumenta chirurgi insurgeret quando ipsi venam aperit, aut vulnus curat? Stultus certè, & phreneticus, non solùm quia beneficium ex isto vulnere recipit, sed quia ipsi quoque sanguinem infectum extrahunt; si dolorem adferunt non ipsis imputandum, quia instrumenta solùm sunt. Calumniatores tui, & persecutores quid esse credis? non aliud quàm instrumenta Dei; vidit te nimio sanguine abundare, superbiebas, omnes despiciebas, nec Deum ipsum æstimabas. Ut huic malo mederetur, resolvit aliquid sanguinis tibi adimere, divitias minuere, honores, & servos præripere per aliquem tibi inimicum. Rectè hoc intellexit S. Propheta Job, di-
Job 6. 4. cens: *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. Sagittæ Domini*, ecce instrumentum, seu phleubotomium; & quod ejus officium, sanguinem ex venis haurire, de quo inquit Job, quod ebibat spiritum; vel prout in Hebræo est, *Sanguinem meum.* Fuitne Job sagittis confixus? Non certè; sed per sagittas tribulationes suas intelligit; vel ut meliùs dicamus per has Chaldæos, dæmonem, & amicos suos, qui malè illum excipiebant, indicat, omnesque sagittas Domini appellat. Cognoscit illos ut instrumenta sua, ideoque contra illos non irascitur. Pariter David quando à Semei maledictus fuit, volebat Abisai vindictam sumere, prohibuitque David dicens: *Dominus præcepit ei ut malediceret*: quare 2. Reg. 16. 10.
ergò contra illum insurgam? relinque illum voluntatem Dei exequi.

34. Alio quoque modo occasio iræ tollitur; hæc quippe juxta Aristotelem nascitur ex contemptu magis, quàm à Domino. Sed quis contemnet à Deo affligi? Imò quis non summo honore recipiet hoc à Deo? David diu multumque à Saule persecutus fuit, semper patienter sustulit; & licèt illi vitam adimere posset, non tamen fecit. Eodem tempore injuriâ affectus à Nabal Carmelo, adeò indignatus est, ut arma arripiens ad vindicandum pergeret; nec solùm in ipsum, verùm etiam contra totam familiam insurgeret. Quid sibi hoc vult? Quomodo eodem tempore adeò patiens, & cholericus? Adeò fortis in sufferendis injuriis Saulis, & tam delicatus ut injuriam Nabal Carmeli non perferat? Scitis quare? *Ira ex contemptu*: Davidi non videbatur se contemni dum Rex Saul illum persequeretur; ac tam potenti exercitu, per valles & rupes, undique conquireret: sed quòd homo vilis, & rusticus illum vilipenderet, videtur reputationem ejus nimiùm diminuere. Si ergò

Tribulatio occasionem iræ tollit.

Honor est à Deo affligi.

ergò dedecus non est à rege infestari quantò minus erit à Deo affligi? Si verò dedecus non sit, non oportet te irasci, quia ira ex contemptu.

Impatientia per tribulationem fugatur.

35. Nec ira solùm, verùm etiam impatientia eliminanda, hæc quippe nascitur ex debilitate virium, ad malum sufferendum, unde dum medici vident infirmum impatientem esse, malè augurantur, quia argumentantur malum vires naturæ evincere. Sed tribulationem à Deo immissam, non possumus dicere vires nostras superare, quia teste Apostolo S. Paulo;

1. Cor. 10. 13. *Deus non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Propheta Amos referens tribulationes à Deo populo immissas, concludit; *Quia*

Amos. 4. 13. *ecce formans montes, & creans ventum, Dominus Deus exercituum.* Ad quem finem mentionem facit formationis montium & venti? Nónne meliùs diceret, creans cælos, & terram, aut hominem ex nihilo? Melius certè fuisset; sed non bene congruens proposito nostro; loquens enim de tribulatione significata per ventum, voluit quoque mentionem montium facere, qui symbolum fortitudinis sunt; quasi diceret ego qui tribulationes immitto, & fortitudinem ad sufferendam præsto; si quoque furiosos ventos emitto, montes è contrà constitui, qui vim ventorum perferent. Si ergò tribulationem vires tuas non excedentem habueris, nullam occasionem lamentandi habes, & illam fortiter sustinere poteris.]

Tribulationes patienter sustinendæ.

36. Hoc ergò sit secundum documentum, ut fortiter & patienter tribulationes à Deo immissas sustineamus: maximam in hoc nobis consolationem, in omni tribulatione adferet, & alteram plagam, doloris nempe, multum alleviabit. Quis non libenter sustinebit quod à Deo sibi inflictum novit. Quando quis suum accipit, nullus de eo lamentari potest, omnia nostra à Deo sunt, divitiæ, sanitas, honor, vita; si ipse ergò te his privat, quomodo conquereris? ipsi immensas gratias agere deberes, quòd tanto tempore te iis frui permiserit, non conquereris tibi ablatum. Hoc modo se consolabatur S. Job dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est*; si Dominus bonorum nostrorum est, nónne juxta beneplacitum recipere potuit? Melius tamen dicamus magnæ consolationis debere esse afflictis, à Deo hoc fieri: adeò siquidem dulcem habet modum agendi, ut omnia quæ ex manibus ejus nobis proveniunt, quantumvis sint amara, dulcia, & suavia nobis videantur. Ad hoc respexisse videtur patientissimus Job, dum uxori suæ dixit: *Si bona suscepimus de manu Domini mala quare non*

Job 1. 21.

A Deo omnia bene ordinantur.

Job 2. 10.

non suscipiamus? Sed quæ consequentia hæc est, dicet fortè quispiam? An quia à medico medicinam recepi quæ sanitatem contulit, venenum recipere debebo, si mihi porrigere voluerit? Nequaquam, quomodo ergò hæc consequentia verificatur? Si à manu ipsius bona suscepimus, quare etiam mala non recipiemus? An dicere volebat, nos taliter Deo obligari propter bona recepta; ut dum nos velit mala pro amore ejus suscipere, non illi negare possimus; si quoque socii in prosperitate fuerimus, meritò in adversitate erimus. Vel melius proposito nostro, nos semper bona de manu Domini suscepimus, ut experientiâ patuit; credendum ergò est, quod hæc, licèt mala appareant, etiam sint futura bona, cùm ab eadem manu proveniant. Ita est, universa à manu divina provenientia, non possunt esse nisi bona. Elias fugiebat à facie Jesabel illum occidere volentem, postea verò petiit à Deo, ut se mori permitteret; *Petivit animæ suæ ut moreretur*. O Elia, si mori cupiebas, cur fugisti Jesabelem, qui tibi vitam auferre volebat? Per manum Jesabelis, inquit, mors nimis foret crudelis; sed à divina manu concessa, dulcissima foret. Non meministis Davidem pariter fugiisse Saulem, & postea Jonathæ dixisse, si in me culpam reperis; *Tu me interfice*; vis ergò David Jonatham officium carnificis exequi? non carnificis, inquit, sed amici; si enim mors mihi ab ipso inferatur, non adeò amara videbitur, uti ab aliena manu. Pari modo Sapiens inquit; *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odio habentis*. Si ergò manus amici tribulationem dulcem reddit; quid manus divina efficiet? Elianus de mulieribus Ægypti refert, illas summoperè lætari solitas, dum proles suas à Crocodilis devoratas conspiciebant: cùm enim hos pro Diis adorobant, gaudebant filios eorum cibum Deorum fuisse. Quantò magis nobis ergò lætandum, cùm à Deo nostro amantissimo tribulamur; qui nos non devorat, sed vult devorari à nobis? O quæ mirabilis consolatio est hæc, ut omnem tribulationem ab ipso impositã, alacriter suscipiamus, & sufferamus.

A Deo nil nisi bonum.

3.Reg. 19, 4.

1.Reg.20. 8.

Prov,27.6.

Elian.lib. 10. c.22.

37. Recordor generosi animi Alexandri Magni, cui graviter infirmo ab amico scriptum fuit, ut sibi à Philippo medico suo caveret: eò quòd à Dario ingenti pecuniæ summâ corruptus esset, ut in medicina venenum immisceret. Vix Alexander epistolam perlegerat, quin medicus medicinâ paratâ adveniret, manumque extendens ut illi porrigeret, alacriter eam apprehendit, aliâque manu litteram

Generosus actus Alexandri Magni.

ram suspicionem judicantem porrexit. Interim verò dum medicus eam legeret, Alexander medicinam sumpsit, ostendens quantum confideret fidelitati suæ; at medicus pallidus & tremebundus effectus, Alexander intrepidè ebibit, majoremque fidem illi Alexander exhibuit, quàm ipsemet sibi.

Tribulatio medicina salutaris.

38. Confundamur ergò nos non habere talem in Deo fiduciam, quam unus homo de alio habebat. Tribulatio nihil est quàm medicina, quam Deus nobis sicut in calice porrigit, & Psal. 79.6. suâ manu miscet: *Potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Dæmon, & sensualitas nostra persuadere nobis vellent, ut illam non biberemus, quasi venenum intus esset; nobis autem quid agendum? Alacriter sumenda est, dum cognoscimus à manu divina nobis porrigi. Sed quid exemplum Alexandri adfero, dum Salvatoris nostri exemplum adest? Nónne meministis dum in horto ad passionem properabat; S. Petrum illum avertere voluisse, & gladio arrepto, inimicos aggrediebatur? sed quid dixit illi Dominus? *Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum?* *Alacriter sumenda.* A Patre meo amantissimo hic calix passionis destinatus, & vis ut illum non ebibam? vis malum suspicari? *Non bibam illum:* Ioan. 18.11 imò bibam. Addisce ergò ô afflicte, quomodo satanæ respondendum, quando te sollicitat, ut tribulationem fugias, aut involuntariè perferas. Respondeas illi alacriter: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam?* Hæc infirmitas quid est? calix est; hæc afflictio calix est à Patre cælesti mihi missus, ergò bibam illum: & inde mihi crede, salutem æternam hauries in alia vita. AMEN.



DISCUR-

DISCURSUS XV.

Si Angeli tribulationum nostrarum auctores dicendi, quodque officium angelicum nobis exhibeant, qui nos affligunt?

SUMMARIUM DISCURSUS.

Causæ secundæ cum Deo concurrunt. num. 1. 2. 3. 4. 5.
Angeli non videntur tribulationis causæ. à nu. 6. *usque ad* 17.
Ministri tribulationis, & justitiæ divinæ sunt. à numer. 18. *usque ad* 27.
Ad castigandum promptissimi. nu. 28. 29. 30.
Illibenter castigant obstinatos. num. 31. 32.
Nobis timendi, & imitandi. 33. 34.
Argumentis contrariis respondetur. à num. 35. *usque ad* 41.
Tribulatio nobis utilis alacriter suscipienda. num. 42. 43. 44.

1\. SI cujuslibet effectus ab horizonte sive à principio non existendi exurgentis, & mortalium animos mirum in modum non minùs quàm oculos rapientis, una fuisset causa, sicut arboris una est radix; ad optatum scientificum tribulationis portum, per immensum admirabilium mare, exigua nostri ingenii navicula appulisse dici posset. Quandoquidem probaverimus tribulationem pro amantissimo patre, Deum, & pro fœcunda radice divinam agnoscere providentiam. Quia tamen aliquorum veterum Philosophorum est error qui soli Deo, ut æterno soli, cunctos suæ operationis radios adscribentes nullam stellis lucem, id est secundis causis operationem attribuunt; hunc ut absconditum, & insidiantem scopulum, nos cum cæteris Philosophis, & Theologis effugere oportet. Fontem cujuslibet rei taliter Deum fateri debemus, ut canales causarum secundarum, non exhauriamus; qui omnem potentiam primi fontis attingentes, cum illo per universum orbem cuncta efficientes concurrunt. Plurimi ergò fluctus, multi sinus, ingentes maris amfractus, nobis transmeandi, ut ad portum adeò difficilem, quàm

Causæ secundæ non negandæ.

quàm minùs universalem, pertingere valeamus. Apud Philosophos pro ignorantiæ argumento æstimatur, ad primam causam recurrere, relinquendo secundas; non quia in hoc erratur, sed quia illa adeò universalis est, ut non minorem ambitum quàm totum orbem comprehendat; ideoque nulla in eo industria adhibenda, sed unusquisque causam illam apprehendere, & cognoscere potest.

Varia tribulationis causa.

2. Non sufficit ergò dicere Deus tribulationum nostrarum causa & origo est; sed oportet insuper sub terra, & supra cœlum scrutando investigare, mille alias causas, à Philosophis non repertas. Ut etiam materialem, formalem, & finalem omittamus, utpote proposito nostro non servientes, de efficiente sermonem instituemus. Quis nescit sub hac innumeras causas particulares comprehendi? Hìc principales, & instrumentales, hìc necessariæ, & casuales; hìc propinquæ & remotæ, mediatæ, & immediatæ; essentiales, & accidentales; naturales & liberæ; totales, & partiales adsunt; subque singulis aliæ plurimæ enumerantur: quæ ut tanti annuli sunt, mirabilis illius catenæ quâ omnia divinâ providentiâ mirabiliter connectuntur, totque gradus scalæ Jacob, per quam ad nos favores divini descendunt; tantique gradus throni divini Salomonis, per quos ad divinam providentiam cognoscendam mirabiliter appropinquamus.

Utrum major Dei gloria carere causis secundis.

3. Dicet tamen aliquis nónne major excellentia supremi illius numinis esset, ipsum rerum cunctarum auctorem solummodo, & architectum agnosci, nullis indigens ministris aut instrumentis ad opus suum perficiendum? Respondeo quod non, licèt enim ego non admittam illud dictum Aristotelis, summam majestatem ne vilipendatur, non se immiscere rebus exiguis hujus mundi, sed per ministros illas gubernare; imò cum sacris doctoribus sentiam, quòd sicut in omni loco reperitur, ità quoque in omni minima operatione manum mittat. Excellentiorem tamen Dei majestatem esse dico, ministros & servos non otiosos, sed potentes, operantes, & diligentes habere, non solùm ab ipso dependentes, verùm etiam effectus à se dependentes cognoscere; quasi principes, & dominos regis supremi famulos; ut verè dici possit: *Rex regum, & Dominus dominantium.* Potentia inde major probatur, quòd non solùm possit efficere quidquid voluerit; verùm etiam sine aliqua diminutione alios participes reddere, & ministros operis sui constituere.

Excellentius est causas secundas agnoscere.

Apoc. 19. 16

4. Major quoque apparet sapientia,

Per has melius se communicat. pientia, cùm remediis, & causis incertis, & defectuosis, possit infallibiles, & certissimos suę providentiæ effectus producere. Major apparet bonitas, cùm tali modo magis se communicet, & creaturas suas participes reddat; non tantùm aliarum perfectionum, verùm etiam bonitatis suæ; & ut ita dicam communicabilitatis; efficiendo ut ipsæ quoque esse suum aliis communicent. Hinc Plato occasionem dicendi sumpsit; *Bonus est Deus, & livore non tangitur, nec ulli invidet.*

Plato de natura Deorum.

Causæ secundæ non ubique concurrunt.

5. Causas ergò secundas esse, quæ cum prima dependenter ab illa effectus producant, certum, & indubitatum est. Quia tamen aliqua sunt ad cujus productionem solus Deus concurrit; uti ingentem hanc mundi machinam, & tenebrosos abyssos ex nihilo ad lucem produxit: videndum an tribulatio ex iis sit effectibus, ad quorum productionem solus Deus concurrat; vel ut illa adveniat, utatur pariter ministris. In hoc autem discursu, præcipuè agemus, si nobilissimæ substantiæ Angelicorum spirituum ad hanc producendam umquam à Deo destinentur.

Angeli non videntur tribulationis causa.

6. Primo intuitu videtur mihi cælestes spiritus dolere se nostrorum malorum reos constitui, & altâ voce de sublimi cælorum clamare; advertite bene mortales, nos vestrorum dolorum, & afflictionum, nullo modo auctores existere; tales enim nec volumus, nec possumus, nec debemus esse. Certè si de potentia secundùm regulas Philosophorum, & Theologorum loquamur, non videntur posse auctores esse. Ex Philosophia probatur; quia Aristoteles docet, non posse dare actionem, & passionem inter illa, quæ eandem non habent materiam; ratio autē est, quia actio, & passio fit inter contraria, & illa ad idem subjectum pertinent, quæ ergò idem subjectum non habent, non possunt inter se repugnare: & consequenter una alteri non potest esse causa passionis. Duo inimici se invicem aggredi, aut vulnerare non possunt, nisi in eodem campo, aut theatro simul existant: ita quoque cùm non habeant inter se unum subjectum, non possunt sibi invicem nocere. Quis autem nescit Angelos non eandem materiam nobiscum habere? Quin imò omnis materiæ omninò expertes esse, nihil ergò ab ipsis timendum.

Aristot. lib de ortu & interitu.

Nimium à nobis distant.

7. Adjungamus quoque licèt ejusdem materiæ nobiscum essent, nimium tamen distant; ipsorum habitatio supra in cælo empyreo est, nostra hîc infrà in terra; sicut ergò feriri non potes ab homine, qui centum leucis à te distat; sic nec ab Angelis

lis quidquam mali pati poteris. Concedamus tamen nobis vicinos esse, quibus armis, aut instrumentis ferire, aut affligere possent? potentiæ illorum sunt intellectus, & voluntas; experientiâ patet, has in nullo corpore posse mutationes inferre.

Instrumentis carent.

Non sunt primis qualitatibus præditi, quibus contraria inter se certant; carent quantitate, quâ unum corpus aliud excludere solet, quid ergò mali inferre possunt? S. Thomas idem insigni ratione probat; quia unumquodque agens, patiens sibi simile reddere conatur: ut in igne videmus, qui omnia incendit; Angelus tamen non potest corpus sibi simile reddere, quia non potest illud spirituale efficere, nullam ergò actionem in illud exercere potest.

Benignioris naturæ sunt.

8. Amplius est, quod licèt Angelus possit in corporibus aliquam actionem exercere, illam semper in beneficium nostrum diriget. Si enim inter homines aliqui reperiantur adeò benigni, & mites, ut numquam mali quidquam ingerant, & dum offendere cupiunt, favorem præstant; prout è contrà aliqui reperiuntur, qui etiam laudando blasphemant, & beneficium exhibendo offendunt. Quid mirum si de beatissimis & purissimis spiritibus, adeò ad bonum inclinatis, ut etiam offendere volentes bonis repleant, idem referatur. Prout de dæmonibus nihil aliud expectandum, quàm malum, & dum favere simulant, majus malum inferunt.

Vulnera Angelorum favores sunt.

9. Quantum ad Angelos, de hoc pulcherrimum habemus exemplum, dum Angelus cum Jacobo Patriarcha luctari vellet, quis non dixisset illum primo impetu corruere, & exanimis cadendo mortem quasi adsciscere debuisse? Contrarium tamen accidit, nam Jacob totus hilaris à pugna rediens dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Gen 32.30. Videtur novam salutem, & aliam acquisivisse vitam ex visitatione Angeli. Sed quid inquis Jacob? ex pugna siquidem non solùm defatigatus, sed claudus effectus es; nónne tibi nervus in latere emarcuit, unde non rectè incedere potes? potiùs ergò tibi dolendum quàm lætandum, & vulneratum te dicere debes quàm sanatum. Ita certè dixisset si cum homine, & non cum Angelo pugnasset, luctationes quippe Angeli, favores & delectabiles amplexus potiùs erant, quàm læsiones; claudicatio novam salutem adferebat, non verò defectum.

Non convenit Angelos castigare.

10. Concedamus quoque Angelos nos posse affligere, quis dicet hoc illorum officium esse, aut illis convenire? Quis umquam vidit principem in medio

fori

fori officium carnificis exercere? Hæc exercitia vilia sunt & odiosa, quæ genti infimæ sortis conveniunt, & indigna nobilibus, & principi. Dum princeps aut nobilis vilia exercitia vel ob humilitatem, vel aliam ob causam subire debet, se propriis vestibus & insignibus spolians, saccum, aut vilem vestem assumit; & si ex necessitate agere cogatur, non amplius suas audet assumere vestes, aut insignia, præ verecundiâ derelicta. Quis nescit Angelos nobilissimos spiritus esse non terræ, sed cæli principes; quomodo ergò se vilibus servitiis mancipabunt?

S. Thom. p. 1. q. 113. a. 4. S. Dion. l. 10. cælest. Hieron. cap. 7.

11. Officia Angelorum, inquit Angelicus doctor, ex nomine cognoscuntur, idem Dionysius Areopagita refert; *Proprietates Angelorum ex eorum nominibus manifestantur*. Sed à quo nomine Angelico colligere poterimus, illos carnifices esse, & homines torquere? Ex nomine Seraphim? nequaquam, hoc enim significat amore inflammatum; qui autem amat non offendit. Ex Cherubim? nec ex eo; idem quippe est ac dicere sapientissimum; sapientia autem vitam, & salutem tribuit, non tormenta, & mortem: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino*: inquit sapientia divina. An à Thronis? hoc nomen illis tribuitur, quia Deus in eis ut in throno quiescit.

Quænam Angelorum officia?

Prov. 8. 35.

Sunt ergò pacifici & quieti, non terribiles, aut belligeri, ab inquietis siquidem non vult Deus nec materiale templum fabricari; ita Davidi aiebat; *Multum sanguinem effudisti, non poteris ædificare domum nomini meo, filius qui nascetur tibi erit vir quietus, & pacificus vocabitur, ipse ædificabit domum nomini meo*. Ab ipsis ergò nulla tribulatio expectanda. A Dominationibus fortè? sed hi dominantur, & imperant, punire autem est actus executorialis & potestatis inferioris: officium verò illorum, est dæmones reprimere, ut neminem affligant, longè ergò absunt à castigatione, & molestia nobis inferenda. A virtutibus ergo? Horum proprium est miracula operari, quæ in hominum favorem cedunt. An à Principibus? sed hi ut Archangeli, & Angeli destinati sunt custodiæ provinciarum, regnorum, & hominum; officium ergò illorum est, custodire, defendere, & non offendere; *Angelus*, inquit S. Ambrosius, *in circuitu est hominis, quia prætendit ne quis ei noceat*. Ipsemet est propugnaculum, ne quis homini noceat: vide ergò si te offendere vellet?

1. Paralip. 22. 8.

S. Ambros. in psal. 38.

12. Dico insuper, Angelos summoperè delectari in consolatione hominum, idque proprium eorum officium. Quâ de causâ creditis Angelum de cælo in terram primum descendisse, &

Angelorum officium consolari afflictos.

& cum quo egisse? Cum principe forsan? vel Propheta, aut Patriarcha, ut revelaret illis secreta cælestia? vel ad castigationem aliquam infligendam? Rectè ad consolandam pauperem Ancillam è domo heri ejectam, plangentem & in deserto derelictam, ad Agar, inquam, ancillam Abrahæ; ad quam descendit ut in necessitate ei succurreret. Ita ut Angelus qui usque modò auctoritatem suam conservarat, nec ab hominibus videri voluerat, non existente occasione sufficienti ut è cælis descenderet, advertens afflictionem pauperis ancillæ, resolvit in terram venire ut ei succurreret. Sed quomodo ejus præsentia non illi terrorem incussit, ut aliis postea factum legimus? Respondet Abulensis, eò quòd Agar conversata fuisset in domo Abraham, quò sæpius Angeli venire soliti, illos videre assueta erat, ideoque non perterrita. Hoc tamen valde incertum, cùm ante illud tempus non dicat scriptura sacra aliquem Angelum Abrahamo apparuisse. Licèt ipse quoque eos vidisset; non tamen sequitur ancillam eos vidisse, quæ ad vilia officia in loco remoto attendere debebat. Magis ergò mihi aliorum expositio placet; hunc Angelum non solùm in forma humana apparuisse, sed visu adeò benignum, & moribus, ac loquelâ affabili, ut omnem timorem, & mœstitiam à pectore ejus excuteret.

Probatur exemplo Agar.

13. Clariorem probationem ante dictorum, ex libro Iudicum colligere poterimus, ubi duæ legationes describuntur, quas Deus misit, unam populo universo, alteram soli Gedeoni; unam correctionis, & reprehensionis, alteram confortationis, & consolationis. Sed quos creditis legatos misit? An Angelos è cælo? unum Prophetam, alterum Angelum. Cui Angelus missus? populóne? ita nobilitas ejus exigere videbatur, quia major dignitas est ad rempublicam unam mitti, quàm ad privatam personam. Non ita tamen fuit; ad populum enim homo Propheta missus fuit, & ad privatum Angelus. Ob quam causam? Quia Deus creaturis suis juxta illorum inclinationem uti solet; homo inclinatus ad defectus aliorum corripiendos; eat ergò, inquit, Deus, homo ad peccata populi mei reprehendenda; Angelus ad consolationem magis dispositus, ut lætitiam mœstis adferat, ideò ad Gedeonem mittitur, ut eum consoletur.

Cur Angelus soli Gedeoni missus?

14. Non debent insuper castigare, & punire, hoc quippe in præjudicium hominis & honorem divinum cederet; nimis citò quippe ut Dii venerati essent. Quod si absque eo magnum est periculum, Angelos ut Deos æsti-

Angeli nullos debent punire.

æstimandos, ideoque S. Joannes Chrysost. Theodoretus, & alii dicunt Moysen in descriptione creationis mundi, nullam fecisse mentionem Angelorum ne Hebræi eos adorassent. *Nihil*, inquit S. Joannes Chrysostomus de Moyse loquens, *de invisibilibus creaturis disserit, quia Iudæis loquebatur, qui toti præsentibus rebus inhiabant, neque spirituale quidpiam comprehendere valebant. Ita eos à sensibilibus, ad cognoscendum universi opificem inducit, ut ex creaturis fabricatorem mundi discentes, adorent creatorem omnium, ut non in creaturis ipsi permaneant, & quiescant.* Si ergò, inquam, solo verbo Angeli manifestati, periculum subibant idololatriæ? Quid erit, si effectum potentissimum timoris adjungant, qui facilè aliquem genua inclinare, & adorare pro Deo facit? juxta dictum illud poëticum; *Primus in orbem Deos invexit timor?*

Theodor. quæst. 2. in Genes.

Chrysost. homil. 2. in Genes.

15. Ægyptii Crocodilos adorabànt, quia adeò tremendos, & horribiles videbant, ut homines etiam crudelissimos devorarent. Quid igitur esset, si Angelos pulcherrimos, nobilissimos, potentissimos, & immortales viderent? maximè si tribulationem immitterent, quis non adoraret, illos propter excellentiam eorum, ne fortè illis flagella miseriæ, & afflictionis injicerent? magnum insuper nobis Dominiũ foret, non solùm animæ propter periculum idololatriæ; verùm etiam corpori, propter bona temporalia. Angelus quippe teste S. Thomâ Aquinate, inflexibilis est, quod enim semel dixit numquam revocat, & propositi facti numquam pœnitet. Si semel ergò flagellum arriperet, numquam cessaret, nec spes esset eum donis placandum, precibus flectendum, lachrymis movendum, nec eloquentiâ persuaderi posse ut desisteret, ita ut infelix nimium esset afflictorum status.

Si Angeli punirent, Dii putarentur.

16. Licèt quoque possent, nec indecens fuisset; quomodo credendum ipsos velle? Quæ nutrix umquam visa est proprium percutere filium, cui proprium sanguinem in lac conversum dedit? Nutrices nostræ sunt Angeli, juxta dictum propheticum; *Erunt reges nutricii ejus.* Quomodo ergò credibile est in nos adeò crudeles esse? Gaudent de nostris bonis; quia *gaudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Quomodo ergò malorum nostrorum causa erunt? Voluntatem omninò dæmonibus oppositam habent; sicut ergò illi nil aliud desiderant, quàm nos afflictos videre, & infelices ut ipsi sunt; ita Angeli procurant nos felices esse, ut ipsi sunt.

Licet possent, non vellent.

Isa. 49. 23.

Luc. 15. 10.

17. Si quoque Angeli possint afflicti, & fatigati videri, hoc esset, quando nos ita essemus

Angeli pro nobis afflicti videntur.

mus ut nos adjuvarent, & liberarent. Quando S. Petrus è carcere eductus, ibat ad domum Mariæ matris Joannis, & ad portam pulsaret, puella adveniens, interrogavit quis esset, responditque se Petrum esse, sed illa hoc annuntians, eam stolidam esse, dixerunt; *Insanis, Angelus ejus est.* Petrus est in carcere ligatus, quomodo hic esse posset? Quis ergò erit? Angelus ejus. Sed quomodo inquit S. Joannes Chrysostom. illis in mentem venit, quòd Angelus ejus esset, qui ad portam pulsaret? Respondet breviter, sed excellenter? *A tempore illud conjectabant*, sed à quo tempore? An quia nox erat? non, quia homines & spiritus maligni, etiam de nocte procedunt; sed quia tempus persecutionis, & tribulationis erat, idcircò dicebant S. Petrus consolatione indiget, ideò Angelus ejus non dormit, sed sollicitè vadit ad singulos orantes, excitans illos ne desistant, ne Petrus quidquam mali patiatur. Pari modo dum Jacob omninò tristis, & afflictus progreditur de domo sua, & recedit à patre, ac dormit in terra; ecce Angeli ascendentes, & descendentes, agunt cum Deo de liberatione sua, & salute. O quàm diligentes custodes? ô quàm chari amici? Et dices illos occasiones nostrarum tribulationum esse? Minimè, aliud siquidem non procurant, nisi bonum nostrum?

Act. 12. 15.

Angeli in adjutorio nostro soliciti.

18. Quid denique juvat tot protestationes adferre, cùm ipsemet Deus dicat se tribulationem immittere: *Ego Dominus*, inquit, *faciens pacem & creans malum*: Notandum autem est verbum *creans*; in creatione siquidem, nullus nisi Deus intervenit: sine instrumento, sine subjecto, sine adjutorio omnia tribuit, dum aliquid creat; cùm ergò tribulatio ab ipso creata sit, non opus est ut alium magistrum inquirat. Dum populus Israel ad terram promissionis tenderet, dixit Deus ad Moysen; si ego cum populo isto pergam, me ad indignationem provocabunt, & ego eum percutiam, & destruam, melius est ergo ut illum relinquam & Angelum cum eis mittam. Sed quid? nónne Angelum quoque ad indignationem provocare poterunt? vel patientior erit Angelus, quàm Deus? non, sed quia, non est ejus officium, vel quia non possit, vel quia non velit, Angelus non illum percutiet, ut ego facerem. Angeli denique ministri essent castigationis bonorum, vel malorum? Non bonorum, illi enim sunt eorum amici, & concives cælestes; unde S. Gregorius mulieribus ad sepulchrum euntibus, in persona Angeli dicit; *Cur timetis quæ vestros concives videtis?* Nec malorum,

Deus tribulationes creat.

Isa. 45. 7.

Angeli nullo modo castigant.

S. Gregor. hom. 21.

malorum, quia hi ad dæmones infernales pertinent, non verò ad Angelos. Non bonorum, quia *Simile non agit in simile,* juxta Philoſophos, nec unum alteri nocet; Angeli autem ſimiles bonis, cùm ipſi quoque boni ſint ſicuti boni vitam Angelicam in terris agunt. Non malorum, quia gens adeò vilis, & abjecta, non meretur, ut gladius Angelicus ſanguine illorum tingatur. Non bonorum, quia auctor bona, non mala inclamat. Non malorum, quia à bonis, & amabilibus miniſtris ut ſunt Angeli; ſed à crudelibus, & perverſis merentur caſtigari mali, videtur ergò concludendum, Angelos nullam occaſionem, nec miniſterium tribulationibus noſtris præbere.

Angeli tribulationis miniſtri probantur.

19. Sed bene dicitur, videtur, quia rationes allegatæ, apparentes tantùm ſunt, & non efficaces. Veritas tamen eſt, tribulationem hac gloriâ privari non debere, Angelos illius miniſtros eſſe. Nec ullus in ſacris litteris aliquo modo verſatus hoc negare poterit, cùm frequenter referantur caſtigationes ab Angelis immiſſæ. Angeli quippe ignem in Pentapolim deſcendere fecerunt: unus Angelus centum octoginta quinque millia unâ nocte occidit in caſtris Sennacherib. A duobus Angelis crudeliter Heliodorus flagellatus fuit, qui templum Jeroſolymorum ſpoliare venerat. Ab Angelo Herodes percuſſus fuit, quia ſibi divinum honorem uſurpabat. Alius Davidi apparuit populum peſte percutiens. Nec mihi quis objiciat Angelos malos fuiſſe, tum quia ſpiritus rebelles non ſolent ſimplici Angelorum nomine appellari, cùm etiam, quia aliqua de iis dicuntur, quæ non poſſunt his applicari; ut de iis qui Heliodorum percuſſerant dicitur; *Apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloriâ, ſpecioſique amictu.* Qui verò civitates illas infames combuſſerunt, primò Abrahamo apparuerunt, illoſque adoravit cui & filium promiſerunt; ita ut dubitari non poſſit illos Angelos fuiſſe. Hinc David de Angelis dicebat; *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem*; non ſufficiebat dicere ignem, nec dixit fuiſſe ignem ſplendentem, & illuminantem, ſed ignem ardentem vocavit; ad ſignificandum, non ſolùm illos habere lucem exhilarantem, quia miniſtri ſunt rerum lætarum; verùm etiam ardorem cruciantem, quia miniſtri ſunt divinæ juſtitiæ. Optimè hoc intellexit Clemens Alexandrinus qui ait quandoque illum Angelos ignitos conſtituere, ut crucient impios. Idem Ezechieli monſtratum fuit; quid enim animalia illa quatuor facierum aliud erant quàm Angeli?

2. Mach. 3. 26.

Pſal. 103. 4.

Clem. Alexand. lib. 5. ſtromatum.

Cur quatuor facies Angelis?

li? Ideoque illos quandoque Cherubinos vocat. Quid sibi vult illos habuisse facies adeò diversas, ut erant Leonis, vituli, Aquilæ & hominis? nisi ad diversas eorum operationes indicandas? Homines sunt quia nos erudiunt: Leones sunt, quia nos terrent, & corripiunt; Aquilæ sunt, quia ad cælestia sublevant; vituli sunt, quia patienter nos sufferunt, & sufferre docent.

Proprium Angelis homines punire.

20. Ratio quoque idem exigit, quia divinæ providentiæ propriissimum est, superiora per inferiora regere, ita per cælos regit elementa, & creaturas corporeas; per principes regit populum, per Angelos superiores, inferiores. Rationi ergò consonum erat ut castigationes, & punitiones (quæ pariter sunt pars divinæ providentiæ,) per alios mortalibus infligeret: cumque nullus homini superior sit Angelo; ejus officium quoque erit, custodire & punire illum. Adjungamus quod Aristoteles in sua Politica notat, non debere principes propriis manibus castigare, sed per alios; cùm hoc officium vile sit & odiosum. Nec ergò Deus delinquentes immediatè corrigere debet, sed aliis committere, nec aptior minister esse poterat quàm Angelus. Ministri quippe justitiæ incorruptibiles esse debent, ne donis corrumpantur. Quis autem perfectiùs hoc exequi poterat, quàm Angelus, qui nullâ re indiget, nec rebus corporeis, quibus solùm nos abundamus utitur, aut delectatur. Si fortis & constans esse debeat, quis constantior Angelo, qui immobilis quasi est? Si passionis expers, quis magis Angelo, cùm sensibus, & corpore careat, & totus sit spiritus?

Arist. in sua Polit.

Angeli sunt oculi Dei.

21. Judex, & alterum puniens, ut oculos esse debet; tum ne ignoranter percutiat, & discernat bene quid agat; cùm etiam, ut sit ab omni affectu liber; uti pupilla oculi nullo colore imbuta. Deus in signum castigationis futuræ, ostendit Jeremiæ, virgam oculatam; *Virgam vigilantem ego video*; inquit: Quid creditis Angelos esse? ut tanti oculi Dei. Id præclarè testatur Joannes in sua Apocalypsi, dicens: *Vidi Agnum in medio throni, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Septem, inquit, oculos habet, id est septem spiritus, septem Angelos, qui ab ipso in omnem terram mittuntur, ut sint ministri justitiæ ejus, & providentiæ. Dicuntur autem septem esse, vel ut Liranus vult, hic numerus septenarius sumitur, pro numero indefinito & multitudinem Angelorum complectitur qui ministri sunt divinæ providentiæ. Per hos septem quoque,

Jerem. 1. 11

Apoc. 5. 6.

Et ministri justitiæ.

que, septem præcipui Angeli accipi possunt, ut aliis superintendentes; sic ait Clemens Alexandrinus; *Septem quidem sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum principes, per quos Deus omnibus hominibus præsidet.* S. Augustinus hunc locum Genesis; *Descendit Dominus ut videret civitatem*; doctè exponit dicens: descendit Deus non in propria persona, cùm ubique sit præsens, sed per Angelos suos, cùm hi sint oculi Dei, per quos videt, & videndo punit. Eodem modo id fit, sicut in sacris canonibus, Archidiaconus dicitur Episcopi oculus; hoc enim ut præcipuo ministro, videt, visitat, corrigit, emendat; sic quippe dicitur in capite 7. de titul. de officio Archidiaconi: *Oculus Episcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Episcopi per Episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat, & emendet.*

Clemens Alexand. lib. 5. stromat.

S. August. lib. 16. de civitate Dei cap. 6. Gen. 11. 5.

Possunt, & debent nos punire.

22. Ut denique armis adversariorum utamur; possunt, debent, & volunt Angeli, ministri esse justitiæ divinæ, & nobis afflictiones, tribulationes, & castigationes immittere. Possunt duobus modis; vel sine instrumento, virtute solùm; & fortitudine; vel aliquâ occasione seu instrumento utendo. Verum est Angelum seipso solo non posse aliquam producere formam substantialem, vel accidentalem, qualiscumque illa sit; non frigidum, vel calidum reddere, non exsiccare, aut humidum facere; sed movere potest; sicut enim docet Angelicus doctor; *Corpora obediunt, Angelis ad motum localem*: & consequenter debent omnes alios effectus ad motum consequentes exercere. Potest ergò hominem aut aliud corpus ex uno loco ad alium ferre; potest in altum extollere, & inde cadere permittere; potest præcipitare, dividere, & in mille partes discerpere; potest circumagere & eo modo efficere ut sensus amittat.

S. Thom. 1. p. q. 110. a. 3.

Per alia punire potest.

23. Dum autem corporibus pro instrumento utitur, quid non potest efficere? potest igne comburere, aquâ submergere, civitates terræ motu concutere, ferro vulnerare, serpentibus veneno inficere, ligno cædere, lapidibus concutere, omne denique quod unum corpus cum alio efficere potest. Talis quoque est vis & fortitudo Angeli, ut nulla creatura corporea illi resistere valeat. Imò plus valet solus Angelus, quàm quivis copiosus exercitus. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum* inquit David: quasi exercitu defendet eos, qui timent Dominum; ideoque Septuaginta Interpretes legunt; *Castrametabitur*; ad modum militum in campo ordinatorum defendet eos: *Considera*, inquit S. Basilius in hunc locum, *quanta sit Angelorum*

Psal. 33. 8.

S. Basil. in hunc psal.

lorum natura, quoniam universo exercitui, & castris numerosæ hominum multitudinis, unus aßimulatur Angelus; ob magnitudinem itaque ejus qui te custodit, castra tibi munitionesque præbet Deus. Quid de velocitate ejus in operando referam, quæ incredibilis est? Vix enim mandata Dei intellexerunt, quin subitò compleverunt. De hac mirabili celeritate David admirans ait: *Benedicite Dominum omnes Angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus.* Primò dicit facere, postea auscultare, quia adeò prompti sunt in Dei servitio, ut non expectent multa verba, sed ad primum signum, in opere ponunt. Vix quoque hoc opus expleverunt, quin arrectis auribus nova præcepta attendant. Quis vigilantiam eorum explicare poterit, cùm non dormiant? Quis fortitudinem, quæ numquam deficit, aut fatigatur?

Summa illorum velocitas.

Psal. 102.2.

24. Nec minor est potentia, quàm obligatio, si enim ob offensam Dei tribulationes immittantur, quibus potiùs convenit exequi, quàm Angelis? Dum civitas aliqua principi rebellat, duces & milites, cum exercitu armato eò mittit, ut iterum recipiat, eosque castiget; sic in S. Matthæo dicitur: *Mißis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitates eorum succendit.* Qui sunt exercitus Dei, & duces ejus, nisi sancti Angeli? De his in Apocalypsi dicitur, juxta expositionem S. Hieronymi; *Et exercitus sequebatur eum in cælo, in vestibus albis.* Tria in exercitu bene ordinato reperiuntur, fortitudo, ordo, & obedientia, fortitudo contra inimicos; ordo inter se; & obedientia ergà superiores. Quis nescit in exercitu Angelico hæc tria optimè reperiri: adeò quippe sunt fortes, ut unus solus machinam cælorum revolvat. Quis nescit illos directos, & bene ordinatos esse, cùm in novem hierarchias, & ordines distinguantur. Quàm denique obedientes sunt, quandoquidem alis extensis semper nutum ducis sui attendant? conveniens ergò est, ut per illos Deus inimicos suos castiget.

Sunt exercitus Dei.

Matt.22,7.

Apoc.19.14

Dei inimicos castigant.

25. Dico insuper cum Deo illos offendi, ideoque propter proprium, & Dei honorem, debent vindictam sumere de inimicis Dei. Nec solùm affirmo illos offendi, quia sunt Dei aulici, & unum quid in amore divino cum illo effecti; verùm etiam quia sæpius de illorum honore agitur. Cur enim creditis ad infames illas civitates Pentapolis castigandas. Duos Angelos è cælis descendisse? nónne dæmones melius illos castigassent? gens adeò scelerata, non merebatur ministros adeò nobiles. Adjungamus quoque castigationem illorum, fuisse exemplar

Cur Angeli ad castigationem Sodoma missi?

emplar quoddam pœnarum inferni; ut Judas Thadæus in sua epistola refert: *Sicut Sodoma, & Gomorra, & finitima civitates simili modo exfornicata, & abeuntes post carnem alteram facta sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* Dices fortassis, venisse Angelos de cælo, ut liberarent Loth, quia dæmones illum non bene excepissent; vel si à Deo coacti rectè perfecissent, non erat conveniens, ut homo justus qualis ipse erat, per illos liberatus fuisset. Propter beneficium ergò hominis justi; non dedignantur Angeli ministri esse in castigatione impiorum; magisque apud illos valet meritum solius justi, quàm demeritum mille impiorum. Sed numquid liberato Loth poterant dæmonibus castigationem impiorum relinquere? Alia ergò ratio ultra prædictam illos movit, quæ fuit proprius illorum honor.

Jud. Thad. epist. v. 7.

Ratio istius assignatur.

26. Nec mirum videatur peccatum carnale, & nefarium, contra honorem spirituum beatorum & mundissimorum extitisse; Angeli quippe nihil magis desiderant, quàm impletionem vacuarum sedium, propter casum Luciferi & sequacium; sicut etiam dæmones omnem occasionem adferunt, ne à nobis impleantur; sic Angeli contrarium maximè solicitant. Ad hunc finem possunt homines, ut ita dicam, materialiter & formaliter cooperari; materialiter præparando materiam, ad illud ædificium, ut qui ligna & lapides pro materiali ædificio præpararet; formaliter disponendo materiam, eamque applicando. Primo modo, matrimonium, & generatio hominum illi inservit; inde quippe multiplicantur homines qui lapides sunt illius cælestis structuræ; secundo modo virginitas, quæ homines Angelis similes efficiens, aptat illos perfectissimè, ut inter se rectè componantur. Rectè ergò dicit S. Ambrosius citatus in decreto Gratiani; *Nuptiæ terram replent, virginitas paradisum.* Civitates illæ quantum in se erat, destruebant unum, & alterum modum, quo cælesti fabricæ aptatur materia, quia contra virginitatem, & matrimonium peccabant; cùm inhonesti, & impudici essent, novo, & scelerato modo propagationem humani generis impedientes, nec ad aliud, quàm ad infernum utiles erant. Non mirum ergò si contra illos, ut inimicos capitales se armarint Angeli, & ad pœnas æternas sustinendas, quas jam sibi præparaverant, illos relegaverint. Pari modo peccatum Heliodori qui templum spoliare venerat, contra reputationem illorum erat; cùm locus iste particulari eorum custodiæ deputatus esset. Peccatum autem superbi Herodis, qui Deo

Gratia. constit. 32. q. 1. cap. 12.

Angeli inimici impudicitia.

similis esse cupiebat; revocabat in memoriam illorum, rebellionem Luciferi, & occasionem ruinæ illorum; unde nil mirum si contra illum, uti contra alios arma sumentes, crudeli eum morte interfecerint.

Angeli pædagogi nostri. 27. Si tribulationes sunt correctiones filiis Dei exhibitæ, juxta illud Apostoli; *Flagellat omnem filium quem recipit*; Quis nescit officium pædagogi esse, castigationem infligere? Quis pariter ignorat Angelos custodes nostros, & tutores esse? unde S. Joannes Chrysostomus ait; *Si ergò Angelos habemus, sobrii simus tamquam si pædagogi quidam nobis adessent.* Ad illos ergò pertinet virgâ tribulationis nos percutere. Ita intervenit sponsæ in Canticis ipsâ testante: *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum.* Me invenerunt custodes civitatis Angeli videlicet, dicunt SS. Ambrosius & Gregorius Nyssenus; sed quid hoc sibi vult; custodes civitatis, nónne de nocte circumeunt ne aliquis vulneretur, aut fures quemquam spolient? cur ad minus non reveriti sunt sponsam domini sui? Responsio ex S. Bernardo optimè colligitur; illos hoc non fecisse odio, aut avaritiâ; sed propter zelum Domini sui: *Æmulantur*, inquit, *Dei æmulatione, solliciti suo viro servare, & virginem castam Christo exhibere.* Ideò adhuc semel de iisdem reperta, nihil mali passa est: *Invenerunt me vigiles*, inquit tunc, *& paululùm cùm pertransissem illos inveni, quem diligit anima mea*; sed qua de causa hac secundâ vice non fuit ab illis malè excepta, sicut primâ vice? Id fuisse credo, quia malè sponsum suum exceperat, non ipsi aperuerat ostium, licèt sæpius, & amicabiliter vocaverat, unde se castigatione dignam exhibuerat.

Ad Hebr. 12. 6.

Chrysost. hom. 3. in epist. ad Coloss.

Cant. 5. 7.

S. Bernar. serm. 39. in Cant.

Cant. 2. 3.

Ad quos Angelos castigatio pertinet? 28. Inquiret fortè quispiam, quorum Angelorum officium est castigare? Scio Theologos multos æstimare aliquos Angelos esse assistentes, nec umquam è cælo discedere; alios verò ministrantes, qui ad nos descendentes ministri sunt divinæ providentiæ. Hæc opinio si vera est, secundis Angelis illud officium convenit, & maximè nostris custodibus, qui nobiscum officium pædagogi exequuntur. Si tamen verè sensum meum edicere cuperem, magis mihi arridet opinio eorum, qui asserunt omnes cælestes spiritus quandoque in terram mitti, juxta dictum Apostoli Pauli; *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi*, cui contraria opinio vix satisfacere potest. Juxta illud ergò, affirmo omnes ordines beatorum spirituum ad nostram correctionem concurrere;

Ad Hebr. 1. 14.

currere; juxta varia motiva, & effectus in nostra tribulatione magis resplendentes. Modò amor potiùs resplendet; quia *quos amo corrigo & castigo*; & tunc fortè Seraphim ministri erunt, ita Isaiæ carbone ignito Seraphim labia purificavit. Quandoque ad sapientiam castigatio pertinet, & tunc Cherubim mitti potest; sic Adam & Eva scientiarum cupidi præceptum divinum transgressi sunt, & à Paradiso ejecti ad custodiam ejus Cherubim constitutus fuit. Alius dirigetur ad præparandã in nobis habitationem divinã, juxta dictum Prophetæ regii; *Iustitia, & judicium præparatio sedis tuæ*: & hoc committetur Thronis. Veniet tribulatio cum prodigiis, & virtutes ad hanc mittentur. Puniendus erit quispiam à spiritibus malignis defensus, & hoc ad potestates pertinebit. Aliquis per tribulationes Deum cognoscere debebit: & illud officium Dominationes exequentur. Castigandum erit regnum, aut provincia, per principes hoc agetur. Potens quidam puniendus, & ad hunc finem descendet Archangelus. Castigandus est parvulus, aut exigua castigatio infligenda, ex minoribus Angelis erit minister conveniens.

Ad omnes Angelos pertinere videtur.

Psal. 88.15.

29. Quid de voluntate eorum referemus? non dubitandum quin velint, quia Deo obedientissimi, cognoscentes quippe talem esse voluntatem divinam, promptissimè illam exequuntur. Ideò supra propitiatorium alis extensis depinguntur, quasi in actu volandi, ut promptitudinem, & desiderium exequendi quod illis injungetur demonstrent. Si enim Abraham non recusabat propria manu occidere filium suum Isaac; multò minùs recusabunt Angeli castigare quemcumque, dummodo voluntatem divinam esse cognoscant. Sunt insuper maximè zelosi honoris divini; unde sicut Phinees, advertens Hebræum in præsentia aliorum cum muliere Madianitide peccare; sancto repletus zelo, unum & aliam interfecit. Ita quoque credo, nisi Deus illos retineret, dum vident aliquem illum mortaliter offendere, amoroso zelo repleti, illi vitam subitò auferrent.

Ad castigandum promptissimi.

30. Quomodò dicemus illos, hoc officium exequi? illibenter, aut alacriter? S. Joannes Chrysostomus inquit illibenter id facere, ob amorem quem erga hominem gerunt; & loquendo de Cherubim ad custodiam paradisi deputato, *Dolebat*, inquit, *honorem custodiæ*. Licèt enim videretur honorabile præsidentem, & custodem Paradisi esse; propter amorem tamen quem erga hominem gerebat, cum dolore, & compassione hoc officium

Illibenter cunctos castigant.

ficium exequebatur. Quomodo tamen hoc esse potest si in Apocalypsi reperiatur, Angelos lætari in castigatione quam Deus hominibus mittit? Ita capite 19. postquam Joannes retulit punitiones missas civitati Babyloniæ refert voces Angelorum cantantium, & jubilantium; *Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cælo, dicentium Alleluia; laus & gloria, & virtus Deo nostro est.* Ne autem dubii hæreremus de eorum lætitia, subjunxit: *Quia vera & justa sunt judicia ejus, quæ judicavit de meretrice magna.* Ecce ergò quomodò lætantur de castigatione in terram missâ. Confirmatur antedictum, qui enim illibenter aliquid agit; vel non finit, vel difficulter, & imperfectè. Sic legimus accidisse dum Joab ex præcepto Davidis populum Israel numerabat; illibenter quippe hoc exequendo, non numeravit omnem populum ut illi commissum erat, sed duas integras tribus omisit; quod Sacer textus notat dicens: *Levi, & Benjamin non numeravit, eò quòd Ioab invitus exequeretur ejus imperium.* Angeli tamen quomodo se gerunt dum de castigatione hominum agitur? Minorémne adhibent virtutem quàm ipsis præceptum est? Quin imò excedunt terminos suos, ita ut frænum potius injicere oporteat, quàm stimulos addere. De hoc in Apocalypsi pulcherrimum habemus exemplum, legimus enim cap. 16. aliquibus Angelis dictum; *Ite & effundite septem phialas iræ Dei in terram*: sed quid egerunt? Non solùm supra terram effuderunt; sed etiam supra mare, flumina, aërem, & solem ipsum. Ipsi enim qui libenter mandata Dei exequebantur, & sibi complacebant, de tribulatione mittenda, largè hoc præceptum interpretabantur, & sub nomine terræ totum mundum comprehendebant.

Apoc. 19. 1.

In castigatione lætari videntur.

1. Paralip. 21. 6.

Apoc. 16. 1.

Angeli libenter tribulationes diffundunt.

31. Hanc inclinationem illorum videtur alius Angelus intellexisse, qui quatuor aliis Angelis potestatem terræ, & mari nocendi habentibus clamavit: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus.* Sed quid opus erat de arboribus mentionem facere, cùm antea de iis nil dictum erat? Si quoque potestas quatuor Angelorum erat solummodo supra terram, & mare? quomodo non sufficiebat dicere, nolite nocere terræ & mari, sine adjunctione arborum? Cognoverat alter Angelus quòd illi quatuor Angeli, de castigatione divina, zelosi largo modo interpretati fuissent, auctoritatem nocendi, & sub nomine terræ, etiam arbores intellexissent, ideoque dubitans ne strictè prohibitionem acciperent, bene illi visum fuit declarando dicere; *Neque arboribus.* Quid ergò

Apoc. 7. 3.

ergò dicemus? Respondere possem castigationes illas mysticè intelligi, de conversione animæ; prout S. Augustinus cominationem illam divinam intellexit; *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur*: *Quis negabit*, inquit, *quod Dominus prædixit, in eis fuisse completum? nisi parum advertat, quemadmodum peccatores Deus non solùm iratus, sed etiam miseratus evertat*. Eodem modo ergò illud quod in Apocalypsi dicitur Babyloniam fore destruendam; potest intelligi, quòd desinet esse Babylonia, & deveniet Jerusalem; deseret nempe statum peccati, & deveniet sancta. De hoc, quasi de ingenti bono suo lætantur Angeli, non de malo quod illi accidet, sed de fructu quem in posterum proferet. Liberiùs tamen procedendo dicere cupio, Angelos de tribulatione nostra gaudere simul & dolere; ad modum Chirurgi, qui vulnerando, & scindendo plagam infirmi, ex compassione dolet, sed de sperata salute gaudet. Non aliter Angeli dolent, (eo modo nempe quo possunt dolere) de nostris malis, & lætantur de bonis; dolent de malo, sed gaudent de divina gratia, & gloria inde consecuta. Dolent de tribulatione nostra, videntes nos nullum inde haurire fructum; & gaudent videndo nos inde occasionem pœnitendi sumere.

Jonæ 3. 4.

S. August. lib. 5. de civit. Dei cap. 24.

De castigatione nostra dolent, & lætantur.

32. Illibenter ergò puniunt peccatores obstinatos, qui castigatione magis indurantur; ita ut eò missi videntur non posse pervenire. De hoc insigne habemus exemplum in Genesi, cùm enim descendissent Angeli de cælo ut castigarent infames illas civitates Pentapolis; primò perrexerunt ad domum Abraham, & ibi diu convivando hærebant, non quia his delectabantur, sed quò tardiùs pervenire possent, ad ingratum illud officium. Ex domo tamen Abraham discedentes, adeò lento passu incedebant, ut Abraham adhuc illos præcederet, monstrans iter, ut inquit Sacer textus: *Abraham simul gradiebatur deducens eos*; Lippomanus habet. *Iter indicabat, ne à via aberrarent*. Erátne possibile ergò ut Angeli duce viæ indigerent? periculúmne erat, ut aberrarent? noverant invenire domum Abraham inter valles positam, & potiùs tugurium, quàm domus dicenda; & duce viæ indigent, ut regionem integram inveniant, ubi sunt quinque civitates opulentæ? Illibenter tendebant ad castigandum peccatores absque emendatione; ideóque videbantur non invenire viam. Ad domum tamen Abraham quia beneficia collaturi pergebant, illam licèt inter valles absconditam invenire noverant.

Obstinatos illibenter castigant.

Gen. 18. 16.

Angeli erga nos misericordes.

33. Si ergò in Apocalypsi lætentur propter punitionem civitatis Babylonicæ, & propter gloriam Dei, quam inde sequi ex eorum verbis colligi poterat. Si iram Dei supra aquam, aërem, & solem spargant, dum illis injunctum fuit, ut supra terram spargerent; vel fuit compassio illorum erga homines, ne supra eos tantam iræ abundantiam spargerent; vel scientes obscuritatem solis, malas aëris, & aquæ qualitates, in damnum hominum cedere; non recesserunt in minimo à divino præcepto, phialas suas iræ, in solem, mare, & flumina effundendo. Si autem in prohibitione damnorum fiat mentio arborum est, quia hîc introducitur Angelus loquens, qui ut misericors extendit exemptionem pœnarum, ubi primò Propheta locutus est, qui prævidens arbores non puniendas, non curavit de expressione particulari illarum. Quin imò de pietate Angelica, hinc aliud argumentum deducere possumus, quandoquidem his quatuor Angelis præceptum solùm fuisset, ut expectarent nocere, terræ, mari, & arboribus, donec signati fuissent servi Dei, in frontibus eorum; & consequenter his signatis, remanebant in plena auctoritate nocendi; non tamen legimus illos hanc auctoritatem executos fuisse, cùm enim nullum novum præceptum illis injunctum fuisset, putabant se non ampliùs primo præcepto obligari, sicque nullum damnum hominibus inferre volebant. Firmiter ergò probata manet conclusio proposita, quod diverso modo, & ad diversum finem Angeli lætentur, & doleant, de tribulatione nostra; unde beatissimi illi spiritus à nobis timendi, amandi, & imitandi sunt.

Non puniunt nisi coacti.

Angeli à nobis timendi.

34. Timendi sunt, quia potentes, & zelantes honorem divinum, ab illis te defendere aut abscondere non potes; quia vicinum semper habes te observantem. Quomodo ergò facere audebis quod illi displiceat? Vidistíne quanto timore scholares in præsentia magistri stent, præ timore ne ab ipso puniantur? Tali modo, & majori reverentiâ continuò stare debes in præsentia Angeli tui vicini, prompti ad te corripiendum & puniendum. *Ecce ego mitto Angelum meum*, (dicebat Deus in Exodo) *qui præcedat te, & custodiat te in via, & introducat in locum quem præparavi, observa eum, & audi vocem ejus; nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaveris ei*. Unde meritò S. Bernardus ait: *Væ vobis si quando provocati peccatis, & negligentiis nostris, indignos nos judicaverint præsentiâ, & visitatione suâ, ut jam necesse habeamus cum Propheta, plangere, & dicere; amici mei, & proximi mei,*

Exod. 23. 20.

S Bernard. serm. 1. de Angelis.

Et amandi sunt.

mei, adversum me appropinquaverunt, & steterunt. Multò tamen magis amari debent, quandoquidem, ut confratres nostri, omnia bona nobis procurent; *Congaudent gaudentibus de te*, inquit S. Augustinus, *compatiuntur patientibus, grandis est eis cura de nobis, magnus est affectus dilectionis eorum erga nos.* Si ergò beatissimi illi spiritus ita nos ament, non indigentes aliquâ re nostrâ, nec à nobis aliquod beneficium expectantes, aut recipientes; quantò magis nos illos amare debemus, à quibus tot beneficiis, & gratiis ditamur? Si nos diligant, adeò miserabiles, & ingratos, quomodo non diligemus illos qui dignissimi sunt, ut amentur? Nónne videtis dum dicere volumus aliquem summo amore dignum esse, dicere solemus, est Angelus, & hoc sufficit ut ametur.

S. August. in Soliloq.

Imitari oportet in obedientia.

35 Illos denique imitari debemus, in obedientia versus Deum, & compassione erga proximum. Adeò sunt Deo obedientes, ut licèt castigatio nostra, non videatur dignum illorum officium, & sit contra amabilem illorum affectum quem erga nos gerunt; cùm tamen Deus ita præcipit, promptissimi sunt ad exequendum, & in opus dirigendum. Hoc exemplum patres, & matres considerare deberent, ne tantus in eis prævaleret filiorum affectus ut videntes illos Deum offendere, non audeant rigidè punire; corrigendi autem sunt ne à Deo corripiantur, ut Eli reprehensus fuit cui Deus intimari præcepit: *Magis honorasti filios tuos quàm me*; 1. Reg. 2. 29
sicque non sint causæ ruinæ illorum ut Eli fuit. Intueantur denique hoc speculum, & corrigant se, qui ne amico displiceant, non curant Deum offendere; & ubi de honore divino agitur, omnem humanum respectum derelinquere discant.

Et compassione erga proximum.

36. Imitemur quoque Angelos in compassione erga proximum, si enim ipsi qui impassibiles sunt, & natura à nobis differentes, nostris tamen compatiuntur necessitatibus, & miseriis; quantò magis convenit ut nos moveamur ad compassionem proximorum, & confratrum, in tribulatione illorum; juxta dictum Isaiæ Prophetæ; *Carnem tuam ne despexeris*? O Isa. 58. 7.
quantum Deo displicet non compati infirmitatibus proximorum. Deus contra aliquos ex populo suo, quasi processum instituit, & in ultimo de peccato graviori, quod magis sibi displicet, dicit: *Et nihil patiebantur, super contritione Ioseph.* Quanti sunt Amos 6. 6.
hodie qui cor saxeum habent, & viscera crudelia, videntes proximum fame, & miseriâ perire, frigore tremere, malè à canibus excipi, & ridendo, ac illudendo prætereunt, absque eo quòd succur-

succurrant, aut compatiantur? Quid mirum postea, si Deus non compatiatur tuis malis? quod non te liberet à tribulatione, si à Deo auxilium desideras, primùm succurre proximo.

SECVNDA PARS.

Angeli causæ secundæ tribulationis.

37. RAtiones & auctoritates quibus probavimus Angelos esse ministros, & secundas causas nostrarum tribulationum, adeò sunt claræ, & evidentes, ut necessariò intellectus se victum reddat, nec veritati apertæ amplius se opponere audeat. Verum quidem est hoc non ita intelligendum, quasi in omnibus tribulationibus Angeli sint ministri, hoc enim absolutè falsum est; imò sæpius à pluribus tentationibus, & tribulationibus nos defendunt, & liberant, vel in illis consolantur, ut statim videbimus. Sufficit enim illos quandoque causas esse prout divina sapientia disposuerit. Nec sic difficile erit rationibus contrariis respondere.

Argumentis contrariis respondetur.

38. Quid enim primò dicebatur, Angelos non posse esse causas secundas, cùm non habeant materiam æqualem nostræ? Illud bene probat illos non posse à nobis pati, non tamen, quod non possimus ab illis pati; nec aliud vult inferre Aristoteles, quàm eadem materiâ constare debere illas res, quæ actionem, & passionem invicem habent; non tamen illas quarum una est agens, alia patiens. Quid dicebatur, longè à nobis esse, & in cælis habitare? Verum est, sed appropinquare possunt. Nec armis illos præditos esse? sed à qualibet creatura illa accipere possunt, & virtus illorum motiva idem officium exequi potest. Quid dicebatur, amorem quem erga nos gerunt non sufferre, ut nos offendant? Respondeo hoc verum fore, nisi majori amore versus Deum, alium amorem superantem præditi essent. Deus insuper vulnerat, & affligit quos amat, unde dictum fuit; *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odio habentis*: non physicè sed moraliter diceret Philosophus respectu efficientis, & finis: quia amans propter bonum nostrum nos vulnerat, & inimicus ut tradat osculatur. Prov. 27. 6.

Angelus non ut carnifex, sed ut pædagogus punit.

39. Quid dicebatur, non esse officium Angelorum aliquem punire ut carnifex? verum est; non enim illud ut carnifex, sed ut pædagogus vel magister exercet: proprium quippe carnificis est, castigare reos sententiâ Judicis condemnatos. Qui ergò post sententiam finalis judicii malos torquebunt, non Angeli sed dæmones erunt. Angeli verò bonos punientes, id agent ut

ut magistri, vel ut pædagogi, qui etiam filios principum corripiunt: aut malos castigantes ut milites pro honore principis sui pugnantes se animosè gerent; non ergò indigna, sed digna exercent officia. Quid dicebatur, hoc ex nomine officii illorum nusquam colligi? Ante tamen probavimus ex nomine officii illorum optimè sequi; si autem non contenti nomine communi, ad particularia transire velimus, de quibus in sacra scriptura notitiam habemus: Quis non videbit quàm bene huic officio conveniant? Michaël siquidem significat; *Quis ut Deus?* quo designatur ut zelosus miles adversarios ad pugnam pro honore principis sui evocans. Gabriel est fortitudo Dei, evidens indicium strenuæ pugnationis, & devictionis contra inimicos Dei; Raphael denique est medicina Dei, qui medicinam nominat, amaritudinem & afflictionem dicit, ordinatam pro nostra salute, quam tribulatio à Deo pro salute animæ nostræ immissa, rectè designat.

Consolari, & affligere norunt.

40. Quid dicebatur proprium Angelorum officium esse consolari afflictos? sed quid putatis Angelos unam artem solam nosse? vel ut discipulos esse qui consuere norunt vestes, sed non scindere? novit Angelus afflictos consolari, & magis affligere; ideò Daniel uni ex senibus Susannam accusantibus dixit; *Manet Angelus Domini gladium habens, ut secet te medium.* Daniel. 13. 59. Scit se defendere & oppugnare; ita Christus de eo testimonium perhibebat: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quòd Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*; Matt. 18. 10 attendite bene, quia illi apud Patrem contra vos procedent, & condemnabunt. Dico insuper, per tribulationem Angelos scire consolari; unde Jacob maximè timens fratrem suum Esau, licèt videret exercitum Angelorum in sui defensionem, & diceret; *Castra Dei sunt hæc*; non tamen Gen. 32. 2. metuere desinebat; sed quando unus illorum à Patre secedens, cum illo luctabatur, & in nervo læserat; tunc dixit: *Salva facta est anima mea*, Gen. 32. 31. nec ampliùs timuit; ut nos doceret Angelos non suâ præsentiâ tantùm, verùm etiam tribulatione consolari, quasi clavum clavo pellendo.

Angeli potiùs consolando quàm affligendo Dii putantur.

41. Quid dicebatur, quòd timorem incutientes faciliter pro Diis adorati essent? Imò magis se benignos exhibentes, & liberales; ut Agar accidit, quę ab Angelo consolata, ipsi titulum Dei subitò tribuit, ut inquit Sacer textus: *Vocavit autem nomen Domini qui loquebatur ad eam, tu Deus qui vidisti me.* Gen. 13. 16. Sicut ergò Angeli non ideò relinquunt bene agere; ita nec con-

veniens, ut hoc respectu, desinant tribulationes infligere; non enim tantum est periculum mali, quin major sit certitudo boni inde secuturi. Adjungamus quoque facillimè hoc periculum tolli; quia absque eo quod videantur aut cognoscantur, Angeli sunt ministri divinæ castigationis; & se quandoque conspicuos exhibent; sed personis quæ inde non movebuntur, quia taliter in cognitione veri Dei sunt, illustrati, ut aliter judicare non possent, quàm illos veri Dei ministros esse. Taliter visus fuit Angelus Davidi percutiens peste populum Israel; non tamen rudi vulgo se exhibent. Dicendum quoque Angelos semper se ministros Dei appellare, ipsúmque solum adorandum & pro auctore omnium cognoscendum.

Angelus juxta Dei voluntatem nos regit.

42. Quid dicebatur, Angelos immutabiles & implacabiles esse? Sed quis immutabilior Deo, & tamen placatur, & ad misericordiam movetur: non quòd ipse immutetur, sed nos immutamur; & à principio ipse mensuram, & tempus tribulationis nostræ constituit. Non ergò varietas actionis semper est indicium varietatis animi: sed quandoque ex sua virtute, quòd diverso tempore diversis rebus applicari velint. Quomodocumque sit, non movetur Angelus proprio cerebro ad puniendum, sed à divina voluntate, juxta quam se regit. Quid dicebatur, Angelos custodes nostros, & nutritores esse à tribulatione nos defendentes, non ergò credendum harum causas esse. Verum est ordinarium illorum morem esse, nos pascere, adjuvare & regere; sed quandoque nos castigant, vel propter bonum nostrum, vel quia Deus sic præcipit; quandoque enim nutrix efficit ut pueri plangant, & absynthium uberibus admovet, ut divertantur; ita Deus nobiscum agit quandoque amaris dulcia miscendo. Quid dicebatur, Deum se auctorem mali pœnæ constituere dicendo: *Ego Dominus creans malum?* Respondeo, hoc non excludere causas secundas, prout etiam in creatione mundi voluit terram, & aquam concurrere ad productionem arborum, & piscium. Isai. 45.8.

43. Quid dicebatur, Deum cum populo Hebræo Angelum mittere voluisse, ut eum præservaret, à castigatione, & tribulatione? Respondeo Deum non dixisse se missurum cum populo Angelum, sed ante illos: *Mittam præcursorem tui Angelum, & ejiciam Chananæum, & Amorrhæum, & Hethæum, &c. non enim ascendam tecum quia populus duræ cervicis es, ne fortè disperdam te in via.* Sicut ergo Deus negat se velle cum eis ire, ita quoque non vult Angelum mittere, sed ut præcedat, ne occasionem habeat Exod. 33. 2.

Angeli castigant bonos & malos.

beat illorum peccata videndi. Quid tandem dicebatur, ab Angelis bonos castigari non debere; quia sunt amici eorum, nec etiam malos, quia indigni sunt? Respondeo fuisse solùm opinionem aliquorum, Deum in bonis castigandis adhibuisse Angelos; sed hanc opinionem confutat S. Augustinus, exemplis manifestis è sacra scriptura assumptis; cùm Sodomitæ, & exercitus Sennacherib pessimi fuerint, & tamen ab Angelis castigati; idem communiter de occisore primogenitorum in Ægypto credendum. Licet quoque David videtur pœnas illorum Angelis malis attribuere, dicens: *Immissiones per Angelos malos*; alii tamen respondent hos Angelos malos dici, non propter peccatum quod haberent, sed propter pœnam quam causabant. Mali ergò & boni per Angelos quandoque puniti sunt; boni, quia ut discipuli corriguntur; mali, quia ut rebelles ab exercitu Angelorum oppugnantur.

An cognosci possit quis tribulationes infligat?

44. Dicet tamen aliquis nullum erit signum per quod cognoscere poterimus Angelos bonos ministros castigationis hujus vel illius esse? Respondeo difficulter id posse cognosci, si tamen in castigatione aliquod interveniat miraculum, ut fuit in civitatibus Sodomæ, & Gomorrhæ, quæ non tantùm fuerunt combustæ, verùm etiam submersæ, hoc ab Angelis bonis fieri dicendum; cùm non sit verisimile Deum tantam auctoritatē spiritibus malignis tribuere ut miracula efficiant. Valde insuper probabile æstimo, quòd singulis vicibus quibus Deus se ipso motus, ad castigandum accedit, hoc per Angelos bonos exequi, & non per malos. Quod mihi persuadeo, quia mali Angeli animo maligno, odio, & invidiâ ergà Deum stimulati, hoc exequerentur, sicque viderentur certo modo alios ad peccandum incitare; ubi Angeli boni propter zelum & amorem ad hoc moventur. Si ergò diaboli aliquem tentant, meo judicio, à Deo ad hoc non moventur: sed Deo permittente solùm malignam voluntatem exequuntur. De quo sequenti discursu disseremus; ut hunc ergò discursum concludamus aliqua documenta de more ex prædictis colligenda?

Quàm utilis & necessaria tribulatio.

45. Primum documentum erit, quàm necessaria & utilis nobis sit tribulatio, quandoquidem ne in mundo deficiat, beatissimi spiritus è cælo in terram descendant. Licèt quoque tanta sit tribulationis abundantia, & ubique nascatur; divinæ tamen providentiæ, quæ pretium illius cognoscit, exigua esse videtur; unde dilectos suos aulicos mittit, ut aliam ubique seminent.

minent. Philosophi dicunt naturam adeò abhorrere vacuum, ut ad hoc implendum, si aliud nullum remedium superesset, rumperentur cæli, & pars ejus hoc vacuum impleret: hujus tamen rei nullam vidimus experientiam. Quid ergò erit si non cæli, sed nobilissimi spiritus qui supra cælos sunt, pro aliquo negotio in terram descendant? oportet hoc majus esse, quàm dari vacuum; ne ergò detur vacuum tribulationis, verè descendunt Angeli, utilissima igitur, & maximè necessaria est tribulatio in mundo adveniensque à Deo immissa, benignè à nobis recipienda est.

Tribulationes alacriter suscipiendæ.

46. Hinc sequitur secundum documentum, tribulationes alacriter suscipiendas, si enim per Angelos deferri ad te videres, auderésne indignari, vel lamentari? non credo certè; securus quippe esses, non odio, sed amore tui, ad melius bonum hanc immitti; quid autem scire potes an hæc quæ te affligit, non tibi per manum Angeli tui missa sit. Ad minus hoc certum est, illum hanc permittere, cùm impedire posset; non tantùm ergò indignari debes; verùm etiam pro favore recipere. Non advertistis quandoque quid fiat in bacchanalibus? Nobilis quidam per plateas incedens, sentit nivem, vel quid simile ad caput suum projici; sed nesciens à quo veniat, indignans minatur se rigidè puniturum; sursum tamen respiciens, & pulchram adolescentulam intuens, quæ ut conspiceretur, se fecisse testatur; non tantùm placatur, verùm etiam pro favore ictum illum recipit, & personæ illi gratias refert: si quoque aliâ vice illac transiens simile quid sentiat, ab eadem manu in bonam partem recipit. Pari modo nobis agendum, infirmitate percussus es, filius moritur, aliquod succedit infortunium, impatienter conquereris, & indignaris? non ita procedendum, nam manus Angelica hunc ictum tibi intulit, ut oculos, & mentem ad Deum elevares, & à terrenis ad cælestia contemplanda te dares. Non pro injuria ergò, sed favore hoc recipiendum, licèt quoque non videas pulchritudinem Angelicam, si tamen rectè aspicias, divinam pulchritudinem clarè intueberis; cognosces nimirum, providentiam divinam quæ te à transitoriis ad æterna elevare cupit; eoque modo consolari poteris. Simile quid S. Paulo accidit, qui superbiâ inflatus, eques persequebatur Christianos, quando ictu de cælo tactus, & ex equo dejectus, in terram decidit. Sed quid? an indignatus fuit vel conquestus? expetivítne vindictam? Quin imò pro favore, & ingenti beneficio illud recepit, dicens: *Domine quid me*

A benigna manu Dei recipienda.

Act. 9. 6.

Affligen... bus non ... dignand...

me vis facere? Considerabat manum unde ictus ille veniebat; & audivit; *Ego sum Iesus quem tu persequeris*, quâ pulchritudine divinâ apparente; omni furore deposito, se humile mancipium præbuit.

Affligentibus non indignandum. 47. Nec sufficit patienter tribulationes sufferre, sed ne quidem malè judicandos, aut odio habendos ejus ministros. Si enim officium boni Angeli custodis exhibent, quare indignaris? Quare mala de iis concipis? Legati gentium, licèt à personis inimicis veniant, aut mala deferant nuntia, honore tamen excipi solent, & malè agit illos offendens; unde dici solet, legatum non pœnam luere. Angelus autem numquid legatus est; quid ergò illum persequeris? Legatus quippe de cælis utilissima tibi à Deo documenta adfert, ut pœnitentiam agas, pro peccatis, ut vitam emendes, ut pravas consuetudines deseras, ut te morti vicinum cogites. Commissio aliquantulum amara, & fastidiosa mundanis; sed maximæ utilitatis, ideoque illam annuntians, non solùm debet pœnam luere, sed summas referre gratias. Quod agendo, non tantùm rem gratam Angelis, verùm etiam Deo exhibemus, à quo pariter vitæ æternæ mercedem pro tanto beneficio consequemur, quam nobis concedere dignetur. AMEN.



DISCVRSVS XVI.

An inter tribulationum nostrarum causas, Dæmones annumerandi; & ne illis occasionem gloriandi præbeamus, tribulationes patienter, & hilariter sunt perferendæ.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

De natura, & potentia diaboli. primis 5. num.
Non videtur tribulationis minister dicendus; à nu. 6. usque ad 18.
Maximè nos affligit. à num. 19. usque ad 23.
Deus ad patientiam bonorum illud permittit. nu. 24. 25. 26.
Variis modis crudelissimè nos torquet. à nu. 27. usque ad 33.
Argumentis contrariis respondetur. à num. 34. usque ad 39.
Tribulationes Dei adjutorio patienter & gaudenter tolerandæ, & proximo persequenti compatiendum. à n. 40. usque ad finem.

1.  Præcedenti discursu Angelorum, ad hunc de dæmonibus descendendo, magnum videmur conficere iter, vel potiùs præcipitosum committere saltum, dum à paradiso ad infernum; à beatis ad condemnatos; à nostris custodibus, & defensoribus; ad capitales inimicos; à clarissimâ luce, ad obscurissimas tenebras; ab Angelis denique ad dæmones transimus. Quem per hoc extraneum iter ducem reperiemus? Sensus indagatores intellectus esse solent, ut quasi canes venatici, sagacitate præditi, per condensas rerum sensibilium, silvas mentis objecta conquirant, eaque intellectui offerant. Qui ut astutus præscisor pellem materialium accidentium fervido discursu auferens, animo nostro lautum præparat cibum. *Operationes dæmonum cognitu difficiles.* Hic tamen sensus locum non habet, cùm de substantiis spiritualibus à materiâ remotis disseramus. Si quoque dicas ab operationibus illorum cognosci posse, prout Deus cognoscitur; respondeo opera Dei clara & manifesta sunt, quia, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiant firmamentum.* Psal. 18. 2. Beatorum autem spirituum, occulta, & abscondita; unde

unde per Ezechielem dicitur; *Manus hominis sub pennis eorum*; quia pennæ illæ quæ substantiam eorum cooperiunt, tegunt quoque opera; spiritualis insuper illorum natura, quâ in altum elati, ab oculis nostris quantum ad esse separantur; efficit ut etiam quoad operationem occulti sint. Quod si difficulter adeò beatissimi ac luminosi spiritus, Angeli, inquam, boni cognoscantur; Quid erit de malis & tenebrosis?

Ezech. 10. 8

Quid fides de dæmonibus doceat?

2. Philosophorum facilè princeps Aristoteles, ut certè conjici potest, opinionem quandam bonorum spirituum ab ipso intelligentias dictorum, & ad volutionem orbium cælestium destinatorum habuisse videtur. De malignis autem, numquam vel substantiam, vel nomen attigisse invenitur. Si quoque à gentilibus quidpiam relatum fuit, somniando potiùs, quàm discurrendo, aut speculando dictum fuit. Fides tamen de illis nobis multa indicat, quòd nimirum sint tales per malitiam, non per naturam; cumque in cælo à Deo pulcherrimi creati essent; ut rebelles ejecti, æternis suppliciis condemnati fuerunt; superbos insuper, & invidiosos esse, & cætera, quæ modò proposito nostro non conducunt. Quod autem nobis hîc inquirendum est, an inter varias tribulationis nostræ causas, ipsi quoque numerandi sint. Ad hoc, meo judicio, nullum conveniens exstat remedium, quàm modum tenere, quo in præcedenti lectione usi sumus. Considerando nimirum, si nocere possint, si conveniens sit, si Deus hoc illis permittat, & si nocere cupiant.

An dæmones nocere possint?

3. Quantum ergo ad potentiam, certum est eadem virtute Angelos malos, quàm bonos ditatos esse; cùm omnes sint in eadem natura generica, & fortè specifica ut probabile esse multi credunt. Particularis tamen est ratio credendi, Angelos malos nullam habere vim nos affligendi. Ab inimico siquidem in carcere catenis, & vinculis constricto, quis timebit? Talis modò est conditio spirituum malignorum; in carcere infernali strictè conclusi sunt, & catenis fortioribus, quàm ferro ligati; id rectè testante S. Petro Apostolo; *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* 2. Petr. 2. 4
Conformiter ad hoc S. Juda Apostolo dicente; *Angelos qui non servaverunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Epist. Judæ 6.
Quis ergò de illis timere poterit, aut dicere nostrarum tribulationum causas esse. Ideoque à S. Augustino diabolus meritò assimulatus cani feroci, & famelico, sed vinculis constricto, qui inquit; *Latrare potest, mordere,*

Instar canis ligati est.

mordere, non potest: S. Jeronymus quoque idem confirmat, exemplo Salvatoris, cui diabolus quidem persuadere conabatur, sed manum extendere & præceps dejicere nequibat: *persuadere potest*, inquit, *præcipitare non potest*. Unde rectè dixit S.
Job 40. 13. Job; *Ossa ejus velut fistulæ æris*; tota videlicet fortitudo ejus in persuasione consistit, in aliquibus rationibus apparentibus; sed à seipso te trahere, aut cogere non potest: sicut fistulâ dulcitet canente aves decipiuntur.

Diabolus vim nocendi non habet.

4. Quam creditis fuisse causam cur magi Pharaonis Moysen in productione serpentum, & mutatione aquæ imitati, non poterant parvas muscas, aut culices producere? Si majora animalia producere poterant, cur non minora? Gratiosè ad hoc respondet Rupertus Abbas; serpentes à magis Ægyptiacis producti, mordere, aut veneno inficere non poterant; imò ipsi à serpente Moysis devorabantur, & solùm poterant se paululum exhibere videndos, & terrorem ignavis incutere; Muscæ autem, sive culices, mordere debebant, & aculeo homines configere; quod dæmones efficere non valuerunt, cùm ne quidem vim ullam pungendi habeant; cogita ergò si tribulationes immittere possunt. Si enim quandoque se dicant mala inferre, est propter malignum eorum desiderium potiùs, quàm propter operationem. *Ille homicida erat* Joan. 8. 44.
ab initio, dictum est de diabolo. Sed quomodo? An quia occiderat aliquem? non, sed quia mortem desiderabat. Hoc clarè colligitur ex sequentibus verbis; *Et vos desideria patris vestri vultis perficere*; Non dicit vultis imitari facta, sed desideria. Sed quæ desideria? illa de quibus paulò antè dixerat; *Ille homicida erat ab initio*; ita ut non alio modo quàm desiderio, homicida fuit; ille formabat, & disponebat, homo autem ad perfectionem, & praxim reducebat. Optimè de hoc inquit S. Joannes Chrysostomus; *Diabolus pedes non habet, ne formides, nec alas, ne terreare, super terram ut serpens trahitur*: Quomodo creditis illum Evam vicisse? non alio modo, quàm verbis; *Serpens callidior erat cunctis animantibus terræ, qui dixit ad mulierem*: Linguâ solummodo utebatur, nec venenum illa infundebat, sed verba proferebat.

Solo desiderio malignus.

Chrysost. homil. 8.

Gen. 3. 1.

5. Si quoque ante adventum Christi adeò impotens erat, qualis modò erit, dum Christus illi omnia arma abstulit, & caput confregit, juxta illud Gen. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ipsa conteret caput tuum*? De serpente refertur, illum totum corpus exponere, ut caput salvet, scit enim ab hoc omnem vitam suam dependere; si ergò anti-

Caput ejus à Christo confractum.

Gen. 3. 15.

quo

quo huic serpenti caput confractum est, quomodo nocere poterit, aut de quo nobis timendum? Dices fortassis idem Dominus qui arma abstulit, potest vires contra nos tribuere. Non hoc tamen credendum; quis enim pater armaret inimicum, contra proprium filium? Diabolus maximus noster inimicus, & sanguinem nostrum valde sitit, ut notat S. Joannes Chrysostomus supra locum illum Matthæi 8. ubi dicit Christum permisisse idcirco diabolos in porcos intrare, illosque submergere, *Vt intelligeres quòd eadem facturus esset hominibus, statim enim præfocassent eos, si Deus permisisset illis uti propriâ voluntate.* (Chrysost. orat. 5. contra Judæos.) E contrà Deus verus pater noster est; *Abraham nescivit nos,* inquit Isaias, *tu Pater noster.* (Isai. 63. 16.) Quasi diceret, Abraham dicitur esse Pater noster, sed si tecum comparetur; non tantùm hoc nomen perdit, verùm non meretur nos cognosci, ubi tu verè Pater noster es. Si inter nos ergò nullus reperitur Pater qui filium in manus dæmonis traderet; quomodo credendum est, amantissimum Patrem cælestem id effecturum nobiscum?

Non videtur tribulationis minister.

6. Numquid insuper diximus ministros tribulationum nostrarum Angelos esse? Quomodo ergò idem officium dæmonibus concedemus? *Quæ societas luci ad tenebras,* inquit S. (2. Cor. 6. 15.) Paulus? An hi negligentes, aut impotentes sunt, ut alieno auxilio indigeant? vel oportet sub eodem vexillo, Angelos bonos, & malos, inimicos, & amicos esse? Si inter se continuò pugnent, quomodo simul uniti poterunt contra hominem? Si omnibus sunt contrarii, quomodo solùm in tribulatione inferenda convenient? Quin imò quomodo hoc Salvator sufferre posset, qui venit in hunc mundum, *Vt dissolvat opera diaboli?* (1. Joan. 3. 8.) Quomodo ergò contra nos præbebit auxilium? Melius est opus impedire, quàm destruere factum, si ergò Salvator destruit opera diaboli, melius est ut impediat ne denuò operetur. Adjungamus insuper, Salvatori maximè displicere, ut ab uno malo puniatur alter malus, ut demonstravit in punitione adulteræ cùm accusatoribus dixerit; *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat:* (Joan. 8. 7.) quasi diceret: manus non innocens, non debet castigare nocentem; nec alium punire debet, qui ejusdem pœnæ reus est. Quis autem ignorat diabolum omnes in malitia excedere? non ergò credendum Deum permittere ut alios puniat.

Iners, & pavidus est.

7. Licèt quoque fortitudine valeret, audaciâ non prævalet, quia summè timidus est: sunt aliqui qui se generosos fingunt, dum nullus se opponit; si tamen de-

de facto se quis opponat, subitò terga vertunt, & fugiunt. Talem dicite diabolum esse, generosum se ostendit, & minatur, resistendo tamen, & non curando continuò fugatur. Hoc optimè docuit S. Jacobus Apo-
Jacob. 4. 7. stolus, dicens: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*; non dicit oppugnate, & vulnerate illum, sed solummodo resistite, & fugiet. Aliquem fugere dum arma offensiva videt, v. g. scutum, quod nemini nocere potest, sed tantùm defendere, nescio an contigerit. Dæmon adeò pavidus ut statim fugiat; *Resistite*, inquit, *resistere*, ad arma defensiva pertinet, ad scutum nempe, & diabolus illo viso, subitò fugam arripit. Clariùs idem probat Apostolus, docens quo scuto nobis utendum; *In omnibus*, inquit, *sumentes scutum fidei*; & S. Pe- (Ad Ephes. 6. 16.)
1. Petr. 5. 9. trus, *cui resistite fortes in fide*; Hoc scuto sinceræ fidei, diabolo monstrato, subitò ut ignavus fugiet à vobis; S. Augustinus quoque diabolum parvi pendens optimè ait: *Quam virtutem habere intelligendus est, qui solus potest non resistentibus prævalere.* (S. August. lib. de natur. & gratia.)

8. Dum timidum describere cupimus, dicimus illum colore variari, & Aristoteles ait, Chamæleontem ideò colorem mutare, quia timidus est. Diabolus adeò timidus est, ut semper colorem mutet; modò sanguineus
Apoc. 12. 3. apparet; *Ecce draco rufus*; modò obscurus, *Adversùs principes tenebrarum harum*; modò pallidus, (ad Ephes. 6. 12.) *Ecce equus pallidus, & qui sedebat super illum, nomen illi mors*, per (Apoc. 6. 8.) hunc siquidem equum portantem mortem in mundum, diabolus intelligitur: *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum.* (Sap. 2. 24.) Quàm sæpe colore mutatur? pavidus ergò est, & potentiam suam agnoscit; nec consequenter nostrarum tribulationum potest esse causa.

Licèt posset, non vellet affligere.

9. Dico insuper, licèt posset, non vellet tamen affligere; non enim adeò fatuus est, ut finem aliquem desiderando, mediis contrariis utatur, quid enim à nobis diabolus prætendit, quis finis ejus, nisi ut cogat nos perdere cælum? Invidiâ siquidem ita stimulatur, ut non vellet hominem iis bonis uti, quibus ipse suâ culpâ privatus est. Unde rectè aiebat doctor Gentium, pugnandum nobis esse; *Contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*: (ad Ephes. 6. 12.) contra spiritus malignos in cælis, aut in corporibus cælestibus; sed quomodo in cælis? an dæmon nos expectat tentare donec sumus in cælo? Certè non, nam semel in cælo existentes, ab omni impugnatione & tentatione liberi erimus; illa siquidem felix habitatio, Jerusalem dicta est, visio nempe pacis, aut civitas pacis. Non describit ergò his verbis Apostolus, pugnam, sed præmium; non locum

cum certaminis, sed coronam; non medium, sed finem; ut tantum sit dicere *in cælestibus*, quantum, *pro cælestibus*; ita S. Joannes Chrysostomus in hunc locum; *Illud enim in cælestibus*, inquit, *idem est, ac pro cælestibus, non ut spiritus mali si vicerint, aliquid rerum cælestium consequantur, sed ut nos illic spolient.* Eodem modo S. Anselmus exponit dicens; *In cælestibus pugnant contra nos, id est pro cælesti hæreditate.* Sed quis nescit tribulationem rectam viam esse, & securam, ut nos ad cælum ducat? *Per multas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei.* Et credes diabolum adeò stolidum, ut volens te privare regno cælorum; conducat te ad viam regiam quâ facillimè illac pervenire posses? Nolens nos paradisum assequi, dabítne pretium in manibus nostris, ut illud emamus? An arma subministrabit, quibus acquirere possimus? Si hoc foret, non mereretur ampliùs nomen astutissimi serpentis, sed simplicis pecoris, aut stolidi animalis.

Chrysost. hom. 22. in epist. ad Ephes.

Act. 14. 21.

Diabolus terrena offert, ut æternis privet.

10. Quid ergo efficit ut nos æternis bonis privet? offert hæc bona transitoria, & caduca, umbrâ nos retinet, ut veritatem non possideamus; lutum terrenarum rerum porrigit, ut aurum cæleste auferat. Ita S. Joannes Chrysost. optimè notat, dicens: *Adhuc præsentibus inhiamus, neque diaboli versutias cogitamus, qui per parva, magnis spoliat, & lutum præbet, ut aurum rapiat, imò magis auferat cælum; & umbram prætendit ut à veritate nos extrudat, & in somniis phantasias ostendit, hoc enim sunt præsentes divitiæ, ut cùm illuxerit, omnibus pauperiores exhibeat.* Ante hunc quoque Sapiens affirmabat, homines instar piscium capi, per hamum escâ coopertum; *Sicut pisces capiuntur hamo, sic homines in tempore malo.* Si dæmon ergò nos privaret bonis temporalibus, & delitiis, ut stolidus piscator foret, qui escam ab hamo tolleret; sic ipse nobis tribulationem inferendo, ut piscator esset qui plurimos capere pisces prætendens, aquam continuò moveret, ut pisces aufugerent.

Hom. 35. ad popul. Antioch.

Ecclesiast. c. 12.

11. Procurat ergò nos offendere, sed in anima, non in corpore, in bonis spiritualibus, non in temporalibus, virtute, & fortitudine nos privans, non deliciis. Magna est differentia inter ignem hîc generatum, & fulgur de cælis descendens; licèt enim ambo splendeant, & comburent, noster tamen videtur instar lupi famelici esse, qui omnia reperta devorat; sed ignis fulguris, quasi ratione, & discursu ditatus, meliora seligere videtur; nunc medullam comedit cortice intactâ; nunc ovum exsorbet testâ integrâ relictâ; unam cibi partem devorat, aliâ non gustatâ; animam viventibus

In anima non in corpore nocere studet.

bus aufert, nullâ cicatrice illatâ, aut vulnere inflicto; vinum dolio intacto exsiccat; ferrum gladii, & pecuniam bursæ liquefacit vaginâ, & bursâ illæsâ. Diaboli dici possunt omninò igniti, similes serpentibus de quibus di-
Num.21.6. ctum est; *Misit in populum ignitos serpentes.* Sed de quo igne hoc intelligendum? De nostro igne? minimè, sed de igne fulguris, ita testante Salvatore nostro; *Videbam sathanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Quando ergò hoc fulgur nos percutit, nil curandum de cortice carnis, de operimento pellis, de vili panno nostræ fragilitatis; sed de medulla interiore, de pretioso thesauro animæ, de gladio conscientiæ, cumque tribulationes sint contrariæ naturæ, quia affligendo carnem benefaciunt animæ, verisimile non est de illis valere diabolum, sed illas fugere, & à nobis propulsare quantũ potest.

Diabolus fulguri similis. Luc.10, 18.

12. Hinc Aspis surda vocatur; *Super Aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem*; Dicunt Naturalistæ Aspidis venenum mortale esse, plus quàm aliorum serpentum; sed insolito modo, sine dolore mortem adferre; sine vulnere, in carne, imò somnum suavem inducendo. Ita Plutarchus in vita Marci Antonii refert Cleopatram morsu Aspidis mortuam fuisse, quasi dormiendo, & corpus adeò pulchrum, & integrum apparuisse, quasi profundo somno oppressum fuisset. Pari modo credendum est diabolum veneno corpora inficere, & mortem adferre, nullum dolorem, vel afflictionem inferendo; sed sensus in fallacem somnum deliciarum conducendo. Non ergò tribulationum nostrarum causa est.

Psal. 90.13. *Instar aspidis surda est.* Plutarch. in vita Marci Antonii.

13. S. Propheta Job aliâ similitudine insigni, eandem conditionem satanæ explicat, dicens: *Ædificavit sicut Tinea domum suam*; Sed cur instar Tineæ valde debilis? nónne melius assimularetur Leoni, Tigri, vel Lupo? sine dubio diabolus feritatem horum animalium habet, in modo tamen nocendi, se instar Tineæ gerit. Leones, Tigres, Lupi, deforis te assultant, pellem disrumpunt, carnem dilacerant, sicque ad partes interiores evadunt, & hominem occidunt; Tinea è contra à partibus interioribus incipit, radit, & te ligni instar intus consumit, medullam aufert, & omnem fortitudinem intus adhibet; licèt externâ apparentiâ videaris pulcher ut ante. Pari modo diabolus, non curat nos externis bonis spoliare; sed intus corrodit, gratiâ divinâ privat, fortitudine spiritus evacuat, vitam animæ tollit, omnemque virtutem consumit, corpus pulchrius, & sanius relinquens quàm umquam fuerat.

Job.27.18. *Vt Tinea est.* *Intus corrodit.*

14. Sed

Cur dicatur ædificare? 14. Sed quomodo dicitur *ædificavit*, valde diversum est ædificare, & destruere; Tinea destruit, & consumit, quando ergò dicitur ædificare? Respondeo, non semper ædificari adjungendo, sed quandoque auferendo. Si enim cubiculum intra terram ędificare cupis, quomodo agis? Absque dubio ligonibus terram ejiciendo, sicque remanet cubiculum formatum; si autem supra terram ædificare cupis, oportet te lapidem lapidi adjungere, sicque ædificium erigere. Hinc alia sequitur differentia, quod ædificia subterranea, quantò sunt majora, tantò sunt profundiora, & viciniora centro; illa autem quæ supra terram, quantò sunt altiora, tantò magis cælo appropinquant. Hinc patet differentia inter ædificium Dei, & diaboli; ambo intra nos fabricare nituntur. Deus vult nos esse suum tem-
1.Cor.3.17 plum; *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*; dæmon habitationem suam in nobis figere desi-
Luc.11.24. derat; *Revertar*, inquit, *in domum meam unde exivi*; in hominem videlicet unde exivi, ambo æquè fabricant ut quietè maneant; sed quomodo? Deus adjungendo, nunc unam virtutem, nunc alteram, nunc humilitatem donat, nunc charitate nos implet, postea fortitudinem adjungit, & gratiam gratiæ addit; Dæmon autem ædificat auferendo, nunc cognitionem intellectus, nunc timorem Dei, nunc pudorem, &c. ut tinea, quæ domum rodendo, & auferendo ædificat.

Diabolus ut tinea ædificat.

15. Quantò insuper Deus ulteriùs fabricat, tantò magis te versus cælum erigit; *Ædificavit* Psal.77.69.
sicut unicornium sanctificium suum in terra; Ædificavit templum suũ sicut cornu Rhinocerotis, quod alias partes corporis excedit: unde alii ex Hebræo traduxerunt; *Sicut excelsa*. Dæmon quantò magis ædificat, tantò vicinior fit inferno; *Viæ inferi domus ejus*, Prov.7.27.
penetrantes interiora mortis: dicit in Proverbiis Sapiens, quod licèt litteraliter intelligatur de muliere mala; proposito tamen nostro inservit, quia domus mulieris impudicæ, & diaboli eadem est. Ut autem proposito nostro illud accommodemus, numquam advertistis, quod sub terra fabricantes, quantò plus intus auferunt, tantò magis foris adjungunt; ita eodem tempore ædificant muros civitatis, & munitiones, terrâ siquidem è fossis ejectâ, & simul coagulatâ, fortificationes efficiunt. Idem diabolus efficit, intus accipit, & foris adjungit, tollit orationem ab anima, & murmurationem linguæ adjungit; tollit habitum virtutis, & ornamentum animæ, & foris corpus pulchriori veste superbè adornat; tollit cibum SS. Sacramentorum, animæ, & corpus superfluis onerat

Bona animæ auferens, corpori tribuit.

 cibis,

cibis; animam thesauro meritorum intus spoliat, & corpus cumulo divitiarum & temporalibus bonis exteriùs ditat; quasi diceret, tollit ea quæ mortificationem, dolorem, & tribulationem adferunt; & adfert ea quæ divitias, delitias, & voluptates conferunt: vide ergò si dici possit, ipsum tribulationis nostræ causam esse.

Quomodo diabolus nos tentat.

16. Officium insuper diaboli est tentare; *Acceßit tentator*; sed quomodo nos tentat? per tribulationes? Non, sed per voluptates, & promissione delectabilium objectorum. (Matth. 14.) De hoc habemus Salvatoris exemplum, qui à diabolo in deserto tentatus fuit, sed quomodo? percutiendo, & affligendo? Non, sed modò offerendo cibum, modò occasionem exhibendo miracula patrandi, modò possessionem mundi promittendo. Dices, has tentationes diabolum nobis non exhibere; quinimò dico ego, S. Paulus dixit, (ad Hebr. 2. 17.) Christum fuisse tentatum per omnia, omnes ergò tentationes ad has sunt reducendæ, nec ulla tribulationis tentatio adest; dicendum ergò per tribulationem satanam nos non tentare; quia numquam aliquid per tentationem adducit, quod posset esse occasio tribulationis. Prædicta confirmantur, quare Zacharias vidit diabolum, (Zach. 3. 1.) *à dextris* JESV *Sacerdotis*; quia inquit Nicetas in prima oratione S. Gregorii Nazianzeni, offendit res bonas & dextras, non malas & sinistras, spirituales, non autem temporales.

Diabolus astutè nos vexat.

17. Idem denique ratione belli demonstrari potest, cujus satan expertissimus est, cùm à principio mundi bellum movere cœperit. Artis militaris regula est, vires inimici separandas esse quantum fieri potest; *Quia omne regnum in se divisum, desolabitur*; (Luc. 11. 7.) hinc astutorum militum modus erat, nullum damnum inferre inimicis, ut invidiam inter illos concitent. Ita Hannibal ferro, & igne Italiam devastans, possessiones Fabii Maximi intactas relinquebat, ut senatui suspectum redderet, efficeretque ut illi auctoritas præcipiendi tolleretur. Marcius Coriolanus, ut populum à nobilibus segregatum teneret, devastabat possessiones nobilium, non autem aliorum.

Vires nostras separat.

18. Magis tamen omnibus aliis hoc stratagemate uti novit diabolus; scit enim dum anima, & corpus, potentia intellectiva, & sensitiva, simul unitæ erunt, contra illum, semper vincent. Unde David precabatur Deum ut vires cordis sui, unitas conservaret; *Vni Domine cor meum ut timeat nomen tuum*, (Psal. 85. 11.) ita Hebræus textus refert, ubi nos dicimus: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum*, quasi diceret, unitum sit

cor

cor meum, nec ulla sit dissensio inter meas potentias, & nullam habebo occasionem timendi, nisi te solum, ut ergò disuniat, quid efficit diabolus? cum sola anima pugnat, carnem verò in pace relinquit. Nec tantùm dissensionem efficit, verùm etiam carnem contra animam secum trahit, ipsamque à flagello tribulationis in quantum potest securam reddit. Propheta Isaias hoc pactum illorum refert, dum homines carnales dicentes adducit: *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum,* (Isa. 28. 15.) quid inde sequetur? *Flagellum inundans, cùm transierit, non veniet super nos.* (Ibid.) Liberi erimus à tribulatione, & infirmitate, non ergò diabolus nobis illam adfert.

Diabolus maximè nos affligit.

19. Tali modo in favorem contrariæ partis argumentari possemus, & facilè huic opinioni subscriberem; nisi auctoritas sacræ scripturæ apertissimè contrariæ parti faveret. Quis enim ignorat diabolum S. Job maximè afflixisse, facultates, filios, sanitatem auferendo, & innumeris doloribus illum replendo? Quis non legit, vel audivit historiam Tobiæ, in quo refertur, diabolum septem maritos Saræ occidisse, ipsique maximam tribulationem attulisse. Quis ex historia Evangelica non collegit dæmones corpora humana introisse, illaque summopere cruciasse juxta dictum Chananeæ: *Filia mea malè à dæmonio vexatur?* (Matt. 15. 22.) Quis etiam experientiâ quotidianâ idem apertè non probavit? An rationes hujus rei desideras? non illis deest voluntas, nec potentia, nec permissio divina; nec auxilium ex parte nostra, quid amplius desiderari potest, ut effectus succedat?

Tyrannicè cunctos vexat.

20. Potentiam non deesse probatur, quia princeps potest subditos suos castigare dum vult; Dæmon autem est princeps hujus mundi; teste Salvatore nostro; *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* (Ioan. 12. 31.) Si verò dicas tempus ejus expirasse per adventum Salvatoris, respondeo finitum fuisse, in pluribus, sed non in omnibus; cum Dominium in plures exerceat, qui Christum pro Domino agnoscere nolunt: ita ut potiùs tyrannus quàm princeps sit dicendus. Quis autem ignorat tyrannos magis quàm veros principes populum affligere? idem ergo de diabolo versus subditos suos dicendum. Peccatores verò non tantùm subditi diaboli, verùm etiam jumenta sunt. Non parva est differentia inter jumentum & subditum; quia in subditos non potest Dominus absolutũ exercere Dominium, sed debet quoque illorum jura, & terminos justitiæ observare, non enim Dominus absolutus personarum: unde Job dicebat; *Si contempsi judicium subire, cum* (Iob 31. 13.)

Peccatores ut jumenta æstimat.

servo meo. Sed in jumentum liberam, & absolutam habet potestatem; potest percutere, vulnerare, occidere, nemini rationem reddere tenetur, quia Dominus ejus est. Quale ergò dominium credis diabolum in peccatores habere? prout Dominus in jumentum habet: non mea hæc inventio aut sententia, sed S. Angeli Raphaelis, qui juniori Tobiæ explicans quare diabolus potestatem in illos habuerat dicebat: *Hi qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacant, ut equus, & mulus quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Si ergo peccator est equus, supra quem dæmonium potestatem exercet; dici potest, esse equum, & mulum diaboli; ita ut eandem potestatem in illum habeat Dominus in jumentum suum.

Tobiæ 6. 17.

Peccatores sunt cibus diaboli.

21. Parum dixi, quia his quoque jumentis aliqualis respectus haberi solet, ut labori sufferendo sufficiant. Quid ergò dicemus peccatorem respectu diaboli esse? Cibus ejus dicendus videtur, quia illius nullus miseretur, unusquisq; illum dentibus comminuit, scindit, frangit, & deglutit; ita ut ex sua destructione gustum capiat. Hac similitudine uti solebat Propheta David, ut tribulationes, & persecutiones populi sui explicaret; *Devorant,* inquit, *plebem meam sicut escam panis;* & alibi, *Dedisti nos tamquam oves escarum.* Cibum ergò diaboli dicite peccatores esse; sic S. Gregorius explicat illum locum Genesis, *Terram comedes,* quod serpenti dictum fuit, vel potiùs diabolo in forma serpentis; *Antiquus hostis,* inquit S. Gregorius, *terram comedit, quia peccatores quosque in ventre suæ malitiæ abscondit;* cogita ergò quomodo peccator sub crudelibus dentibus Luciferi commorari debet.

Psal. 13. 4. Psal. 43. 12. Gen. 3. 14. S. Greg. in psal. 4. pœnitent.

Diabolus inimicus crudelis.

22. Quid dicam de gustu quem in afflictione sentit? Magna est differentia inter inimicum ex odio pugnantem, & alium pro honore certantem; qui pro honore, victoriâ obtentâ non aliud curat, & dedecus æstimat in victos sævire, nec cadaveribus mortuis honorem debitum negat. Qui ex odio, non satiatur morte inimici, sed in cadaver quandoque insurgere, nec ullum ipsi honorem, aut quietem tribuere solet. Talis inimicus diabolus est, ideoq; nō sufficit illi animam per peccatum occidere, verùm etiam in corpus sævit, nec umquam affligendo cessat. De impio S. Job dicebat: *Ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit, dulcis fuit glareis cocyti;* Quando cadaver ejus in sepulchro collocatum fuit inter ossa mortuorum, dulce erit arenis cocyti. Quæ autem Arenæ sunt istæ, quibus

Iob 21. 33.

quibus dulce videtur cadaver putridum? Quis umquam audivit arenas sensu præditas esse,& gustare cibum? Quod cadaver illis dulce videri potest? An per has arenas cocyti, fictus ille fluvius à gentilibus repræsentatus, qui inferno proximus est, & in arena dæmones figurantur, propter multitudinem illorum; quia culpis aggravati, & operibus bonis infœcundi, ut arenæ? His cadavera impiorum dulcia sunt, non quia rebus corporeis frui possint, sed quia tanto odio mortalium accenduntur, ut videntes illos inceneritos, & à vermibus comestos, tantum illis gustum adferant, quàm lautissimum convivium.

Maligna diaboli voluntas.

23. Hanc malignam dæmonum in nos voluntatem, acutè notat S. Petrus Chrysologus, sermone supra parabolam de zizania, ubi inquirit, quod lucrum habere poterat ex zizania seminata? & concludit quòd nullum, non enim seminat ut colligat, sed quis vidit seminantem sine spe fructus colligendi? *Debet in spe, qui arat, arare*: inquit Apostolus, spe nempe fructuum debet terram colere. Verum quidem est inter homines hoc insolitum; sed odium diaboli erga nos ad talem pervenit terminum, ut sine ullo fructu damnum inferat, & ingens lucrum, nostram perditionem æstimat. Sic ergò inquit S. Petrus

1. Cor. 9. 10.

Chrysologus; *Ut quid inimicus homo hoc fecit? ut periret dominica messis, & hoc ad lucrum quid pertinet inimici? Invidiæ spiritus hominum damna, suum computat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc se existimat, acquisisse.* Alibi quoque idem sanctus considerat, adeò illum mortem nostram sitire, ut vitam auferre non valens, vivos sepelire procuret, idcircò de dæmoniaco apud S. Marcum inquit: *Cur domicilium habebat in monumentis?* & rationem reddens ait: *Et humanæ necis avidus, quos crudelitate suâ occidere non potest, vivos gestat feraliter funerare.* Nec ergò voluntas, nec potentia deest.

Chrysol. sermon. de zizania.

Chrysol. serm. 17.

An deceat diabolos castigare malos?

24. Quid autem de permissione divina dicemus? conveniénsne videtur, ut dæmones inimicos suos in nos adeò crudeliter sævire permittat? Respondeo illos considerari posse, ut ministros tribulationis bonorum, & malorum; nec umquam convenientia deest. Si de malis agamus; An ignoratis, quod ad malefactores, & personas viles castigandos quandoque mali, & castigandi, destinentur? ita quandoque pluribus ad mortem condemnatis uni pœna infligenda differtur, ut alios castiget. Non aliter cum dæmonibus actum, cùm omnes ad infernum sint condemnati, aliquos Deus hic in aëre permittit, ut ministri sint justitiæ divinæ, & rebelles

 suos

suos castigent. In quo divina sapientia non modicum resplendet, quæ inimicis suis in ministerium castigationis suorum inimicorum assumere novit. Justitia quoque relucet, efficit enim illos quos homines Deo suo derelicto secuti fuerant; modò eorum esse tortores; ut hinc errorem suum & insaniam agnoscant, quòd optimo domino derelicto alteri crudeli, & immiti adhæserint: in quo pariter misericordia ejus refulget.

Bonorum patientia per diabolos coronatur.

25. Quantum ad bonos autem, quis non videt hinc mirabiliter accrescere illorum gloriam & honorem? cùm à crudelissimis inimicis afflicti, per patientiam tamen nobilissimam referant victoriam? Non est magna probatio Adamantis, quod ab aurifice percutiatur; potest siquidem quis credere, quod dulciter, & artificiosè percusserit, ne rumperetur. Si verò inimicorum exponatur incudi, in qua fortissimis brachiis iteratorum malleorum ictibus, voluntate rumpendi adjuncta, fortiter percussus, integer persistat; quis nescit mirabilem ejus virtutem, & ingens pretium tunc clarè patere? Pari modo si solus Deus aut Angeli ejus tribulationibus bonos probarent; facile quis suspicari posset, dulciter cum illis agi, & fortitudinem illorum Dei potiùs benignitati, & dexteritati in probando, quàm illorum virtuti adscribendam? Quid ergò agit Deus? ictibus malleorum diaboli, gigantis ferocissimi eos exponit; qui omnibus viribus illos tentans, & affligens, non tamen disrumpere, aut emollire potest, quinimò fortiores reddit. Quis ergò non confitebitur fortitudinem, & virtutem illorum admirabilem esse.

26. Talis Adamas S. Job fuit, de quo Deus diabolo dixit: *Ecce in manu tua est*, percute, rumpe si potes, & videbis quàm fortis & constans sit. Unde meritò à S. Joanne Chrysostomo statua aurea, & gemmis ornata dicitur: *Fingite*, inquit, *vobis auream illam effigiem, gemmatam, non tam splendido rex solio sedet, quàm tunc insignis ille, clarusque in stercore sedebat:* & Origenes in persona Job diabolo dicit: *Quamdiu tu percutis, ego sustineo.* Quasi diceret, non alio modo nobis pugnandum, quàm tu percutiendo, & ego sustinendo; primò tu fatigaberis percutiendo, quàm ego sustinendo; major in me erit patientia, quàm in te crudelitas; mea perseverantia, tuam vincet obstinationem. Optimè ergò inquit S. Gregorius diabolum maximum habere desiderium nocendi, sed nihil illum posse, nisi Deo permittente; licèt quoque voluntas ejus maligna sit, permissio tamen divina bona est: *Satanæ voluntas*, inquit, *semper*

S. Iob fortis ut Adamas.

S. Joan. Chrysost. serm. 35. de patientia.

Origenes lib. 2. in Iob.

S. Gregor. lib. 2. moral. cap. 6.

semper iniqua est, sed numquam potestas injusta, quia à semetipso voluntatem habet, sed à Domino potestatem; quod enim facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non nisi justè permittit. Probat autem prædicta ex libris Regum, ubi dicitur, quòd spiritus malignus Domini torquebat Saulem; mirum autem videtur illum vocari spiritum Domini, qui optimus est, & tamen malignus dicitur; & respondet vocari spiritum Domini, propter potestatem, & licentiam quam à Domino acceperat, & malignum propter perversam voluntatem. *Vnus idemque spiritus*, inquit, *& Domini appellatur, & malus, Domini videlicet per licentiam potestatis justæ; malus autem, per desiderium voluntatis injustæ.*

Diaboli voluntas semper maligna.

S. Gregor. ubi suprà.

27. Sed quomodo infligit dæmon calamitates? mille artes, & mille modos nocendi habet, ut inquiebat Poëta; *Tibi nomina mille, mille nocendi artes.* Nunc humores commovendo infirmitates causat; nunc phantasma perturbando, imaginativam terret potentiam; nunc membro aliquo abutendo, sensu aliquo privat; nunc corporeo utens instrumento, tantas malorum species in nobis causat, quantas ab omnibus creaturis pati possemus. Commovet ventos, turbat mare, accendit fulgura, terræ motus excitat, ferro vulnerat, lapidibus obruit, feris dilaniat, & mille aliis modis offendit, dum illi à divina providentia concessum est. Quod eheu nimis norunt, viri & mulieres, diaboli operâ utentes, aut illi inservientes; qui pestis sunt humani generis, & diabolo pejores, qui maleficiis attendentes, diabolica exequuntur opera, sanitatem & vitam, non solùm inimicis; verùm etiam amicis, innocentibus, & infantibus auferentes. Rectè dixi diabolo pejores esse, quia illi numquam sociis nocent, quod autem homines oderint, ideò est, quia vident illos suas derelictas sedes in cælo occupare; Tales autem venefici, cùm homines sint, cum diabolis conveniunt, ut homines sibi similes, & amicos variis calamitatibus affectos perdant: pacem cum crudelissimis inimicis ineunt, ut amicos, & fratres lædant. Se in prædam infernalibus draconibus dant, qui absque ulla misericordia in perpetuum illos torquebunt; ad quem verò finem? ut persequi, damna inferre, & absque ulla causa eos torquere possint, à quibus multa bona receperunt.

Virg. Æneid. 7.

Mille nocendi artes habet.

Venefici diabolo pejores.

28. Jure meritò ergò hæc hominum fæx ab omnibus contempta, & à quibusvis legibus condemnata, uti Deus quoque suâ lege eos jussit occidi; *Maleficos non patieris vivere* dixit Moysi: quasi diceret, licèt patientia sit virtus multũ commendabilis, & necessa-

A cunctis meritò condemnati.

Exod. 22. 18.

necessaria, cum illis tamen hominibus illa non est exercenda, ideoque *non patieris*, nullo modo permittes eos in terra. Quando verò homines in castigatione talium negligentes forent, protestatur Deus se illos castigare velle; *Anima*, inquit, *quæ declinaverit ad magos, & ariolos, interficiam illam de medio populi mei.* Quasi diceret, licèt ego propter bonitatem nimiam, soleo omnibus ignoscere, & malis parcere propter bonos quibus conjuncti sunt; & voluissem misericordiam exhibere civitatibus Sodomæ, & Gomorrhæ, si in eis decem justos reperissem; cum his tamen hominibus, non ita procedendum, sed si unus solus fuisset in populo meo, non sufficit totus populus bonus, ut unum liberet, sed in medio illorum occidam eum. Romanæ leges, C. *de maleficis.* L. *nemo*, ordinarunt postmodum, ut tales fuissent vivi à bestiis devorati, existimantes à bestiis tales puniendos esse, qui tantum ab omni humanitate recessissent: nec participes fieri debere communis sepulturæ mortalium quę terra est, sed in ventre animalium sepeliendos esse; cùm alterius naturæ esse viderentur, & ab humana societate declinasse ad inimicos humani generis, ut damna cæteris inferrent.

Levit. 20. 6.

Seipsos, & alios lædunt.

29. Sicut dæmon quandoque homini inservit, ut alium offendat; sic homo dæmoni inservit, ut alios affligat, & hic communior affligendi modus. Tanta siquidem homicidia commissa, tantæ calumniæ, tantæ oppressiones innocentum, tanta bella injusta, unde provenire credis? Diabolus causa est, qui ubique seminat zizania, & ignem discordiæ excitat; ad arma vocat, tympana pulsat ut homines inter se crudeliter sæviant. Clavus numquam lignum aut parietem penetraret, nisi malleo adactus fuisset. Dum proximum tuum persequeris quale officium exerces? Officium clavi penetrantis, & transfigentis, nec hæc mea inventio, sed cælestis oraculi, in libris Numeri de populo Hebræo Deus loquens, ait: *Erunt quasi clavi in oculis tuis*; sed quis malleus eos percutiens? Diabolus, de quo à Jeremia dicitur; *Confractus est malleus universæ terræ.* Instrumentum ergò satanæ es, & quia in anima percussus es, alium in corpore percutis. Quidam emblema conficiens, clavum malleo adactum posuit, hoc addito dicto, *Ut feriatur ferit.* Quod emblema rectè tibi conveniret, quia vulneras, percutis, & offendis proximum tuum; nec advertis te pariter vulnerari, & offendi à diabolo, noces illi in bonis temporalibus, & diabolus in bonis æternis tibi damna infert, damna corpori alterius infers, & in

in anima tua damna recipis; cogitas displicere proximo tuo, eique invidere, & places diabolo inimico tuo, qui te per hoc maximè torquebit. Confundere te instrumentum esse maligni illius artificis, qui in damnum tuum omnia disponit, & agit; sis potiùs minister Domini Dei tui, qui cuncta bona præstat, & pauperibus ejus eleemosynâ subveni.

SECVNDA PARS.

Dæmon tribulationis præcipua causa.

30. SI verum est, quod ex dictis verissimum esse patet, dæmonem potissimam causam nostrarum tribulationum esse, quis non summopere timebit? Quis umquam cogitabit à jugo tribulationis eximi? Quin imò quid aliud expectandum, nisi crudelissimam stragem & mortem? Si videritis umquam delicatam, & simplicem puellam ingenti & famelico draconi expositam, quale de eo judicium formastis? nisi illam quantò primò devorandam, & divitem prædam in immundo ventre sepeliendam fore? Talis naturæ nostræ status coràm crudeli satanæ expositus. Nec hæc mea inventio, aut Poëtarum fabula, vel Oratorum exaggeratio; sed verissima historia quam nobis S. Joannes in sua Apocalypsi exhibet: *Ecce Draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem stetit ante mulierem;* O quàm terribilis hæc visio? cui non præ timore sanguis in corde congelabit? nullum siquidem animal, aut ferocius, aut magis tremendum Dracone; qui non ut alia animalia, uno modo offendere potest, sed omnibus ferè modis, cùm nullum habeat membrum quo mortem inferre non possit. Dentes habet in tres ordines divisos, quibus comminuit, & devorat omnia; caudâ percutit, & terret, ungulis retinet, & disrumpit, flatu ad se attrahit, & inficit, corpore squamis undique cincto comprimit, & conterit; sibilo & visu atterret, & spiritum adimit, & sanguine quoque effluente inficit, & occidit.

Apoc. 12. 3.

Dæmoni assimulatus.

31. Nullus insuper locus, nec elementum à ferocitate ejus securum; in aqua siquidem ut piscis natat, in aëre instar volucris volat, per terram quasi serpens velociter se movet; de hoc S. Augustinus ait: *Dracones circa aquas versantur;* ecce aquas non esse sicuras; *de specubus procedunt;* ecce terra, ab eis contaminata; *& feruntur in aëra,* ecce aërem infestantes. Quid de magnitudine eorum referam? illa tanta est, ut incredibilis videatur. In Africa centum viginti pedum longitudinis reperiuntur, in cujus rei indicium, pellis unius Romam allata est. Plinius, & Orosius referunt, tantæ magnitudinis

Dracones ubique nocent.

S. August. in psal. 148.

Plin. lib. 6. cap. 3. Orosius l. 4. cap. 8.

tudinis reperiri, ut Bovem integrum deglutiant; idem S. Hieronymus in vita S. Hilarionis testatur. Ab exercitu Alexandri Magni visus fuit unus septuaginta ulnis longus, cujus oculi, duo magna scuta militaria videbantur, cujus solus sibilus, & anhelitus omnes in tot alioquin periculis intrepidos exterruit, referente Eliano. Quid de fortitudine ejus referam? ea tanta est, ut maria conturbet, & naves ingentes subvertat teste Aristotele. Stetit multo tempore integer Romanorum exercitus sub Atilio regulo in Africa ut unum interficeret, nec hoc exequi potuisset, absque Balistarum aliorumque instrumentorum auxilio, quibus muros civitatum dejicere solebant? Si quoque teste S. Hieronymo, in vita S. Hilarionis; flatu boves, & homines ad se attrahat, & deglutiat, quàm terribilis, & horribilis esse debet? Et tamen vix parva quædam diaboli similitudo est, & major illo multoque fortior draco infernalis, qui nos persequitur.

Elian. lib. 25. cap. 21.

Aristot. lib. 8. animal cap. 28

Draco terribilissimus.

32. Hujus rei veritatem, audi S. Joannem approbantem; *Ecce Draco magnus*, inquit: sed quàm magnus? Adeò, ut cùm quælibet stella fixa, ut Astrologi probant, major sit globo terrestri, hic draco caudâ tertiam partem stellarum in terram traxerit. Minima ergò ejus pars, ut cauda ejus, major erat tertiâ parte stellarum; cogitate qualis esse debebat immensitas corporis ejus? Quis autem color ejus? *Rufus*, inquit Sacer textus, non naturâ, sed tincturâ sanguinis, ut sciatis illum non militem recentem, sed bellis assuetum & veteranum esse: quia, *Ille homicida erat ab initio*; qui, ut de Lupo dicitur, gustavit dulcedinem sanguinis humani, ideoque summè avidus est. Quod pejus insuper est, septem habet capita, & cornua decem; non unum solum caput, ut alii dracones, sed septem; ita ut si unum effugias, in aliud incidis. Septem habet, inquit S. Gregorius, quia significat universitatem, numerus enim septenarius, est aggregatio omnium bestiarum. Est vulpes per astutiam, Tigris per crudelitatem, Canis per adulationem, Serpens per venenum, Lupus per voracitatem, Leo per ferocitatem. *Ecce Behemoth*, inquit de illo Job, quæ est vox numeri pluralis, *quem feci tecum*; quasi diceret, ecce bestias quam formavi tecum. Sed quomodo adeò inordinata locutio tam paucis verbis, à Sacro textu relata? Ad docendum de uno solo monstro quidem loqui, sed quod multa alia continebat, & ferè crudelitates omnes aliorum animalium.

ubi suprà.

Diabolus multò major, & terribilior.

Ioan. 8. 44.

Aggregatum omnium bestiarum est.

Iob 40, 10.

33. *In capitibus ejus diademata septem*; ut sciamus singula capita aliam Apoc. 12, 3.

aliam legionem militum sub se tenere. Coronata sunt, ut cognoscamus illa validissimè pugnare. Plebs inferior quæ propter solutionem tantùm arma gerit, facillimè terga vertit; sed caput coronatum quod pro honore suo, & regno universo, & statu præliatur; potiùs mori cupit, quàm negligens apparere. Simili obstinatione diabolus infernalis pugnat, non curans se majora tormenta in inferno sustinere, ut hominem vincat. Ideò quoque S. Paulus dæmones principes vocat, dicens: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, aut sanguinem, sed adversus principes & rectores tenebrarum harum.* De hoc ergò crudeli, immani, & ingenti Dracone dicit S. Joannes, quòd stabat ante mulierem, non dicit quòd venit, sed quòd stetit; ut scias non longè morari à te, ita ut diu proficisci debeat, antequam appropinquet, sed quòd apud te continuò ferè sit; *Stetit*, id est ante illam se posuit, ut pugnet contra eam. Per mulierem autem intelligitur Ecclesia, aut natura humana; cogitate quomodo se ab eo defendet?

Cur capita coronata gerat?

ad Ephes. 6.12.

34. Ad objectiones ante positas modò respondeamus; quid dicebatur dæmones in carcere positos, & strictè ligatos, ut se ad offendendum movere non possint? Respondeo aliquos ex diabolis in carcere inferni constitutos, alios verò in aëre remansisse pro exercitio nostro, qui Salvatori nostro dicebant; *Quid nobis & tibi est Iesu Nazarene, venisti ante tempus perdere nos?* Timentes se ad infernum damnandos; licèt hîc à pœnis non sint exempti, majori tamen potiuntur libertate, ut nos tentet, & affligat. Quòd autem dicantur constricti, respondet S. Augustinus, verum esse, sed appropinquando illis, tui morsus, & calamitatis es occasio. Adjungendum quoque est Deum illos quandoque solvere, ut sint ministri justitiæ & providentiæ suæ, vel ad minus extendit illorum vincula; juxta illud Apocalypsis: *Oportet illum solvi modico tempore.* Quid dicebatur cum Roberto Abbate, dæmones non potuisse producere muscas, aut culices, quia illas pungentes effingere non poterant? Respondeo, multos hoc divinæ providentiæ, non impotentiæ dæmonis adscribere. Sed responsione Roberti Abbatis acceptâ; concedo dæmones non potuisse tales muscas producere, non tamen ideò sequitur, illos per se non potuisse offendere; vel aliis animalibus ut instrumento uti?

Diaboli partim in inferno, partim in aëre,

Marci 1.14.

Apoc. 20, 3.

35. Quid dicebatur dæmonem homicidam vocatum, non quia hominem occidit, sed propter desideriũ malignum quod semper habet? Respondeo, verum esse illum magis homici-

Non tantùm voluntate, sed opere nocent.

dam voluntate quàm opere esse; quia omne malum quod concupiscit, exequi non potest. Non enim incarnationem verbi, aut crucifixionem impedire potuit; non ideò tamen verum est, quòd aliquando non exequatur: uti cum servis & familia Job fecit. Quid dicebatur Deum patrem nostrum adeò benignum esse, ut non sit credibile nos relinquere in manibus adeò crudelium inimicorum? Respondeo non illum nos totaliter in manibus eorum derelinquere, nec illis plenariam nocendi libertatem concedere, prout vellent; sed limitatam valde, juxta nostram necessitatem, & vires, quod amorem ejus paternum non dedecet.

Sub vexillo generali cuncti militant.

36. Quid dicebatur, sub eodem vexillo non debere militare Angelum & diabolum, unde cùm Angeli nos affligant, credendum est dæmones id non efficere? Respondeo sub vexillo ducis particularis non solere diversos milites degere; sed sub vexillo universali, diversæ nationis, & sortis milites, congregari solent. Tale est vexillum Dei quod generalissimum est, omnesque gentes, & creaturas comprehendit: quia *pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Non ergò inconveniens dæmones, & Angelos esse, tantò magis quia longè diversus est modus pugnandi horum, & illorum; Dæmones enim sunt mancipia, Angeli verò Equites & nobiles, illi remis alligati, hi verò ut ministri ducis triremiũ.

Sap. 5. 20.

Peccatores ut ministri alios castigant.

Quid dicebatur, ab uno peccatore alium castigari non debere? Respondeo duobus modis unum peccatorem concurrere posse ad castigationem alterius; vel ut judex, vel ut minister; ut judex non bene convenit, quia dum Pharisæi tali modo punire volebant mulierem adulteram, acriter à Salvatore reprehensi fuerunt: ut ministri tamen non dedecet, imò proprium malefactorum est unum alium castigare.

Dæmon audax, & timidus.

37. Quid dicebatur dæmonem timidum esse faciliterque fugere posse, & in fugam à quolibet resistente conjici? Verum est audacibus timidum esse, sed debilibus audax est, quales nos sumus; Notat S. Gregorius Papa dæmonem in libro Job, à Septuaginta Interpretibus vocari *Myrmicoleon*, ubi nos legimus *Tigris*; id est formica Leo, quia cum formicis Leo est, & cum Leonibus formica; cum timidis ferox, cum ferocibus timidus; cum justis formicâ debilior, cum peccatoribus Leone ferocior; *Aliis ergò*, concludit S. Gregorius, *Leo est, aliis formica, quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, spirituales verò, infirmitatem illius pede virtutis calcant:* quando insuper minister est justitiæ

Job 4. 11.

S. Gregor. lib. 5. moral. cap. 16.

ſtitiæ divinæ creatam potentiam non metuit. Quid dicebatur tribulationes vias ad cælum eſſe, unde non eſſe veriſimile ut in his dæmon ſe conſtituat, qui à cælis longiſſimè abeſſe quærit? Reſpondeo licèt tribulatio ad cælum conducat, non omnes tamen hac viâ incedere norunt; & multi inde viam infernalem conficiunt, deſperatione acti, quod Dæmon prætendit. Tam fervens inſuper eſt deſiderium ipſius malè operandi, ut non ita conſideret bonum, quod ſequi poſſit, quàm malum præſens, quod ſe obtinere ſperat, de quo multum lætatur.

Dæmon fulgur, & flamma eſt.

38. Quid dicebatur, ad inſtar fulguris dæmonem occidere animam, & carnem intactam relinquere? Reſpondeo à fulgure non ſolùm animam expelli, verùm etiam corpus comburi, dæmon autem non ſolet tantùm eſſe fulgur, verùm etiam flamma inferni, quæ universa comburit: juxta dictum Zachariæ Prophetæ; *Numquid non iſte torris eſt erutus de igne?* (Zachar. 3. 2) Quid dicebatur eſſe Aſpidem ſurdam quæ ſine dolore occidit? verum eſt, quandoque enim per peccatum voluptatis animam occidit, & carni delectationem adfert. Eſt etiam Baſiliſcus, & Draco qui mortem multis tormentis infert. Quid dicebatur, Tineam eſſe intus rodentem, & exterius rem intactam relinquentem?

Et aſpis, & tinea.

Reſpondeo, quandoque Tineam eſſe, & quandoque Leonem, juxta dictum S. Petri; *Adverſarius veſter diabolus, tamquam Leo rugiens.* (1. Petr. 5. 8.) Sicut etiam ſe ut Tineam gerere ſolet cum iis, quibuſcum pacificè habitat, ideò dicitur: *Ædificavit ſicut Tinea domum ſuam.* (Job 27. 18.) Ita contra illos qui in faciem illi reſiſtunt, ut Leo eſt. Quid dicebatur Chriſtum Salvatorem omni tentatione probatum eſſe, in deſerto; inter illas autem non fuiſſe tribulationem? Reſpondeo, Chriſtum per omnia tentatum eſſe, ſed non in deſerto; dicitur enim diabolum ab illo receſſiſſe uſque ad tempus: quando ergò rediit, non deſtitit variis accuſationibus & tribulationibus illum probare. Pari modo nobiſcum agit, nunc proſperitate, nunc adverſitate tentans.

Chriſtus per omnia tentatus.

39. Quid dicebatur, diabolum uti ſtratagemate aliquorum expertorum militum, qui inimicum dividere conantur; ita ille perſequitur animam non carnem? Reſpondeo duces non ſemper eumdem modum confligendi obſervare, ſed ſæpius pro diverſitate mutare. Pari modo diabolus, nunc aſtutiâ, nunc viribus pugnat, nunc carnem contra animam incitat; nunc animam nimiùm miſericordem erga carnem efficit; nunc abundantiâ, nunc penuriâ vexat. Simili modo filio prodi-

Variis modis diabolus impugnat.

go evenit; qui in principio abundanter ſua expendens, cum meretricibus lautè vivebat, poſtea verò pane indigens, penuriâ adactus, porcos paſcere cœpit, qui ſymbolum ſunt immundarum voluptatum. Notat autem S. Petrus Chryſologus, ſe non potuiſſe ſatiari cibis illorum animalium; quia dæmonis aſtutia eſt ſuos ſequaces famelicos tenere, ut ſemper magis peccent; ſi enim ſaturati eſſent, facillimè à menſa ejus diſcederent. *Diabolus*, inquit S. Petrus Chryſologus, *non ſinit peccatores, ex ipſo porcorum cibo paſtuque ſaturari, ut eſurientes vitia, plus delinquant.* S. Gregorius Papa deſcribens diverſos modos quibus dæmon nos oppugnat, inquit: *Modò verbi fame, modò carnis certamine, modò flagello ſermonis, modò calamitate perſecutionis aggreditur.* Alibi quoque eum Tigrim appellat, variis coloribus tinctam, propter varias nocendi artes, proſperitate denique, & adverſitate utitur, ut hominem impugnet.

Suos ſaturari non ſinit.

Lib. 5. Moral cap. 16.

Patientia neceſſaria, ne conſentiamus diabolo.

40. Prævalet igitur tribulatione diabolus ut nos affligat, & impatientes reddat. Ex quo primum documentum nobis ſumendum, ut in hoc illi non conſentiamus; quin imò licèt non ob aliam cauſam id efficeremus, quàm ut ejus voluntati in hoc contrariemur patientes ſemper eſſe deberemus, & æquanimiter adverſa tolerare. Seneca quoque hac ratione nobis patientiam perſuadet; *Vide*, inquit, *ne inimicis tuis iracundia tua voluptati ſit.* Alibi quoque dicit, genus quoddam vindictæ eſſe, patienter injurias tolerare, & inter adverſa lætari: ſicut enim petra contra durum marmor ejecta, retrocedit & in jacientem reſilit; in materiam autem mollem injecta, ei inhæret; pariter dum inimicus tuus te injuriâ afficit aut perſequitur, ſi fortis & conſtans ſis, ſi non cedis, ſi non admittis in anima tua illam offenſionem in illum recedit, & dolet ſe non poſſe ſe offendere: ſi autem tibi hoc attrahis, iraſceris, aut doles; oſtendis te recepiſſe offenſam, & tuos inimicos hilares, & contentos efficis. Quid amplius deſideras? Ipſemet Spiritus ſanctus hac ratione utitur, dum per ſapientiam dicit: *Anima nequam diſperdet, qui ſe habet, & in gaudium inimicis dat illum.* Quaſi diceret, non ſolùm propter damnum quod pateris, verùm etiam, ut non lætifices inimicos tuos ab omni malitia cavendum. Nec ſolùm per patientiam privabis inimicos tuos lætitiâ; verùm etiam perfectiſſimam obtinebis victoriam: is enim vincit qui non permittit adverſarium obtinere quod deſiderat. Inimicus tuus quis eſt niſi diabolus infernalis, qui aliud non deſiderat, quàm te videre iracundum, impatientem, mur-

Senec. lib. 3. de ira cap. 40.

Eccli. 6, 4.

Patientia victoriam tribuit.

murmurantem, blasphemantem. Si te ergo ab his omnibus peccatis abstines, illum superas; si autem patientior, te divino beneplacito committis, benedicens Deum, & inimicum amans, insignem tibi promereris triumphum.

Cur Spartiatis vestes rubra erant.

41. Spartiatis ad bellum tendentibus, moris erat rubris indui vestibus ut vulnerati, & sanguine per vestes fluente, inimicus non adverteret, nec occasionem gloriandi haberet; non tantùm vulneris dolorem curantes, quàm delectationem inimicorum de victoria præcaventes. Sed quantò crudeliores sunt inimici nostri, quàm Spartiatarum, tantò majori diligentiâ, & solicitudine advertendum, ne aliquam gloriandi occasionem de nobis habeant. Hoc rectè efficere poterimus, si afflicti, os nostrum ad suspiria non aperiemus, linguam ad lamenta non solvemus, oculos à lachrymis temperemus, nec in corde nostro locum impatientiæ aut desperationi permittamus. Ad hoc potissimùm nos juvabit, vestes rubras passionis Dominicæ assumere, juxta Apostolicum consilium; *Induimini Dominum* (ad Rom. 13. 14.) JESUM *Christum*. Assimulando quippe afflictiones nostras suis doloribus gravissimis, illæ subitò evanescent, & colorem, ac nomen suum planè amittentes ut nihilum reputabuntur.

In tribulatione diabolo lætandum.

42. Secundum documentum quod ex prædictis sumere debemus est; summam lætitiam nobis concipiendam esse, has tribulationes à diabolis nobis excitatas esse. Hoc documentum aliquibus extraneum videri poterit; si enim dæmones crudelissimi sunt, & ferocissimi, qualem lætitiam concipere poterimus, si ab illis affligamur? An exultat ad mortem condemnatus, intelligens carnificem infensissimum sibi esse inimicum? Quinimò magis morte ipsâ displicet, se per manus ejus interficiendum. Unde David dicebat Jonathæ: *Tu me interfice* potiùs, quàm in manus Saul incidere permittas. (1. Reg. 20. 8.) Saul quoque ne in manus Philistinorum incideret, armigerum suum precabatur, ut se interficeret: nec hoc volendo exequi, seipsum interfecit. (2. Reg. 31. 4.) Repeto tamen dicta, nobis exultandum, dum à dæmonibus affligimur. Primò, quia generosus miles gaudet sibi cum hoste viribus potente confligendum; à quo si victoriam reportet, major ipsi erit gloria, si autem occumbat mors honoratior futura est. Cùm ergò diabolus sit fortissimus pugnator, si in nobis scintilla generosi animi resideat, summoperè exultandum, cum ipso nobis pugnandum esse. Melius insuper dicamus; diabolus nónne maximus Dei inimicus? omninò; nonne

nónne in despectum Dei nos oppugnat, ut illum à cordibus nostris auferat? Certè ita, omni ergò ratione nobis cogitandum, Deum fore adjutorem nostrũ, quod si fiat, quid nobis timendum? Videte ergò tribulationem dæmonis summam confidentiam ad Deum confugiendi in nobis excitare; & certo modo Deum obligari ad auxilium nobis ferendum? Quod si verum est, ô felices tribulationes, quæ nobis æternas & divinas consolationes & promissiones adferent. De quo insuper nobis timendum si Deus adjutor noster futurus sit. An diabolum timebis, quia fortis ut Leo est, *Adversarius vester diabolus tamquam Leo rugiens*? At *Deus tuus ignis consumens est*, quem diabolus plurimum timet. An ipsum timebis quia Draco est rufus qui expectabat mulierem? sed Deus est Aquila sublimis vincens Draconem; *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos.* An timendus quia ventus est urens; *Ventus turbinis veniebat ab Aquilone?* Sed Deus noster mons est in vertice montium, qui ventis omnem vigorem aufert; *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion non movebitur in æternum*: fortè quia Lupus est rabidus; *Venit Lupus & disperdit oves?* Christus tamen verus est pastor oves suas defendens; *Ego sum pastor bonus.* An quia Bos est, & tu fœnum; *Fœnum tamquam Bos comedet?* sed Deus agricultor est apponens jugum Bobus; *Pater meus Agricola est*; & non relinquit illos pascere ubi volunt. An denique quia monstrum horribile, *Ecce Behemoth quem feci?* Sed Deus est Rhinoceros, qui occidit Elephantem, & monstra; *Cornua Rhinocerotis cornua ejus.*

Deus in tribulatione adjutor.

1. Petr. 5.8.

Deut. 4.24.

Apoc. 12.3.

Deut. 32.11

Ezech. 1.4.

Psal. 124.1.

Joan. 10.12

Ibid.

Job 40.10.

Joan. 15.1.

Job 40.10.

Deut. 33.17

43. An dubitas te posse illi resistere, & Dei auxilium tibi adfuturum? Imò solo nomine Dei invocato, aut signo Crucis facto, vel aliquâ ejus imagine exhibitâ, subitò timebit, & in fugam convertetur. De hoc præclarissimum exstat exemplum in libris Numeri; ubi refertur, Deum volentem populum Hebræorum seditiosum, & contra Moysen, & Aaronem murmurantem castigare, misit ignem visibilem inter illos, qui occidit & combussit quatuordecim millia & septingentos; Majus quoque futurum fuisset damnum, nisi Aaron ex præcepto Moysis se in medio multitudinis statuisset, & incensum Domino pro salute populi obtulisset. Supra hanc historiam pulchrè cõmentatur Sapiens in sapientia sua dicens: Aaronem omnibus Sacerdotalibus vestibus indutum, in quibus mundus universus depictus erat, cum nominibus Patriarcharum, & filiorum in lapidibus sculptis, & diademate in capite cui nomen magnum

Solo Dei nomine diabolus fugatur.

Num. 26. 49.

magnum Dei insculptum erat, stetisse in medio multitudinis, seque adjunxisse illis quos ignis comburebat, & occidebat; erat autem ibi Angelus exterminator diabolus nempe infernalis, qui ad conspectum sacerdotalium indumentorum omnem vigorem perdidit, & pavidus discessit. Sic hoc explicat Sapiens dicens: *In veste enim poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum; & parentum magnalia, in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta; & magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat. His autem cessit qui exterminabit & hæc extimuit.* Sed quandoquidem in veste summi Sacerdotis tanta explicabantur, & mundus totus cum duodecim tribubus, & nomen Dei figurabatur, ut explicat S. Jeronymus ad Fabiolam scribens: cui rei cessit hic exterminator, & quid timuit? An mundum? Certè non: cùm enim hic corporeus esset, & ille spiritus, non inde ipsi timendum. An duodecim tribus? ne quidem has extimuit, quia illæ peccaverant, & contra illas justitiam exercebat. Forte nomen Domini? Sed si minister ejus erat, ad quid ipsi timendum? respondit Glossa ordinaria, quod in vestitu illo summi sacerdotis exterminator cognoscebat figuram Christi veri & æterni Sacerdotis, & huic præ timore cessit; *Vera indumenta*, inquit, *veri Sacerdotis intellexit, & huic cessit.* Si ergò antequam à Christo debellatus aut victus fuisset, dæmon infernalis, figuram vestimentorum ejus extimuit, & victus cessit: quid modò faciet, dum non tantùm devictus, sed omnibus armis spoliatus existit, catenisque devinctus manet? Nulla occasio illum jam timendi superest.

Vestes Sacerdotales à diabolo timentur.

Sap. 18.24.

S. Jeron. epist. ad fabiolam.

44. Tertium documentum ex prædictis nobis colligendum est, quòd occasionem habeamus compatiendi proximo nos persequenti, & calumnianti: considerantes illum à Dæmone exagitari, & à spiritu maligno in animo vexari. Ah miser si phreneticus te injuriis afficeret, non secum irasceris, sed infirmitati ejus compatereris, diceresque phrenesis illum ad hoc eloquendum movit. Potiùs ergò ad compassionem moveri debes, dum vides proximum te offendentem; cùm ipse hoc tibi malum non inferat, sed dæmon per ipsum; unde loco quod in ipsum irasci deberes, in dæmonem irascere, quòd proximum ita concitaverit: nec cum ipso inimicitiam inire quoquo modo velis. Dum autem te decipiens, bona terrena promittit, abige à te dicendo; scio te inimicum meum, novi te aliud non velle quàm malum meum. Scio quoque non solùm te ruinam animæ, verùm etiam corporis desi-

Proximo persequenti compatiendum.

Ddd derare

derare, multisque me tormentis subjicere velle. Longè ergò à me recede quia deliciæ tuæ, insidiæ sunt; promissiones tuæ deceptiones; tua dona furta; oscula tua vulnera; cibi tui venenum; & oblationes tuæ ac munera mortem adferunt. Hoc modo à deceptione & insidiis diaboli securi eritis, nec vires ejus metuētes, ingentem fructum, ex persecutionibus, & tribulationibus referetis. Fructus, inquam, patientiæ in nobis, charitatis erga proximos, confidentię in Deum, fortitudinis contra diabolum, & tandem vitam æternam consequemini. Quod Deus vobis concedat. AMEN.

Diabolus insidians abigendus.



DISCVR.

DISCVRSVS XVII.

Vtrum natura, mater, & causa tribulationum nostrarum agnoscenda; unde insignis consolatio, & gratiarum actio Deo referenda, omnibus afflictis exhibetur.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Veritas pulcherrima, quomodo à Philosopho, & Theologo inquisita. num. 1. 2.

Homo à natura tribulatione, & miseria repletus. à numer. 3. usque ad 13.

Labor & tribulatio homini naturalis videtur. à nu. 14. usque ad 19.

Non potest natura tribulationis mater vocari. à nu. 20. usque ad 26.

Natura per accidens tribulationis causa. à num. 27. usque ad 31.

Argumentis contrariis respondetur. num. 32. 33.

De tribulatione non dolendum quia communis, & divinorum beneficiorum census. à num. 34. usque ad finem.

Veritas pulcherrima.

1. Eritas, quæ omnium animos rapit, ut honesta, & nobilis virgo est, solitudinis quidem amans, & ab oculis mortalium se abscondens; sed summè gratiosa, & pulchra. Ita ut non solùm omnes mulieres, quæ titulo pulchritudinis umquam præditæ fuerunt, superet; verùm etiam ad Deum ipsum in sui amorem alliciendum, sufficiat; id clarè intimus ejus secretarius David testabatur dicens: *Ecce enim veritatem dilexisti.* (Psal. 50. 8.) Unde meritò dicere poterat Sapiens ille; licèt aliis rebus fortiores sint mulieres, ob pulchritudinem, & varias animi dotes; *Super omnia autem vincit veritas.* (3. Esdræ 3. 12.) Hinc sequitur, quòd sicut in corpore bene disposito omnes partes simul correspondent, nec ullum est membrum indecens, aut cum aliis non conveniens: Pari modo in veritate omnes partes mirabiliter simul conveniunt, nec umquam unam partem alteri repugnasse, repertum fuit; unde sapienter Peripateticorum princeps dixit: *Veritati omnia consonant*; ubi enim repugnãtia apparet non esse veritatem dicendũ est,

Veritati cuncta consona.

est, sed falsitatem, & mendacium. Hinc nascitur, veram Philosophiam contrariam non solùm esse Theologiæ; verùm etiam quòd ubi amatores aliarum scientiarum inter se contrarii sunt & adversarii, & unus alium impedire quærit; veritatis tamen cultores inter se optimè conveniunt, & se mutuò adjuvant, in Philosopho, & Theologo veritatis amatoribus, & indagatoribus, licet in diversis materiis id clarè patet. Philosophus quippe veritatem in clara die scientiæ contemplatur, Theologus autem in obscurâ fidei nocte; iste ad solem luminis naturæ; hic verò ad splendorem cælestium luminum, & revelationum divinarum. Ille solâ virtute potentiæ suæ visivæ prævalet; hic verò perspiciliis scripturæ sacræ utitur. Ille vultu patenti omnes intueri gaudet; hic verò absconditam corporis partem, & velo quasi coopertam, audacter respicit. Ille pulchritudinem naturalem, hæc verò supranaturalem conspicit.

Qualiter Philosophus, & Theologus veritatem inquirat.

2. Ille denique in Esau, hic verò in fratre suo Jacob repræsentatur. Natus est primò Esau, & prima est cognitio naturalis, quàm supranaturalis; primò Philosophus, quàm Theologus. In nativitate Jacob sequitur, & plantam pedis fratris tenet: quia Philosophiam sequitur Theologia; & ubi Philosophus desinit, incipit Theologus; vel pedem alterius retinet, quia ab illo modum procedendi accipit, per argumenta, definitiones, & distinctiones. Esau sæpius in campum ad venationem procedebat; & Philosophi per sensus, quasi per canes venaticos in toto mundo quærunt objecta cognoscibilia. Jacob quietè apud matrem demorabatur, quia Theologus in doctrina S. Matris Ecclesiæ se quietè nutrire, & fovere debet. Esau homo silvester, arrogans, & feris similis apparebat; & Philosophia sequaces suos superbos & arrogantes reddit, quia *scientia inflat*: 1. Cor. 8. 1. ab appetitu quoque homini & bestiæ communi se expedire non potest. Jacob mollis & delicatus erat; quia verè mansuetudinis & humilitatis, perfecta Theologia occasio est. Cum feris pugnat Esau; sed Jacob cum Angelis, & Deo luctatur. Pariter Philosophus ut objecta naturalia cognoscat laborat; Theologus objecta supernaturalia ut Deum & Angelos cognoscere nititur. Esau ex venatione rediens, fame moriebatur, nisi à Jacob cibum accepisset; & morte æternâ morietur Philosophus, si à Theologo non accipiat cibum vitæ æternæ. Jacob primò ab Esau persecutus fuit, sed postmodum pacem inierunt, & verificatum fuit dictum illud; *Major serviet minori*: Gen. 25. 24. Philosophus quoque

In Esau & Iacob figurati.

quoque antequam Christo se daret, Theologos impugnabat; pace postea initâ, magni facit illi inservire. Hodie autem experientiâ probare cupio, Theologum Philosopho indigere; sequendo quippe ordinem nostrum, indagandum mihi est, an natura possit dici occasio tribulationis nostræ; unde necesse erit doctrinâ Philosophorum uti, ad quos spectat exactè naturas rerum cognoscere.

Natura non videtur homini bene providisse.

3. Antiqua Philosophorum querela, contra naturam nostram insurgit, illam nempe novercæ instar, hominem multis miseriis, & calamitatibus exposuisse. Nónne videtis asserebant, quòd illa omnibus animalibus abundanter providerit, de cibis, armis, aliisque diversis & necessariis rebus: solius hominis nullam curam suscepisse videtur? Vel ut meliùs dicamus omnem potiùs conatum contra eum intendisse, ut modum reperiret, quo hominem in lucem prodeuntem, miseriæ nutriendum, calamitati lactandum, & in angustiis crescendum committeret: scopum denique telis fortunæ omnibus defensivis armis privatum exposuisse videtur. Carnem præ omnibus delicatam, & mollem, injuriis, & tormentis aptam tribuit; vestibus, autem & cibis minimè providit. Ubi quoque animalia nociva, & utilia cognoscunt, & naturaliter per aquam natare, per aërem volare, per terram currere norunt: pauper homo omni scientiâ privatus nascitur, quin imò pedes rectè movere docente indiget. Venenum à medicina discernere non novit, sed quod sæpius sibi maximè nocivum, potissimùm appetit. Ex plurimis denique contrariis illum composuit, ne umquam pacem haberet, sed in continuo motu, timore, & angustiis, à tam contrariis inimicis ut sunt, caro, & spiritus; ratio, & sensus, calidum, & frigidum, humidum & siccum agitaretur. Quod autem pejus est, mille passionibus inordinatis subjecit, quæ ut furiosi venti, fragilem humanæ vitæ navem per tempestuosum hujus mundi pelagus agitando, efficiunt ut ne horam quidem quietam habere possit.

Cuncta homini desunt.

Homo putredo, & miseria.

4. Optimè naturæ nostræ conditionem intellexisse videtur Solon, dum interrogatus quid esset homo, respondit: *Putredo est in exortu, bulla in omni vita, esca vermium in morte.* Non minus Aristoteles eidem interrogationi respondit, hominem aliud non esse, quàm, *Imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, invidiæ & calamitatis trutina, reliquum verò pituita, & bilis imbecillitatis exemplum* vocat, quia teste Seneca non opus est magnâ vi ut

Senec. in in consol. ad matrem cap. 10.

ut cadat: *Odor illi saporque, & lassitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & sine quibus vivere non potest, mortifera sunt. Spolium temporis* appellat, quia solum tempus sufficit ad ejus consummationem, ut in cineres redigatur. *Fortunæ lusus* dictus, quia mille fortuitis casibus expositus; *Inconstantiæ imago* est, quia in animo & corpore continuò mutatur, unde Seneca dixit: *nemo nostrûm, idem est, in senectute, qui fuit juvenis, nemo est mane qui fuit pridiè. Invidiæ & calamitatis trutina sive bilanx* est; sicut enim in bilance non elevatur una pars, nisi deprimatur alia, ita in homine non cessat invidia, nisi crescat calamitas, & hac deficiente, illa pariter elevatur. *Reliquum verò est pituita & bilis*, hi enim sunt duo humores in sensibus abundantiores, qui mortem causare solent.

Homo fragilis, & miser.

5. Ad eandem interrogationem quid sit homo, respondet Seneca; *Esse imbecillimum corpus, & fragile, nudum, suaptè naturâ, inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum.* Brevius, sed non minus significantius eum descripsit Sophocles, qui flatum dicebat; Eschilus umbram; Pindanus umbram fumum, & similitudinem vocabat: quæ omnia in sacra scriptura reperiuntur. A S. Jacobo dicitur, *Vapor est ad modicum parens*, S. Job umbram dicit: *Fugit velut umbra*; David somnium appellat; *Velut somnium surgentium Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges*. Fœnum, & flos fœni dictus, stipula sicca, folium, Aranearum tela, imago, pictura, & aqua currens, ventus, vermis, pulvis, lutum, aliisque similibus titulis decoratus; qui omnes quàm ex natura sua, fragilis, miser, & vilis sit ostendunt. His omnibus titulis SS. Patres unanimiter subscribunt, inter quos S. Bernardus, insigne compendium vitæ humanæ, composuit dicens: aliud ipsum non esse, quàm *Spumam fœtidam, saccum stercorum, & cibum vermium*; primum habet ratione conceptionis, secundum ratione vitæ, tertium, ex morte. Alibi quoque nos exhortatur ad verecundiam, dolorem, & timorem; *Cogita*, inquit, *unde veneris, & erubesce; ubi sis, & ingemisce; quò vadis, & contremisce.*

Jacob. 4. 15

Job 14. 2.

Psal. 72. 20.

S. Bernard. in medio serm. 12. de diversis.

Universa vanitas est.

6. Nullus melius miserias, & calamitates hominis paucis verbis restrinxit, quàm Propheta Regius dicendo: *Universa vanitas, omnis homo vivens*: non sufficiebat dicere vanum fuisse, sed vanitatem ipsam in abstracto; universam meram, & summam vanitatem dixit: quantum videlicet vanitatis, miseriæ, & interfectionis in aliis creaturis reperitur, omnia in illo colliguntur. Non minùs elementis, mutationi, & contrarietati suppositus,

Psal. 38. 6.

ſitus, non minùs quàm mixta, injuriis temporum expoſitus; non minùs beſtiis, aliorum crudelitate & propria infirmitate gravatus; ut ſubſtantia perpetuò contrariis vexatur; ut accidens, perpetua accretione, & diminutione turbatur; ut mare tempeſtuoſus, & amarus; ut flumen, & torrens; inundans, & furiosè currens; ut luna inconſtans & varius; ut arena conculcatus, ut pluma levis, ut feſtuca vilis, ut aranea infatigabilis, ut lutum immundus, ut locuſta perſecutus; & quid amplius; *Vniverſa vanitas omnis homo vivens.*

Miſeriarum pelagus eſt.

7. Non tamen ingens hoc mundi volumen ſufficit ut omnes humanæ vitæ miſerias repræſentet. Poëtæ fabulas & chimæras effingebant, ut veritatem infelicitatis humanæ aſſequerentur; finxit quidam, dum Protheus corpus humanum de terra formare vellet, oculis ejus tot exhibitas miſerias, & calamitates quas pati deberet, ut teneritudine animi in planctum ſolutus ſe continere non potuerit; unde ex lacrymis illis & pulvere materiam primam hominis factam fingebant. Ex planctu ergo & lacrymis homo coagulatus, nullum in eo eſt membrum, pro quo non ſit lacrymandum.

Vnde formatus dicatur à Poëtis.

Alii dixerunt duo vaſa homini conſignata, unum malis plenum, alterum quaſi vacuum bonis; de illo, continuò mala extrahuntur, de hoc autem parciſſimè, & manu conſtrictâ vix aliqua bona diſtribuuntur. Per hæc demonſtrantes pauca bona hominibus obvenire, mala autem in abundantia ſubminiſtrari. Alii ulteriùs procedentes dixerunt, nullum bonum in mundo relictum, licèt enim à Deo ibi creatum foret, à converſatione tamen humana, & moleſtiis omnium illud ubique inquirentium tædio affectum non diutiùs cum illis morari volens, ad cælum denuò conſcendit; volando autem pallium decidere permiſit, quod à malo repertum, & fraude ſe hoc cooperiens, mortales omnes ſub ſpecie boni decepit. Secundùm illos ergò non ſolùm eſt malorum abundantia in hac vita; ſed quod nos bonum vocamus, non aliud eſt quàm larvatum malum, ſpecie boni contectum.

Nullum verum bonum in mundo.

8. Subtiliùs idem Homerus expreſſit, dicens viſiones & ſomnia ad nos miſſa, aliqua per portam eburneam, candidam, & pretiosè elaboratam deſcendere; alia per portam ex cornu tranſparente factam egredi; illas autem omninò falſas eſſe, & deceptrices, has verò quaſi tot prophetias veridicas eſſe. De hac fictione plurimi docti variè Philoſophati ſunt: communior autem opinio eſt, Homerum hac fabulâ edocere voluiſſe, tantam eſſe differentiam rerum

quas

quas videmus, ab illis quas audimus, quanta est, de falso ad verum. Per portam eburneam os alienum intelligunt, unde per dentes candidos eburneos, nova auribus nostris adveniunt; per corneam, oculum, in quo Anatomistæ dicunt tunicam corneam esse, cujus color similis cornui transparenti esse solet.

Fabula Homeri de duabus portis.

Eustachius autem inter expositores Homeri primus ponendus, subtiliùs hanc inventionem considerans, notat eburneam pulchriorem esse, & æstimatiorem, prout Elephas à quo provenit, animal nobile est, & magni pretii; ubi cornu ex seipso vile est, & ex animalibus labori & macello destinatis haberi solet. Quid ergò vellet dicere? Mendaciis, & falsis somniis, ut magnis dominis, & nobilioribus, portam pretiosam aperiri; veritati autem & visionibus certis, ut plebeis, & hominibus vilibus, per portam minus dignam, aut inæstimatam aditum patefieri? fortè etiam quia mendacia splendido ornatu vestiri solent, veritas econtrà, nuda, aut lacerâ veste contecta, naturali simplicitate suâ solet esse contenta? Non hæc mens Homeri, inquit Eustachius, sed per portam eburneam prosperitatem intellexit, & excellentiam; per corneam autem miseriam & adversitatem. Per has, insignem nobis tradere voluit regulam, ut quando menti repræsentantur præsagia, aut cogitationes felicitatis, & excellentiæ mundanæ, ut somniis per portam eburneam venientibus, non præstemus fidem; sed dum eventus sinister, aut adversitas mentem pulsat, ut somniis per portam corneam descendentibus fidem adhibeamus. Sed quâ ratione malum potiùs quàm bonum credam? Et cur fallacem, & mendacem æstimabo potiùs prosperitatem mihi prædictam, quàm adversitatem? Ratio in promptu adest, quia adeò frequentes, & connaturales sunt homini tribulationes, ut illas annuntiando vix errare possimus; econtrà autem prosperitates adeò longè à nobis absunt, ut illas annuntians, mendax judicari possit.

Porta eburnea prosperitatem, cornea miseriam indicat.

Quomodo verus Propheta agnoscendus.

9. Ad prædictorum veritatem comprobandam, similis casus in Jeremia Propheta occurrit; illis temporibus multi falsi Prophetæ erant, qui falsis & vanis prædictionibus populum decipiebant, & fidem veris Prophetis adimebant. Deus ergò, ut populus ejus veros à falsis cognosceret, contra signum aliquod ei dare decrevit, dicens per Jeremiam; *Propheta qui vaticinatus est pacem; cùm venerit verbum ejus, scietur Propheta quem misit Dominus in veritate.* Icrem. 28. 9 Supra hunc locum insigne dubium movent duo doctissimi Rabbini,

ni, David, & Salomon, cur nulla hîc fiat mentio adversitatis, sed solùm prosperitatis; nec dicitur illum fore verum Prophetam, qui tribulationem prædicet; sed solùm qui prosperitatem, & pacem annuntiabit? Respondent, in adversitate prædicenda etiam veri Prophetæ quãdoque falluntur; quia Deus adeò est misericors, ut licèt comminatus fuerit, & prædixerit castigationem, faciliter tamen placatur, & mittere desinit, ut apparuit in Jona Propheta: dum autem dicitur velle beneficium conferre, numquam verbis suis deest. Comminationes ergò divinæ incertæ sunt, promissiones certissimæ, & infallibiles, ideoque non mirum ab his, & non ab illis Deum verum Prophetam cognosci velle. Meliùs tamen meo judicio dici potest, illum non velle ut ex prædictione malorum verum prophetam cognoscamus; quia natura nostra tot malis supposita est, ut nullũ requiratur lumen divinum ad hoc prævidendum, sed prævius discursus illud aliquo modo prædemonstrans sufficit. Prosperitates adeò raræ sunt, ut spiritus propheticus illas prævidere oporteat, nec alia cognitio illas tam longè absentes cognoscere posset, quàm supernaturalis; ut autem tribulationes cognoscamus nobis naturales, & quotidianas, lumen naturæ sufficit;

Prædictio pacis non adversitatis verum Prophetam facit.

ideoque, *Propheta qui vaticinatus est pacem, cùm venerit verbum ejus, scietur Propheta quem misit Dominus.* Jerem. 28. 9

10. Cùm quis Leporem videret eo loco, quo sæpè venatio exerceri solet, non multâ prophetiâ opus esset, prædicere illum à canibus infestandum fore. Sed mundus quid aliud est, quàm venationis locus? Nónne legistis S. Antonium illum vidisse laqueis plenum? Quomodo hos effugere poterimus? Fugâ, ut Lepores, aut Cervi; *Qui perfecit pedes meos tamquam Cervorum*; ideoque ab his laqueis expediri quærens, dicebat: *Ipse liberabit me de laqueo venantium*; Canes autem persequentes, tribulationes sunt; *Virum injustum mala capient in interitu*; Textus Hebræus habet *mala venabuntur*; mala, afflictiones, & calamitates, ad venationem omnium procedunt; sed contra obstinatos peccatores, ut eos supplicio, aut morti tradant; ad bonos autem, ut eos à laqueis exuant. Quis ergò indivinare non poterit homines ab his canibus tribulari, & affligi debere? Finxit acutè quidam Poëta, lamentationem Leporis, qui se nullibi à canibus securè latere posse dicebat: si enim à terra ad mare fugiebat, illum canes pisces persequebantur, si in cælum conscendere vellet, stella quædam se in canem mutaverat, ut illum persequeretur.

Leporis instar, homo undique exagitatus.

Psal. 17. 34.

Psal. 90. 3.

Psal. 139. 12.

Homo à tribus canibus infestus. Verius tamen de homine certificari poterit, illum nullo loco quietè consistere posse: sive enim in mare turbationum, & occupationum descendat, aut in altam ascendat dignitatem; numquam canes deerunt illum molestantes. Considerans autem David, omnes hos esse Dei
Psal. 138. 7. ministros, dicebat: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum ades.* Dicamus quoque, à cane terreno, marino, & cælesti, hominem persecutum esse; tres siquidem crudelissimos habet inimicos; carnem, quæ canis terrenus,
1. Cor. 15. 47. quia ex terra formata; *Primus homo ex terra, terrenus*; mundum
Apoc. 17. 15 quasi canem marinum, quia; *Aquæ quas vidisti, populi sunt & gentes*; & diabolum, ut canem cælestem, unde Apostolus aiebat,
ad Ephes. 6. 12. pugnandum nobis esse; *Contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Inseparabiles ergò tribulationes ab homine sunt, & consequenter naturales, quia accidentia non naturalia possunt homini adesse, & abesse.

11. Si verò clariorem horum probationem desideras; considera semel quid sit natura, Ari-
Aristot. 2. physic. stoteles illam definit; *Principium motus, & quietis*; nihil ergò naturæ proprius motu, cujus illa principium; & quælibet natura particularem habet, Aristoteles siquidem ex diversitate motuum, numerum elementorum colligit. Sed quem creditis particularem & proprium motum naturæ humanæ esse? Fortè descensus? non, quia hic proprius est elementi ponderosi & gravis, ut est terra, & prout terrenus est, & non quantum homo, illi competere potest. An motus progressivus? ne quidem, hic enim omnibus animalibus communis; oportet ergò particularem invenire ipsi proprium; uti avibus, proprium est volare, & piscibus natare. Quis ergò erit? Alium reperire non possem, nisi operari, & fatigari; nec solùm hæc mea est opinio, sed S. Job dicentis: *Homo nascitur ad laborem, & Avis ad volatum*; particula illa *&*, quandoque vim similitudinis habet in sacra scriptura; ita ut tantum sit dicere, sicut volatus naturæ avium proprius est, sic laborem & tribulationem proprium motum naturæ humanæ esse. Clariùs probatur, quæ vita mercenarii, ejusque officium? Laborare, quæ vita hominis? Mercenarii, *& sicut Mercenarii dies ejus*; vita ergò ejus aliud non erit, quàm labor & afflictio. Quod Araneæ officium? Texere, & retexere tanto labore, ut omnia consumat viscera; simili modo dies suos & propriam vitam consumit homo; *Anni nostri sicut Aranea meditabuntur.* Dicet fortè quispiam homo duas habet partes, & licèt

Quis proprius hominis motus?

Job 5. 7.

Labor, & afflictio.

Job 7. 1.

Psal. 89. 10.

cèt proprius corporis motus videatur esse labor; animi verò motus, non est operari, sed intelligere, quæ est operatio nobilissima, & delectabilis.

Discurrere labor est. 12. Respondeo, esse duos modos intelligendi, unus sine discursu, & simplici intelligentia est, & hic sine labore, non tamen homini proprius, sed Angelis tantùm; alter per discursus, syllogismos, & enthymemata, aliaque similia argumenta; & hic quia homini proprius, plenus est labore, fatigatione, & tribulatione. Unde meritò aiebat Sapiens: *Qui addit scientiam, addit & laborem*: vel ut alii legunt, *addit dolorem.* Dices non tota naturæ definitio sic explicata est; non solùm quippe est principium motus, sed etiam quietis; non solùm ergo laborem adferet, verùm etiam quietem, & cessationem à labore? Respondeo verum esse, quod sit principium quietis; sed quid per hanc quietem intelligitur? Tale quid intelligitur, ut ne illud habeas, eligeres potiùs omnem laborem: mors ipsa intelligitur. Fidem faciet S. Joannes in sua Apocalypsi: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodò jam dicit spiritus ut requiescant à laboribus suis.* Dum ergò vivimus, non quiescimus; & magni faciendum, quietem in morte reperire. Cùm ergò in templo intonare audis; *Requiem æternam dona eis Domine*, statim colligis, aliquem mortuum esse, quia in hac vita nulla requies promittitur. Hoc quoque intellexerunt, primi mortales ante diluvium, illi siquidem cum per centenos annos viverent, meliori complexione, & majori fortitudine, dotati erant; tantamque terræ amplitudinē possidebant, quantum volebant. Terram quoque habebant fertiliorem, & abundantiorem quàm nostris temporibus, unde videbantur à labore, & fatigatione magis immunes, quàm nos sumus. His tamen non obstantibus, nullam in hac vita, sed in morte tantùm requiem inveniebant.

Eccles. 1. 18

Apoc. 14. 13.

In hac vita nulla quies.

Quomodo Noë quietem attulit? 13. Cùm nasceretur magnus ille Patriarcha Noë, pater ejus spiritu prophetico plenus, hoc nomen Noë, quod quietem indicat, illi imposuit, dicens: *Iste requiescere nos faciet ab operibus nostris*: ita Septuaginta Interpretes verterunt. Nos autem legimus in vulgata editione; *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum*; Sed quomodo Noë quietem attulit, & consolationem mortalibus? Respondet S. Joannes Chrysostomus, *Quietem vocat generalem illum interitum. Ruina illa universalis, illud diluvium mortales vitâ privans, requies vocatum est,* ita ut quies & mors, idem sint; sicuti pax est finis belli, ita quies est finis humanæ vitæ: quia vita, & bellum

Gen. 5. 29.

& bellum idem sunt juxta dictum Prophetæ Job: *Militia est vita hominis super terram.* Dicamus quoque hominem lucernam esse, ut dictum est Prophetæ Davidi; *Ne extinguas lucernam in Israel,* sed quale putatis oleum esse hanc lucernam fovens? Humidum radicale dicent medici; melius tamen nos dicamus passionem, seu tribulationem esse, cujus symbolum est oleum. Ad hoc videtur allusisse redemptor, dum morti vicinus dixit: *Consummatum est;* quasi diceret, oleum lucernæ combustum est, & me mori convenit. Quid autem intelligebat consummatum esse? certè passionem suam, ideò parum ante dixerat; *Sitio,* ut crudeles illi ministri occasionem haberent, fel ipsi offerendi, & acetum; sicque omnis passionis exstitit finis. Hoc ergò recepto dixit; *Consummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum*: quasi diceret, oleo finito oportet lucernam extingui.

Job 7. 1.

Homo lucerna, oleum tribulatio.

Joan. 19. 30

ubi suprà.

14. Medici dicunt, cibo oleum humanæ lucernæ, sive vitam hominis conservari; cibus hominis, est labor, David siquidem dicit: *Labores manuum tuarum quia manducabis.* Quid cibo efficis? In ore ponis; idem de labore præstas, quia teste Sapiente: *Omnis labor hominis in ore ejus,* si autem plures cibos habere cupis, labore acquirendi sunt; *Quoniam,* inquit Apostolus, *si quis non vult operari, nec manducet.* Molesti ergò vitæ labores, & mœsta mortis requies, sunt æqualiter legitimi partus naturæ. Quis insuper non confitebitur spinas Rosæ naturales esse, utpotè quæ ex eadem radice prodeunt, & ab ortu ad interitum usque illam custodiunt? Verum quidem est S. Basilium dicere, à peccato spinas originem trahere; omnes tamen alii Theologi affirmant ipsi naturales esse; non aliter quàm serpenti naturale est per terram serpere. Homo verò quis est? *Quasi flos egreditur, & conteritur;* Hebræi legunt, *quasi Rosa,* potest ergò dici spinas tribulationis quæ ipsum ab ortu vitæ usque ad mortem associant, ex natura sua, & non aliunde prodire.

Sicut labor homini & spina rosa naturalis, sic tribulatio.

Psal. 127. 2.

Eccles. 6. 7.

2. Thessal. 3. 10.

Job 14. 2.

15. Regula insuper Philosophica est, experientiâ ipsâ probata; *Nullum violentum durabile esse.* Nullus lapis se in aëre firmare potest, quia violenter ibi manet; in terra autem continuò manet, & quiescit, quia locus ille naturalis ipsi est. Juxta hanc regulam argumentari possumus, illas qualitates in quibus homo diu permanere potest, illi naturales esse; illas autem quibuscum permanere non potest, contra naturam & violentas esse. Videamus ergò in quo diutiùs homo permanere possit, in labore, & tribulatione, an in deliciis, & consolatione? Quo considerato,

Tribulatio naturalis quia magis durabilis.

appa-

apparebit, quid illi connaturalius fuerit. Quanto tempore homo famem pati potest? diebus integris pro certo; quanto verò tempore in comestione lautissimorum ciborum? vix una hora, aut altera. Connaturalior ergò homini fames, tribulatio, & dolor, quàm delicatè vivere. Quanto tempore homo in lachrymis & tristitiâ perseverare potest? Annis integris, & totâ vitâ, uti Jacob agere cogitabat dicens:
Gen. 37. 35. *Descendam ad filium meum lugens in infernum*; quanto tempore perseverare potest, in gaudio & risu? parvo tempore alioquin creparet & moreretur, ut Protogeni aliisque diversis accidit: connaturalior ergo homini plâctus, & tristitia, quàm risus & lætitia? Quot sunt qui in doloribus & afflictionibus annos, & lustra consumunt? infiniti sunt; Quot sunt qui in gaudiis tot annos peragunt? vix ullus, aut pauci, connaturaliores ergò sunt homini dolores & afflictiones, quàm gaudia. Ut ergò pateremur, affligeremur, & contristaremur, nos produxit natura in hunc mundum; adeò quoque vehemens fuit ejus desiderium de tribulatione nostra perferenda, ut non contenta se omnes vires adhibuisse, ingenio suo, & stratagemate usus fuit, ut illud non adverteremus, & laqueos ejus effugeremus.

16. Ad hoc propositum mihi in mentem venit, quod Plinius de Elephante refert; maximè illum mare timere, nec umquam se in navim duci sineret, nisi fraude adduceretur; Quid ergò conductores efficiunt? naves littori adjungunt per pontem terrâ coopertum, & frondibus, ita ut Elephas per illum transeundo, se putet per terram incedere, atque ita non advertendo, se in navi reperit. Simili deceptione natura uti videtur cum homine, advertit illum nascendo cognoscere, se in mare tempestuosũ, qualis est vita nostra, intrare; retrocedere cuperet, & potiùs in ventre matris, aut morte remanere, quàm civis hujus miserabilis mundi fieri. Quid effecit? usum rationis illi abstulit, ut nascens non cognosceret, aut adverteret, & sese in hisce miseriis reperiret absque eo quod sciret, quomodo venerit: ideoque optimè dixit moralis Philosophus; *Stratagema naturæ, homines absque rationis usu nasci.* Non tamen efficere potuit natura, ut nascens non ostenderet se involuntariè hunc mundum intrare, & econtrà libenter ad sepulturam progredi. Notat Plinius hominem nasci capite præcedente, sed pedibus præcedentibus ad sepulturam deferri; quasi ad hanc libenter procederet, ad mundum illibenter, & renitendo veniret.

Cur homo absque rationis usu nascatur.

Plin. lib. 7. cap. 8.

Hoc pariter conforme est dicto Sapientis; *Laudavi*, inquit, *magis mortuos, quàm viventes, & feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est*; Plinius inquit Neronem pedibus ante natum esse, ideoque se semper inimicum humani generis præstitisse, quasi natura hominis inimica, voluntariè illum nasci efficeret, ut esset carnifex, & tortor hominum.

Eccles.4.2.

Cur homo nascens subitò plorat.

17. Primum quod homo natus agit, est lacrymari; quasi de mala sua fortuna dolens, & incipiens morem regionis ad quam venit imitari, ac operationem statui suo convenientem assumere. Dum princeps possessionem Regni accipit, actum jurisdictionis & principi proprium exercere solet. Ottomani quia Barbari erant, aliquem interficere curabant. Nostri principes ut generosi, & liberales; Equites creant, dignitates conferunt, munera distribuunt; cumque aulicus primò domum principis intrat, aliquod illi assignatur officium exercendum, quod exercens, dicitur possessionem accipere. Pari modo homo in hunc mundum veniens, ubi otiosus esse non potest, aliquod illi committitur officium, ut nimirum plangat, & defleat hunc miserum statum, sicque possessionem vitæ accipiat, hinc Salvator dum ad hanc mortalem vitam Lazarum amicum suum revocare vellet, flevit, quasi pro ipso possessionem recuperans.

Quia possessionem tribulationis accipit.

Ioan.11.34

18. Quis denique ignorat tribulationes nostras, & afflictiones ab ira Dei provenire? S. Joannes in Apocalypsi vidit septem Angelos, septem phialas irâ Dei plenas habere, & quid illis dictum? *Ite, effundite septem phialas iræ Dei in terram*; ab illa autem effusione maximæ nobis tribulationes provenerunt. Quin imò non solùm ira Dei vocata est occasio nostrarum tribulationum, sed afflictiones nostræ, nomine iræ divinæ vocantur; sic Moyses ait, *Misisti iram tuam, quæ devoravit eos, sicut stipulam*; id est castigatio tua, est maximum incendium, quæ devoravit, & combussit populum tuum ut stipulam aridam. Deus autem cum Moyse loquens, qui illum placare cupiebat, dicebat: *Dimitte me ut irascatur furor meus*; desine, inquit, me illos punire, ira quippe non est in Deo formaliter, sed accipitur pro effectu, qui ex ira prodire solet, pro castigatione videlicet. Sed iræ divinę, numquid naturaliter subjecti sumus? Certè ita, inquit S. Paulus; *Eramus & nos naturâ filii iræ*; nota *naturâ*; cur autem non ait potiùs servi iræ, quàm filii iræ, cùm servis castigationes magis propriæ sint, quàm filiis? primò ut naturalem connexionem indicet, inter nos, & iram divinam,

A Dei ira tribulatio provenit.

Apoc.16.1.

Exod.15.7

Exod.32.7.

ad Ephes. 2.3.

Cur homo filius iræ?

divinam, quia servus suâ voluntate, aut infortunio aliquo subditus est Domino suo, unde liberationem sperare potest; sed filius nascitur subditus patri, nec aliquo tempore sperare potest, se non fore filium; ut ergò sciremus maximam connexionem esse, inter nos & iram divinam, filios iræ vocat. Filiorum proprium est hæredes esse, bonorum paternorum; ut ergò sciremus thesauros iræ Dei, ad nos pertinere, & à nostris peccatis accumulari, ut inquit S. Jacobus; *Thesaurisas tibi iram, in die iræ*, filii illius vocati sumus. Nec sine mysterio in Apocalypsi de hac ira loquitur S. Joannes, ac si aqua fuisset, cùm dicatur in vasis collectam, & sparsam fuisse; ut nobis indicaret, sicut aqua naturaliter descendit, ita iram divinam naturaliter in nos descendere. Sicut quoque aqua vaporibus inclusa in altum elevatur ibique manet; sic ira Dei à peccatis nostris ad Deum vindictam clamando ascendit, ut iterum in nos defluat.

ad Rom. 2. 5.

Apoc. 16. 1.

Non videtur natura tribulationis origo?

19. His rationibus allegatis, natura videretur convicta, nisi tempus & locum defensioni suæ expostulasset; quam modò fas est auscultare antequam sententiam feramus. Primò ergò facillimè poterit quis advocatus ejus respondere, quomodo fieri possit; ut natura sit malorum, tribulationum ac pœnarum origo, si inter illas perpetua, & immortalis sit inimicitia? Si adeò sibi invicem sunt contrariæ, ut se inuicem consument, & destruant? ut non solùm pœnæ & afflictiones naturam deterreant; verùm etiam natura omnem vim & vigorem tribulationi, & afflictionibus auferat: ubi siquidem naturaliter sunt, jam non ampliùs tribulationem, dolorem, aut afflictionem adferunt, sed consolationem, & pacem. Quæ est causa, quòd venenum homini vitam auferat, & serpentem conservet; nisi quòd serpenti sit naturale, homini autem contrarium? Cur lumen solis clarè intuitum, oculis humanis cæcitatem adfert, Aquilinis autem delectationem, & vigorem; nisi quod Aquilæ naturæ conveniens sit, humanæ autem naturæ inconveniens? Tribulatio ergò nocétne? An Aquilarum instar oculos fixos tenere poterimus? Audi Davidem hominem alioquin robustum dicentem; *Miserere mei Deus quoniam tribulor*; Psal. 30. 10.
Quid tibi deest? quomodo oculus tibi dispositus? afflictus sum, &, *conturbatus est in ira oculus meus*; imò venter meus, quia venenum me undique exagitat, & conturbat; *Anima mea & venter meus*. Ibid.

20. Figurâ hominis idem probari potest; antiquitùs, mancipium percutere volentes, caput ejus inter genua firmabant, ita

Qualiter servos olim percutiebant?

ita ut pilam ex corpore ejus formare viderentur, totumque corpus absque ulla defensione, flagris commodè expositum erat. Ad hoc respexisse videtur Propheta Elias, qui cupiens Deum placare, & dudum promissam impetrare pluviam, caput venerandum, inter genua reclinavit; quasi diceret, ecce Domine promptum me constituo, ut recipiam castigationes populi hujus, ecce me mille pœnis dignum confiteor, & misericordiam, non justitiam deprecor. Quænam est hominis figura? An curva utpotè flagris exposito similis? In ventre quidem matris tali figurâ præditus; genitus autem se erigit & erecto ad cælum vultu tendit: quia *Deus fecit hominem rectum*, quasi ad dominium, & imperium destinatum; unde Sapiens dicit; *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Non ergò mors, & tribulatio nobis connaturalis; quia in libertate nostra est, & liberum contrà distinguitur naturali; hoc est determinatum ad unum, illud autem est indifferens, & potest hoc vel illud apprehendere. Si ergo homo poterat arripere mortem, & non arripere; clarum est non esse sibi connaturalem; Hæc humana libertas pulcherrimo mysterio repræsentata fuit, in numero hominum, qui in Arca Noë salvati fuerunt: de animalibus quæ Deo offerri poterant, & ab hominibus comedi, præceperat Deus ut ponerentur septena, & septena, id est quatuordecim, ut intelligit Justinus Martyr; de aliis verò duo, & duo, id est quatuor. Homines autem quot fuerunt? Nec quatuordecim, nec quatuor, sed octo, non annumerati mundis, nec immundis, nec animalibus morti destinatis, nec illis quæ attingere illicitum erat, sed in medio constituti, quasi liberi existentes, ut se illi parti cui placebat, adjungere possent. A libertate ergò, & non à natura tribulationes suas recognoscere debent.

Eccles. 7. 30

Eccli. 15. 18.

Homo in tribulatione liber videtur.

21. Dico insuper naturam non humanæ tribulationis matrem, sed unicum fontem omnium deliciarum, & voluptatum esse; ut amabilis enim & chara mater ubique amarum dulci commiscet, uti bibendo, comedendo, videndo, operando, & audiendo, semper à natura delectationem, & bonum recipimus. Si hæc verò probatio tibi non videatur efficax, efficacissimam exhibebo, cui respondere non poteritis. Quis nescit eum, qui alium unicè desiderat, & vocat, non illi fore occasionem tribulationis, afflictionis, & miseriæ? Sed quid à natura intimius desideratum, & amatum, quàm homo? Imò quid extra hominem diligit?

Natura non tribulationis sed deliciarum mater.

git?

git? Dicunt Philosophi finem, & terminum ad quem omnes nostræ operationes ordinatæ sunt magis amari, quàm alia omnia; ad hunc quippe omnia media diriguntur, ab eo omnia alia dependent; ille per se solum amatur, & cætera propter ipsum. Sed quem creditis naturæ finem & terminum esse ad quem suas operationes dirigit? Quare tot diversa producit, & alia iterum consumit? Cur continuò cælorum orbes revolvit? Cur terra firmatur, elementa mutantur, animalia vivunt & laborant? Cur tanta diligentia in conservatione specierum; tanta providentia in distinctione temporum, tanta sapientia in commixtione contrariorum, tanta cura in conservatione cujusque rei? non ad alium certè finem, quàm ad servitium hominis, ipse scopus & finis, ad quem omnes naturæ operationes directæ. Ita testante magno illo Philosopho, & naturæ secretario Aristotele, qui libro secundo naturalis Philosophiæ ait; *Sumus & nos quodammodo fines*: idem S. Paulus attestatur dicens: *Omnia propter vos.* Idcirco prudenter David de herbis loquens ait: *Producens fœnum jumentis, & herbam servituti hominum.* Sed fœnum & herba numquid idem sunt? Quomodo ergò dictum, *fœnum jumentis productum, & herbam servitio hominis*, quasi essent duo diversa? Et quasi homo se herba pasceret, sicut jumenta fœno? Respondetur tamen tantum esse dicere, servituti hominum, quàm dicere jumentis; natura siquidem jumentis non propter illa cibum præbet, sed ad hominis servitium, sicuti servis ratione dominorum cibus præbetur. Si homo ergò omnium operationum naturæ finis est, ipse præ omnibus aliis à natura amatur; imò solus ipse amoris ejus objectum est, qui erga hominem immensus est. Quomodo ergò condemnabimus illam ut occasionem omnis tribulationis nostræ? Hæc nimia foret ingratitudo. Si autem propter rationes contrarias aliquis restat scrupulus, ecce in promptu alia probatio & responsio adest.

Natura cuncta propter hominem producit.

2. Cor. 4. 15

Psal. 103. 14

22. Quid dicitis à natura non fuisse necessaria homini subministrata ut victus & vestitus & arma? verum quidem est, sed modum dedit providendi, & hic maximus reputatur favor. Nónne major favor est lautissimam alicui offerre mensam, & inde sumere cibum magis sibi arridentem, quàm unicum offerre cibum? Hoc secundo modo animalibus natura providit; aliquibus fœnum, aliquibus vermes, aliquibus carnes animalium; homini verò lautissimam mensam omnium ciborum totius mundi providit; pisces maris,

Natura cuncta homini tribuit.

ris, volatilia cæli, herbas, & animalia terræ, ut manum extenderet, & arriperet sibi placentia; non aliquem particularem dedit, ne privaret altero; uni determinare noluit, ut dominus omnium esset; sicuti nullo colore oculi pupilla prædita est, ut omnium sit capax, illosque recipere possit: & nullo sapore naturaliter lingua condita est, ut omnes gustare posset. Idem de vestibus, & armis dici potest; si enim natura te plumis cooperuisset, non posses te alio vestitu ornare, sed te nudum & inermem exhibendo, tuo arbitrio reliquit assumere vestes & arma tibi placita.

Homo insignioribus titulis decoratus.

33. Quid dicitis Philosophos mirabiliter naturalem hominis miseriam descripsisse? sed quot aliis titulis, & descriptionibus nobilioribus, & excellentioribus, bonitas, & præcellentia ipsius ab ipsis aliisque relata est? A Mercurio Trismegisto magnum miraculum dictus; à Platone parvus mundus; ab Aristotele finis omnium rerum creatarum; ab Arato cognatus Dei; à S. Dionysio Areopagita dominus universi; à S. Gregorio Nazianzeno magnus mundus; à S. Basilio animal ad Imperium natum; ferarum dominator, & Imperator creaturarum, à S. Chrysostomo; Rex operum altissimi, & Angelis æqualis, à S. Gregorio Nysseno; compendium omnium creaturarum, à S. Gregorio; simulachrum vivum ipsius Dei, à S. Damasceno; opus singulare divinæ sapientiæ, à S. Epiphanio; artificiosa confectio divinæ manus, à S. Hilario; rectè ordinata respublica, à S. Hieronymo; prodigiorum maximum, à S. Augustino; gloria divinitatis, à S. Ambrosio; præfectus & gubernator viventium, à S. Cypriano; alter Deus, à S. Irenæo; sicque variis & honorificentissimis titulis à SS. Patribus decoratus fuit. Sicut ergò iis qui brevem vitam à natura homini datam conquerebantur, respondet Seneca; *Non accepimus brevem vitam, sed fecimus, nec inopes ejus, sed prodigi sumus*: ita illis, qui de miseria sua maximè dolent mihi respondendum videtur; *Non miseram accepimus vitam, sed fecimus, nec inopes bonorum sumus, sed prodigi*. Prodigi sanitatis quam inordinatis nostris actionibus perdimus; prodigi fortitudinis, quam otio debilitamus; prodigi ingenii, quod superfluis curis offuscamus; prodigi libertatis, quã variis passionibus devincimus; prodigi cordis, quod inconsideratè donamus; prodigi divitiarum, quas inordinatè expendimus; prodigi honoris, quem infamibus sceleribus contaminamus; prodigi vitæ, quam sine necessitate mille periculis exponimus.

Nostrarum rerum prodigi sumus.

24. Quid

Homo perfectionum compendium.

24. Quid dicebatur hominem esse omnium vanitatum acervum? Sed nónne recordamini illius quod S. Gregorius ait; illum pariter esse omnium creatarum perfectionum compendium? Non meministis illius sententiæ Prophetæ regii; *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves universas, insuper & pecora campi?* Si perfectione abundat, quid mirum si imperfectionibus non careat? Quid dicitis, secundùm Poëtas lacrymas ex terra in hominem coagulatas fuisse per Prometheum? Sed non advertistis, ab eodem Prometheo ignem cælestem illi fuisse inditum, cujus ardore omnis lacrymarum humor exsiccari poterat? Quid dicitis, homini duo vasa fuisse donata, unum malis plenum, alterum quasi bonis vacuum; sed cur non dicitis vas bonis refertum, Pandoræ donatum, quod aperiens, omnia deciderunt; quo exemplo veteres sapientes indicabant, mulierem, & non naturam, omnium malorum nostrorum causam extitisse? Quid dicitis, bonum ad cælos evolasse? Sed cur non adjungitis alas homini datas, ut illud insequi, & apprehendere posset. Quid dicitis prædictiones malorum facillimè verificari, sed nescitis prædictiones futurorum esse, & futura non esse præsentia? Si ergò tribulationes prædicuntur, signum est nos illas non pati, sed timere. Prosperitates econtrà quæ non expectantur, præsentes sunt. At melius dicamus, apud Homerum somnia felicia falsa esse & infelicia vera; cùm enim pro auctore somniorum non naturalium non cognoscat alios, quàm falsos suos Deos, qui veri erant diaboli; rectè naturam illorum explicabat, quod semper nimirum decipere, aut nocere cuperent; sicque somniis bonis sed fallacibus decipiebant, uti semper falsæ sunt promissiones illorum, & minùs veræ minæ eorum. Idcircò volebat Deus ut signum veri Prophetæ, fuisset eventus bonorum prædictorum & non successus malorum; quia semper bonum nostrum intendit, & illibenter malum prædicere curat.

Psal. 8. 8.

Argumentis contrariis respondetur.

Somnia felicia cur falsa dicta?

25. Quid dicebatur, hominem ut leporem esse undique inimicis, ut canibus circumdatum? Verum quidem est, sed hoc provenit, ex possessione, & abundantia bonorum, ratione quorum est infestatus; quia benè scitur pauperes à latronibus non infestandos, nec animalibus inutilibus à venatoribus tendi laqueos. Hi insuper persecutores extrinseci sunt, ideoque damna quæ adferunt, non naturæ tribuenda, quæ intrinseca est. Quid dicebatur laborem motum proprium naturæ esse? bene quidem sed non advertitis, hunc

tibi pro saccaro deservire, & condimento ciborum & vitæ? Quis enim cibus adeò insipidus, qui labore, non dulcis & suavis redditur? Quis econtrà cibus adeò suavis, & delicatus, qui hominibus otiosis, & sine labore, non adferat fastidium, & nauseam? Sine labore quid esset vita tua? vix certè à morte differret, quia ut inquit Seneca; *Otium est hominis vivi sepultura.* Quod optimè intellexit nobilis quidam Tiberii Imperatoris, cui cùm propter senectutem exemptio laborum, & negotiorum concessa esset, se in feretro mortuorum constituit, & convocatâ familiâ, jussit se ut mortuum defleri. Hujus rei notitia cùm Imperatori allata esset causamque extraordinarii illius luctus quæsiisset, audivit à prædicto tantum esse privare illum officio suo, quantum ei mortem causare, ideoque mortui instar, sepeliri volebat; cùm autem assueto labori restitutus fuisset, à morte resuscitatus videbatur, ideoque totum se lætum, ac hilarem exhibuit. Quid dicitis, hominem nasci ut Rosam inter spinas? Verum est, sed spinæ cur rosæ datæ? An ut vulneret? an ut offendat? certè non, sed ut se conservet, & defendat. Si ergò à natura hominibus spinæ tributæ sunt, non erit ut pungat, & vulneret seipsum, sed ut offendere cupientes avertat.

Labor ciborum condimentum.

26. Quid dicebatur, hominem tribulationibus sufferendis aptiorem, quàm voluptatibus? Verum est, sed hoc inde provenit, quia natura harum amatrix, illarum verò inimica est; sicut enim quis faciliùs occiditur à traditore, sub specie amici aggredientis, teque improvisum, ac inermem occidentis, quàm ab inimico aperto, contra quem paratus incedis; sic à voluptatibus, & delitiis natura faciliùs offenditur, quia ab illis non se præcavet, sed ut amicas recipit, & sine difficultate aggredientes, illam deterrent. Tribulationes autem & pœnæ ab ipsa ut inimicæ sustinentur, unde contra illas armata procedit, & si vincatur, ad minus diu illis resistit. Quid dicitis naturam decepisse hominem, & stratagemate in mundum induxisse? Sed si ita est, quis modò te retinet, ut oculis apertis, non inde te eximas, & mortem irruentem non libenter amplectaris? Si modò ergò exire non displiceat, nec tunc quidem displicuisset intrare. Non ergò dici potest hominem deceptum fuisse; si autem deceptionem appellare cupis, erit dulcis deceptio, & utilis. Immeritò ergò de natura conquereris, sed de te ipso jure meritò, qui à præceptis naturæ discedens, & consiliis ejus repugnans, tibi ipsi carcerem afflictionis, & doloris constituis.

Natura delitiarum amica.

Tribulationis inimica.

Natura non decepit hominem in nativitate.

27. Vellet

Natura paucis contenta, homo multum appetit.

27. Vellet natura te paucis contentum fore, famem pane expelleres, sitim aquâ extingueres; quia *Initium vitæ hominis, panis, & aqua*: quod si faceres, sanus, & contentus viveres; sed tu crapulâ, & superfluitate ciborum, naturam aggravans, mille infirmitatum, & dolorum receptaculum efficis. Simplicem vestem te à frigore, & nuditate defendentem quærit natura; quod si efficeres, levis, & liber ab omni difficultate esses, omnique minimâ facultate contentus. Tu verò superflua ornamenta quærendo, ut splendidè vestiaris, te in necessitate plurimas conquirendi divitias constituis; quas ut possideas, mille fraudes, & violentias committere non dubitas. O quàm feliciter mundus degeret, si dictamini naturæ se conformaret? Non videret infirmitate quasi sepultum jacere hominem alium ob crapulam, & ebrietatem fame perire; hunc argento & auro fulgere, alium non reperire unde se cooperiat. Non tot audirentur pauperum lamenta, & violentiæ divitum; non tot in tribunalibus injustitiæ, non tot lites, aut discordiæ, pro palmo terræ, aut vili negotio, quia nullus indigeret. Peccant ergò homines contra præcepta naturæ, ideoque tot sunt tribulationes, particulariter autem divites, qui tantâ prodigalitate expendunt divitias quas in sustentationem pauperum contribuere deberent. Natura ergò vos exhortatur, precatur, & obsecrat, ut tot pauperes fame perire non sinatis. Aristoteles licèt gentilis quadam vice pauperi eleemosynam elargitus, & interrogatus, cur scelesto homini succurreret, prudenter respondit, in illo naturam mihi & illi communem respexi, non verò peccata. Nolite ergò permittere ô Christiani, ut vincat vos gentilis, sed largas pauperibus effundite eleemosynas.

Tribulationes non à natura, sed ab homine.

SECVNDA PARS.

Diversitas naturarum.

28. Videtur nunc omninò in naturæ favorem concludi, non tamen hoc absolutè ita intelligendum, & sine limitatione admittendum. Ut ergò melius singula capiamus; advertendum est Philosophos hoc nomen naturæ distinguere, & dicere aliam esse naturam universalem, aliam particularem, aliam naturam naturantem, aliam naturam naturatam. Natura universalis, aliud non est, quàm ordo, & dispositio quâ se mundus conservat, & gubernat. Natura particularis, est esse cujusque rei, unde dicitur aliam esse naturam hominis, aliam equi. Natura naturans, est Deus auctor, & principium omnium naturarum; natura naturata, est

natura aliarum cunctarum rerum, in quantum à Deo ordinata. Advertendum insuper duobus modis effectum causæ alicui attribui posse, vel quia illum directè, & voluntariè producit, & à Philosophis vocatur causa per se, vel quia indirectè, & extra intentionem suam effectus sequitur, & à Philosophis vocatur causa per accidens.

Natura per accidens tribulationis causa.

29. Dum ergò à me inquiris si natura sit occasio tribulationis humanæ, respondeo nullam naturam per se esse causam, sed tantùm per accidens. Non esse causam per se probatur à communi Philosophorum axiomate, corruptionem & mortem à natura non intendi, nec per se illam velle. Ergò dico ego nec alias tribulationes, quæ sunt viæ ad corruptionem, & mortem. Naturam naturantem, Deum videlicet, non esse causam probatur, quia multoties præter ejus voluntatem accidunt, nunc enim dicitur; *Deus mortem non fecit*, nunc, *fecit hominem rectum*; nunc *nec lætatur in perditione vivorum*; nunc, *vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona*. Licèt quoque verum sit ipsum quandoque immittere pœnas, & tribulationes in mundum; non tamen hoc ut auctor naturæ efficit, quod proposito nostro inservit; sed ut judex, aut pater, aut medicus, vel sub alio titulo, ut alibi dicemus.

Sap. 1.13.
Ecclef. 7. 30.
Sap. 1. 13.
Gen. 1.31.

30. Quantum ad naturam particularem, eadem conclusio experientiâ confirmatur, videmus siquidem unumquemque naturaliter fugere, & abhorrere omnes afflictiones, dolores tribulationes, & pœnas. De natura universali eadem conclusio approbata manet; cùm enim illa sit Dei ministra, voluntati suæ in omnibus se accommodat, nec dici posset Deum esse tribulationis patrem, si illa non esset mater. Tribulatio tamen per accidens à natura causata, sicut medicus sanitatem infirmi intendens, vult ipsum amaram potionem sumere, & dolorem pati. Sicut etiam Rosa plantatur, ut pulcher flos eveniat, spinas tamen non desideratas producit. Pariter mors, aliæque tribulationes naturales vocantur, quia sequuntur naturam, & ab illa hoc modo producuntur. Differentia tamen est inter naturam universalem, & particularem; illa bonum universale respicit, quod ut obtineat, oportet quandoque particularem affligi; v.g. ne detur vacuum, facit elementa naturalem modum & ordinem immutare; utque aliud generetur, alterum corrumpi necesse est. Natura autem particularis respiciendo solùm bonum particulare clientis sui, idque illi procurando, quandoque tamen tribulationis occasio est; quantò siquidem illi

Quomodo natura tribulationis mater?

majorem tribuit perfectionem, tantò magis afflictionibus, & tormentis exposuit. Ut v. g. homo omnium elementorum contineret virtutem, noluit unum multum excedere alterum; ut in lapidibus terra efficit, & in liquoribus aqua, sed mirabiliter commiscuit; & hinc continua inter ea pugna, quæ multas infirmitates,& afflictiones causat. Voluit pariter animam rationalem provideri subtilissimis instrumentis, quæ nobilissimæ suæ operationi convenirent; ideoque corpus ex carne tenerâ compositum tribuit; hincque magis calorem & frigus sentit, & doloribus, afflictionibusque aptius dispositum.

Homo ut cythara & horologium.

31. Simile quoque in instrumentis artificialibus videmus; faciliùs siquidem Testudo, & Cythara dissolvuntur, & corrumpuntur; quàm campana, aut tympanum, quæ hujus rei causa? quia illæ nobiliores, & perfectiores sunt, & dulciorem ac suaviorem sonum eliciunt. Libenter artifex illis firmitatem tympani, aut campanæ tribuisset; sed volens dulciter resonare, non potuit efficere, ut pariter fuissent solidæ & robustæ, sed fragiles & debiles effecit. Si quoque artifici diceres ut horologium tibi conficeret, quod numquam erraret, & adeò fortè ut numquam rumperetur, adeò mobile, ut numquam desisteret; responderet hoc impossibile esse, cùm tantis rotulis indigeat, totque ferris, circulisque se invicem tangentibus consistat; unde facillimè unum alterum impedit. Ita pariter dicamus hominem pulcherrimam Cytharam, juxta dictum propheticum; *Venter meus ad Moab quasi Cythara sonabit*: Et insigne horologium, in quo sunt pondera sensuum, rotæ potentiarum, & alia membra; ita ut mirum non sit, si facilè interrumpatur, aut disordinetur. Unde verba illa Isaiæ, naturæ applicari possunt: *Vt faciat opus ejus, alienum est opus ejus ab eo.* Ut opus perfectum efficiamus, oportet opus mille periculis expositum conficere, quod non vellemus. Mulier gravida, parturire vellet, sed non tantos sentire dolores: ita natura, quæ *ingemiscit, & parturit usque adhuc*, amat hominem, & voluntariè in mundum producit, sed displicent illi dolores & afflictiones necessariò consequentes. Huc usque Philosophus procedit.

Isai. 16. 11.

Isai. 28. 21.

32. Theologus hanc materiam magis penetrans, dicet; sicut in omni alia re, est substantia & accidens; in homine v. g. corpus est substantia, & calor est accidens; ita in natura, est substantia ejus, & accidentia extrinseca. Si de substantia loquamur, non est ipsa tribulationis occasio, nisi eo modo quo dixit Philosophus,

Quomodo Theologus hoc intelligat?

losophus. Si verò de accidentibus sermo sit, potest dici omnium malorum nostrorum causa. Exemplis res clarior fiet. Narrat Ælianus quosdam fissores lignorum sitibundos fonti vicino & claro assedisse, ut se reficerēt; sed ecce ubi refectionem invenire sperabant, mortem reperiunt: licèt enim ardor sitis extingueretur, & palatum deciperet, ad cor tamen penetrans, vitam abstulit; occasionem ergò hujus rei inquirentes, serpentem invenerunt qui veneno fontem infecerat. Non aliter natura nostra ut clarus fons erat, & ob rerum omnium abundantiam, apta medicina sitim extinguendi, & appetitum hominis perficiendi: infernalis verò serpens veneno peccati illum infecit; ex quo nos omnes qui ex hoc fonte aquam haurimus, infirmi, & morti proximi manemus; ideoque de serpente Salvator dixit: *Ille homicida erat ab initio.* Prudens quoque mulier Thecuitis naturam nostram aquæ currenti veneno infectæ assimulavit, dicens: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur*: hinc Apostolus ait; *Eramus naturâ filii iræ.* Sicut enim fons ille non per se, sed per accidens fuit causa mortis, quia veneno infectus; sic natura non per se, sed propter venenum mortiferum peccati, & culpæ originalis, occasio est mortis; nec contra hanc probationem argumenta contraria ullam vim habent.

Natura ut fons veneno infectus.

Joan. 8. 44.

2. Reg. 14. 54.

ad Ephes. 2. 3.

33. Quid dicebatur, tribulationem naturæ contrariam, illamque destruere? Sed tinea nónne pannum corrodit, unde nascitur? Et vermis nónne pomum corrumpit, unde generatur? Potest ergò benè esse, tribulationem naturam pro matre cognoscere, ut inimicam tamen consumere, & occidere. Hoc optimè cognovit patientissimus Job, ideoque dicebat: *Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.* Sic à doloribus, & calamitatibus, de corpore meo provenientibus, consumendus sum. Quid dicebatur, hominem figurâ rectum esse, nec propterea flagellis destinatum? Sed quoties superfluo pondere gravatus, aut desiderato, & vili objecto allectus, oportet se inclinare, & curvare? Sicut ergò recta ejus statura est argumentum suę excellentiæ & nobilitatis; sic necessaria ejus inclinatio efficit, quod non possit vivere sine tribulatione, idque rectè dicebamus, tribulationes à natura desideratas non esse, sed per necessariam consequentiam admissas. Quid dicebatur hominem liberum creatum, & in sua voluntate vitam & mortem, bonum & malum constitutum esse? Quantum ad vitam, & mortem verum est. In primo parente

Sicut tinea vestem, sic tribulatio hominem consumit.

Job 13. 28.

Hominis libertas in quo consistat?

te nostro Adamo; non quia ipse quoque non haberet naturam ad mortem inclinatam; sed per gratiam & privilegium singulare à Deo præservatus. Cùm autem mortem elegisset, non fuit amplius in nostra potestate illam rejicere; sed electio boni, & mali, de qua hìc non loquimur, de vitio videlicet, aut virtute, in potestate nostra adhuc remanet.

Ex delitiis tribulatio.

34. Quid dicebatur, naturam ut matrem amabilem, homini semper delitias procurare? Verum est, sed nescitis matrem quæ filios dulcibus cibis sæpè nutrit, illis infirmitatem, & vermes causare? Nescitis medicos dicere, ex rebus dulcibus facillimè choleram procreari? Magis quoque proposito nostro inquit Sapiens; quod, *Extrema gaudii luctus occupat*, & *risus dolore miscebitur*? Sic ergò natura dum delitias procurat, tribulationem & dolorem adfert. Quid dicebatur denique, naturam hominem amando non posse tibi tribulationem adferre? Imò quia amat, non vellet illum tanto bono privare. Cùm autem de natura loquamur, nolo rationibus vel auctoritatibus probare à lumine divino derivatis; sed unicâ Senecæ auctoritate qui lumine naturæ ductus scripsit, contentus ero. *Deus*, inquit, (nullam differentiam ponendo, inter Deum, & naturam) *quos probat, quos amat indurat, recognoscit, & exercet*; & paulò pòst exemplo Spartanorum, id confirmat dicens: *Numquid tu invisos esse Lacedæmoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem, publicè verberibus admotis? Ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros, ac semianimes rogant, perseverent, vulnera præbere vulneribus.* Declarato ergò, & ostenso quomodo fiat ut natura non sit tribulationis nostræ causa, ad documenta more solito transeamus.

Prov. 14. 13.

Natura quos diligit castigat.

Senec. lib. de divina provident.

De tribulatione non dolendum.

35. Primum igitur sit, non posse nos dolere de tribulatione nostra; potésne siquidem dolere te hominem esse? Certè non, imò maximas Deo gratias referre debes: non ergò dolere debes te afflictum esse: tribulationes siquidem necessariò consequuntur; *Homo sum*, inquit Seneca, *nihil humani à me alienum puto.* Propheta quoque David de aliquibus qui non recordabantur se homines esse dicebat; *Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.* Chaldæus autem Paraphrastes legit; *Immitte eis timorem*, & S. Jeronymus, *Pone Domine terrorem eis*; ad quem finem? ut tribulati recordentur se homines esse, adeò siquidem propria est homini tribulatio, ut ex illa subitò agnoscant se homines esse. Si cogites ergò te hominem esse, noli mirari, nec dolere

Psal. 9. 21.

dolere te esse afflictum; quia tribulatio census quidam, & impositio est, necessariò humanæ naturæ connexa. Si servum tuum ad emendas carnes mittis, carnes & ossa simul domum conferet; si autem dixeris, carnem solam volebam, cur ossa quoque tulisti? Respondebit hunc esse morem venditorum, ut non dent carnem sine ossibus; qui enim vult carnem necessariò ossa habere debet. Hic modus ab initio mundi incæpit; in Genesi dicitur, Deum costam ab Adamo cæpisse unde Evam formabat, & Adamo carnem pro ea dedisse; *Replevit carnem pro ea.* Quomodo autem hoc intelligitur? Credísne Evæ ossa solùm data, & Adamo carnem? deciperis, quia carnem & ossa habuit Eva, & carnem & ossa Adam; ideoque de Eva loquendo dixit: *Hoc nunc os, ex ossibus meis, & caro de carne mea*; & tamen Adamo solùm de carne fit mentio, & Evæ de ossibus; verum quidem est, sed hæc duo necessariò connectuntur, non enim datur caro sine osse, nec os sine carne. Velles carnem solam habere, id est solam dignitatem humanæ substantiæ sine tribulatione quæ consequitur hominem? deciperis, si vis carnem ossa quoque habere debes; & si non vis affligi, desine esse homo. Hanc connexionem optimè intellexit Propheta Job, ideoque dicebat: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non suscipiamus?* quasi diceret, non possunt haberi bona sine malis, non caro sine osse; si ergò libenter bona suscepimus, cur non sufferemus mala?

Non datur homo sine tribulatione.

Gen. 2, 21.

Ibid. 23.

Nec caro sine ossibus.

Job 2. 10.

36. Aliam consolationem ex prædictis colligere possumus, quòd tribulationes cùm naturales sunt, erunt omnibus communes, non ergò cogitandum nos debere esse privilegiatos, & onera communia sufferre non debere. Peregrinus per viam saxosam incedens, à sociis interrogat si alia sit via? Et si aliam deprehenderit, irascitur sociis, quod per illam duxerint, si autem aliam non esse intellexerit, sed omnes illac transire oportere, patienter sustinet. Nos omnes peregrini sumus, in hac vita; *Advena ego sum & peregrinus sicut omnes patres mei*; via ad æternam salutem conducens, nimis videtur difficilis, & saxosa, unde tristamur; sed respondetur, hanc esse viam regiam, per quam omnes incedunt, nec aliam superesse, ideoque nos consolari; & patientiam habere debemus. Hoc modo videtur mihi se consolatum fuisse Propheta David qui infirmus afflictus, & moribundus aiebat; *Viam universæ terræ ingredior.* Quasi diceret, non mihi in hac infirmitate dolendum, quia non solus hac viâ incedo; sed via communis,

Tribulatio omnibus communis.

Ps. 38. 13.

3. Reg. 2. 2.

nis, & universalis est omnibus, ideoque me oportet alacriter illam ingredi, & perficere.

Tribulatio census divinorum beneficiorum.

37. Si denique prædicta, & declarata doctrina vera est, ex tribulatione incipere debemus bona divina cognoscere: quia ut diximus ab illa quasi dependent. Principes hujus sæculi solent quandoque aulicis, & familiaribus suis pagos, & prædia donare, reservato tamen sibi aliquo jure, aut tributo, in recognitionem beneficii accepti; ideoque adveniente solutionis tempore, ille se ingratissimum exhiberet, qui conquereretur principem sibi tale onus imposuisse, nec potiùs recordaretur beneficii recepti. Pariter nos maxima beneficia à Deo recepimus, corpus, & animam, & omnia quæ possidemus; si autem liberè absque censu, aut pensione ulla, vel tributo nobis concessisset, quis umquam illi gratias egisset, aut ejus recordatus fuisset? Censum ergò nobis imposuit, sed qualem? Tribulationem, & dolorem; gravem quidem censum, in comparatione ejus, qui principibus terrenis solvitur; quia *Non est census super censum salutis corporis*; sed levis admodum respectu beneficiorum divinorum, ideoque occasione solvendi oblatâ, conqueri non debemus, sed recognoscere accepta beneficia. Doles oculis? considera quantò pejor esses, si cæcus fuisses, & recognosce divinum beneficium qui te videre fecit lumen cœli. Infirmaris? cogita tributum esse quod Deo tuo solvere teneris, in recognitionem vitæ acceptæ, & sanitatis tamdiu obtentæ, quam non recognosceres, nisi infirmitas te doceret; & adimplebis præceptum Sapientis te adhortantis; *In die malorum ne immemor sis bonorum.* Eccli. 11. 27.

Eccli. 30. 16.

Major tribulatio, majoris amoris effectus.

38. Dico insuper, quòd tantò majores debes Deo referre gratias, quantò magis affligeris, signum quippe est te plus ab eo diligi. Natura quæ Dei filia est, creaturis perfectioribus majorem tribulationem attribuit; saxa nullum patiuntur dolorem, quia non sentiunt; homo majoribus afflictionibus suppositus, quàm cætera animalia, quia temperamentum delicatius, & nobilius habet. Non aliter gratiæ divinæ accidit; majoribus favoribus decorato, acriores tribulationes adveniunt; *Vas electionis est mihi iste*, dixit Deus de S. Paulo, & subitò adjunxit; *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act. 9. 15. Post favorem exhibitum mentio fit proprietatis ejus, id est tribulationis. Pari modo Tobiæ dictum fuit; *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Tobiæ. 12. 13. Quis ergò non libenter tribulationem amplectetur, cùm talibus favoribus, & gratiis conjuncta

juncta sit? Sed heu quid timeo, nisi quod plurimi imitabuntur Elimelech, qui ne duceret Ruth in uxorem possessioni cessit, & parentelæ quam cum primo marito ejus inierat: & dicent potiùs si non possimus Christo jungi, nec regnum ejus adipisci, nisi tribulationem in uxorem ducendo; *Cedo juri propinquitatis.* Cedo omni merito sanguinis Christi, ejusque passionis, & possessioni regni cælorum. O ignavi, & ingrati, renuntiare tantæ hæreditati, pro sustentatione parvæ tribulationis? cedere æternæ possessioni, propter momentaneam afflictionem? Cedere cognationi Christi, ut non portemus insignia crucis ejus? Quæso Domine ne hoc mihi umquam eveniat, ut renuntiem cognationi tuæ propter quamcumque pœnam, aut tribulationem advenientem. Sparsisti pretiosum tuum sanguinem, & acerbissimam mortem sustinuisti, ut me tibi associares; & ego ne exiguum dolorem aut momentaneam afflictionē sufferrem, consentiam ut à me recedas? numquam id mihi eveniat; si una crux non sufficiat, nec unus dolor, veniant mille, & mille; omnes mihi dulces videbuntur, cùm sint media quibus te consequi possim. Ad imitationem ergò dilecti, & generosi vestri discipuli S. Ignatii martyris tribue mihi ex toto corde & affectu dicere; *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & cuncta tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar.* AMEN.

Ruth 4. 6.

Ignavi qui e. um fugiunt.



DISCVR-

DISCURSUS XVIII.

An de peccato tribulatio nascatur; & quo modo de inimicis vindicare sit licitum?

SUMMARIUM DISCURSUS.

Gens Libyæ ex similitudine filiorum patres agnoscebant. num. 1.
An peccatum ex similitudine tribulationis pater dicendum? n. 2.3.
Peccatum nec Physica, nec Moralis tribulationis causa videtur. à nu. 4. usque ad 12.
Peccatum mortem, & tribulationem in ipso peccatore producit. à num. 13. usque ad 18.
Est causa Physica & Moralis tribulationis. à num. 19. usque ad 31.
Peccatum summopere detestandum, nec illi fidendum. num. 32. 33. 34. 35.
Radix, & occasio peccatorum auferenda. num. 36. 37. 38.

Mos Libyæ in generatione & educatione filiorum.

1.  Nter varios, insolitosque Barbarorum mores, quibus cæca gentilitas immersa fuit; nullum adeò inordinatum arbitror, quàm populi cujusdam Libyæ; qui ad similitudinem fictæ illius Platonis reipublicæ, non inter se matrimonia aut nuptias celebrabant: non discernebant quæ mulier magis uni quàm alteri conjuncta fuisset; sed bestiarum instar, ut sorte eveniebat, conjungebantur. Inter has tamen densissimas errorum tenebras, aliquem lucis radium conspexerunt; educationi quippe filiorum communitatem matrum maximè obesse cernentes ex communi campo, fructus indistinctos esse nolebant. Modum ergò excogitarunt, quo unicuique patri filium assignare possent: quid igitur effecerunt? Ordinaverunt, inquit Aristoteles, ut diligenter inspicerent, & attenderent dispositionem, & lineamenta faciei, & figuræ corporis, facturæ membrorum, & personæ; & cui à prudentioribus magis assimulari diceretur, huic filius attribueretur; impossibile existimantes alicui magis quàm patri assimulari posse. Hanc quoque opinionem sacra scriptura confirmare videtur, dum ex imitatione, & similitudine alicujus ad alterum potiùs quàm ex ipsa generatione concludat,

Lib. 2. Politic. cap. 2.

Filii patribus assimulari debent.

cludat, debere illi titulum filii dare. Sic Salvator ait Hebræis;
Joan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo estis*; non alia ratione quàm propter similitudinem, ideò dicit;
Ibid. *Et desideria patris vestri vultis perficere.* Et S.
ad Rom. 9. 6. Paulus ait: *Non omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ*: non aliâ ratione, quàm quia ipsum non imitabantur. Imitatio ergò & similitudo maximum est affiliationis argumentum.

Tribulatio cui assimulari possit.

2. Huculque multo tempore patrem tribulationis investigantes, neminem tamen reperimus, qui filiæ adeò deformis, & vilis patrem se esse glorietur; nec faciliter nos reperturos arbitror. Nónne igitur more populi Libyæ similitudinis regulâ nobis utendum, ut vel sic invenire possimus? Ex prædictis cui assimulari posset? Si enim de Deo agatur, quid ipsi cum tribulatione? Hæc quantum ad naturale esse, mala est; Deus infinitè bonus; hæc non est aliud quàm miseria, Deus summa felicitas; hæc defectio & corruptio est, Deus summa perfectio. Sed naturæ fortè assimulabitur? nequaquam, hæc siquidem entitatem positivam habet, tribulatio autem privativam; illa quantum potest conservationem cujusque rei intendit, & procurat, hæc destructionem; illa decentiam, & gratiam respicit, hæc indecentiam, & infortunium. An fortè diabolo assimulabitur? ne quidem quantum adesse naturale, quod considerari debet in similitudine patris & filii, quia diabolus purus spiritus est, tribulatio ad carnem magis pertinet; diabolus est immortalis, & incorruptibilis, tribulatio est via ad corruptionem; diabolus est perfectissimus in esse suo naturali, tribulatio imperfectissima est. Cui ergò assimulabitur? Scitis cui magis præ omnibus aliis? Peccato: peccatum quippe est malum culpæ, tribulatio malum pœnæ: peccatum est privatio, tribulatio est defectus; contra rationem est peccatum, contra inclinationem, & appetitum est tribulatio. Ita ut in tribunali Libyæ hæc causa facillimè decideretur, & absque dubio pater tribulationis peccatum judicaretur.

Peccato magis assimulatur.

3. Verè tamen dicamus incertissimam hanc conjecturam esse, Valerius siquidem Maximus, de plurimis hominibus alioquin vilibus refert, quòd magnis Regibus, & Imperatoribus similes essent. Plutarchus quoque refert M. Antonio duos juvenes pro gemellis venditos fuisse, quia adeò sibi similes erant ut in nullo differrent, cùm tamen ex diversis regionibus orti essent, ideoque postea ipsi chariores. De Cæsare refertur quòd videndo extraneum multò ipsi similem, petiit ab illo si mater ejus numquam Romæ fuisset?

Lib. 9. cap. 14.

Similitudinis regula in multis deficit.

Videamus

Videamus ergò si aliæ rationes adsunt, ut peccatum condemnemus, hæc siquidem exigui est roboris. Nónne quoque rationi consonum est, ipsi advocatum assignare qui ejus rationes proferat, illudque defendat? omninò, inauditum siquidem condemnare non licet. Sed monstro adeò infami, horrendo, & ab omnibus odio habendo quis se advocatum præstabit, illudque defendet? De hoc non videtur arguendum, satis quippe reperientur. In primis ecce Sapiens unum adducit dicentem; *Peccavi, quid mihi triste accidit?* quasi diceret, gentes peccatum tribulationis causam esse dicunt, ecce peccavi, & nihil mali mihi accidit. Huic conjungere poterimus Dionysium Siciliæ tyrannum qui post spoliationem templi Deorum feliciter navigans dixit: ecce quomodo sacrilegis Dii prosperam navigationem concedant. Imò ipsimet justi in favore ejus erunt, sæpius quippe conqueruntur, peccatores adeò prosperè agere, & ipsos tribulari; ita in Jeremia dicunt: *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui iniquè agunt?*

Peccatum non est tribulationis pater.

Eccli. 5. 4.

Jerem. 12. 1

Rationibus illud probatur.

4. Si peccatum pater tribulationis esset; Physicè vel Moraliter tribueret ipsi esse? Sed neutro modo id efficere probabo; clarum ergo est ejus patrem non esse, sed falsò ipsi adscribi. Quid sibi vult tribuere esse, Physicè, aut Moraliter? Causa Physica dicitur, quæ influxu positivo & reali, producit effectum: moralis autem, quæ non per seipsam illum producit, sed aliquem commovet aut excitat, ut illum producat. v. g. David mortis Goliath fuit causa Physica, quia sua manu caput ejus amputavit; sed mortis Uriæ fuit causa Moralis, quia non suis manibus vitam ei abstulit, sed præcepit ut inimicis irruentibus relinqueretur, à quibus physicè occisus fuit. Magis proposito nostro hoc exemplum inservit, si bibas venenum causa physica tuæ mortis es, quia ab hac actione mors sequitur; sed si rebellionem in principem exerces, & propterea condemneris ad mortem, causa moralis es mortis tuæ, quia pœnam mortis incurristi, unde dignus es condemnari. Sic ergò peccatum dicetur causa physica tribulationis, si illud immediatè producet infirmitatem, tribulationem, aut alia similia mala; & causa moralis, si Deus, aut homines ad punitionem immittent pœnas, aut alias afflictiones promeritas.

Nec moralis nec physica tribulationis causa.

5. Quid dicetis ergo peccatum esse causam physicam tribulationis? Quomodo hoc esse poterit, si omni entitate careat? operari præsupponit esse, sicut enim qui non existit operari non potest, sic qui entitate physicâ caret, physicè operari non potest.

Probatur non esse causam physicam.

potest. Dices fortassis, licèt formaliter sit nihil semper tamen alicui actioni positivæ conjunctum, quæ dicitur peccatum, sicque potest esse causa physica; sicut v. g. vulnerando occidis hominem, hoc peccatum dici potest causa physica mortis; non juxta formalitatem culpæ, sed per actionem materialem, cui peccatum conjunctum est. Sicut enim loqui, & operari extrinsecè, animæ tribuitur, quæ per corpus operatur, cùm sit forma illius; sic peccato adscribendus est effectus istius operationis, qui ab ipso informatus est. Sed ne quidem hoc modo peccato adscribi potest tribulatio inde orta, quia entitas illa materialis cui peccatum conjunctum est, semper est delectatio quædam, pro esca inserviens, ut hamum deglutire possimus: unde rectè inquit Sapiens: *Sicut pisces capiuntur hamo, sic homines in tempore malo.* Sicut ergò ex melle non generatur fel, sic ex operatione delectabili quæ est materia peccati, non potest dici tribulationem dolorosam ortam esse.

Ecclef. 9.12

Ex delectatione tribulatio oriri non potest.

6. Confirmatur ulteriùs, dum quis delectabiliter in aliqua re occupatur, dicitur in illa pinguefieri; talis in studiis pinguescit, alius in litibus, &c. cum gustu videlicet illa attendit. Peccatores autem tanto gustu peccatis attendunt, ut peccando impinguentur unde Moyses de peccatore ait: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus.* In psalmis quoque Propheta regius idem indicare videtur, dum siquidem transitum filiorum Israel ad terram promissionis enarrarat, dicit pingues illorum occisos fuisse; *Occidit pingues eorum.* Sed quando hoc accidit? Legite totam historiam Moysis, qui transitum filiorum Israel commemorat, numquam reperietis illum mentionem hujus rei facere. Reperitur quidem murmuratores adorantes vitulum aureum, & seditiosos contra Moysen occisos fuisse, & punitos, sed pingues numquam. Quid ergò sibi vult, quod David nullam illorum mentionem facit, sed horum tantum? Referebat ille historiam compendiosè, quàm Moyses fusè descripsit; utque tot particulares occisos computare non deberet, voluit vocabulum commune reperire, quod exprimeret, & significaret omnes peccatores simul, quos Deus in deserto percussit, & occidit: murmuratores, seditiosos, idololatras, aliosq; diversos; sed quod fuit hoc vocabulum? Vocavit illos pingues; *Occidit pingues eorum.* In Psalmis David de crucifixoribus Christi loquens, qui maximi fuerunt peccatores, illos expressit sub nomine Taurorum pinguium; *Tauri pingues obsederunt me.* S. Propheta Job ut pecca-

Deut. 32.15

Psal. 77.31.

Peccatores peccatis impinguantur.

Psal 21.13.

peccatorem famosum depingeret, eodem loquendi modo usus est, dicitque illum adeò pinguem, ut pinguedine velut
Job 15. 27. larva faciem obtexerit: *Operuit faciem ejus crassitudo*: quasi diceret hunc larvati instar omnem pudorem exuisse, & ad omnia mala, & scelera promptum esse. Ipsum autem de peccatoribus loqui ex præcedentibus clarè
Ibid. patet: *Cucurrit adversùs Deum extento collo, & pingui cervice armatus est.* Prædictis convenit Amos Propheta, qui peccatores vaccas pingues vocat, dicens:
Amos 4. 1. *Vaccæ pingues quæ calumniam facitis egenis.* Hoc denique loquendi modo sacra scriptura abundat. Commune insuper judicium idem confirmat, difficile credens sub pingui & bene accommodata figura, animam sanctam abscondi posse. Metropolita quidam ex Muscovia, crassus & rubicundus, ut non fuisset judicatus homo gulosus, & crapulæ deditus; antequam actionem publicam exerceret, solebat faciem suam fumo sulphuris offuscare, ut pallidus, & macilentus appareret, & tali modo titulum bonitatis acquireret. Ex ante dictis inferre non intendo omnes peccatores pingues esse, & nullum pinguem bonum esse; sed abundantiam rerum temporalium, per pinguedinem significatam esse; juxta benedi-
Gen. 27. 28. ctionem Patriarchæ Isaac; *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ,* & juxta dictum Pharaonis; *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ*: in Hebræo loco *medullæ* legitur, *pinguedo*; melius nempe, & pretiosius totius Ægypti? cùm autem peccatores bonis temporalibus abundare, & meliori parte mundi frui solent, pingues vocantur.

7. Notandum hic quoque quod Propheta Job de pinguedine illorum refert, nimirum illis pro armis inservire; *Et pingui cervice armatus est.* Quis umquam percepit pinguedinem pro armis servire? Imò videmus pinguiores, exercitio armorum ineptiores esse; si autem arma solidiora, & fortiora debent esse re armata, quomodo pinguedo arma vocari potest, cùm sit pars magis tenera, & delicata corporis? Optimè tamen dixit Propheta Job, & prudenter admodum hac metaphorâ usus est; cujus ratio est, quia pinguedo non est animata, nec sensu prædita, circumdans tamen carnem macilentam, illam defendit. Refert Elianus de quodam Dionysio tyranno Heracleæ, qui supra modum pinguis, quærebat à medicis remedium ut macer fieret; cùm autem ex ordinatione illorum dormiens acutis acubus transfixus esset, nihil sentiebat, nec expergiscebatur, donec carnem penetrarent.

Pinguedo peccatores defendit.

Job 15. 25.

Elian. variar. hist. lib. 9. Athenens. lib. 12 cap. 26.

Pariter peccatores pinguedine illorum, id est abundantiâ rerum temporalium armati sunt, ita ut non sentiant punctiones, & inspirationes divinas; de quo Deus conquerens ait: *Percussi eos, & non doluerunt.* Immittit Deus ingentem penuriam, plurimi fame pereunt, unusquisque dolet, sed pingues abundantiâ, & divitiis, taliter sunt defensi, ut nihil sentiant. Exoritur bellum, omnia subvertuntur, & conturbantur; illi nihil sentiunt, quia pecuniâ suâ se defendunt; sicque pinguedo illorum pro fortissima defensione inservit, & dici potest, quòd *Pingui cervice armati sunt.*

Jerem. 5. 3.

8. Dices, hoc bene probare de causa physica, sed non de morali, quis enim ignorat Deum peccatoribus summè offensum, illosque castigaturum? Pluviæ instar castigationes in illos defluent, & flagella inundabunt; *Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur, spiritus procellarum pars calicis eorum.* Verum quidem est inquiet Advocatus peccati, Deum punire peccatores, sed in alia vita, de qua hîc non loquimur; in hac tamen videtur intendere impinguationi illorum. Qui convivium lautum instruere cupit, procurat animalia pinguia, & ingrassata; unde pater filii prodigi dicebat; *Adducite vitulum saginatum.* Deus in fine mundi convivium lautissimum instruet omnibus avibus, & Angelum mittet illas invitantem, teste S. Joanne; *Vidi,* inquit, *unum Angelum stantem, in sole, & clamavit voce magna dicens, omnibus avibus, quæ volabant per medium cælum, venite & congregamini, ad cœnam magnam Dei*: quales erunt cibi hujus magnæ cœnæ? Audite, *ut manducetis, carnes regum, & tribunorum, & carnes fortium.* Quasi diceret avibus, homines solemnia convivia ex carnibus vestris exhibuerunt, modò vobis par reddere volo; ideoque vos invito ad carnes illorum manducandas.

Psal. 10. 7.

Deus peccatores hîc impinguat.

Luc. 15. 23.

Apoc. 19. 17.

Apoc. 19. 18.

Convivium peccatorum exhibet.

9. Si de malis ergò Deus convivium suis exhibere cupit, quis dubitare poterit, illos primò ingrassari debere? Nisi timerem similitudinem nimis fore vilem, dicerem illos caponum instar ingrassandos, hac tamen similitudine Deus utitur dum per Isaiam dicit; *Asportari te faciet Dominus tamquam gallum gallinaceum, & mittet te in terram spatiosam, & latam, ibique morieris.* Quasi diceret, usque modò impinguatus es quasi capo, & eo modo auferri te faciam, ut non possis te defendere, & meo convivio præparaberis; si autem carcerem scire cupis in quo ut impinguentur, conservantur, audi Isaiam dicentem; *In domibus carcerum absconditi sunt*; in prædictis quoque verbis idem assignatur, quia dicitur; *In terram latam, & spatiosam*: quasi dice-

Isai. 22. 17.

Isai. 42. 22.

ret,

Impinguantur ad occisionem. ret, credebas commorari semper in domo gallinacea, ut ingrasseris, deciperis, quia in campum apertum deducendus es, ibique occidendus.

10. Ad hoc propositum comprobandum occurrit mihi modus valde barbarus, apud Indos in Mexico observatus ante receptionem Evangelii. Hi nimirum contra inimicos ad bella tendere cupientes, quemdam suorum carcere includebant, non tamen ut mancipium, aut inimicum malè excipiebant; sed incrassare, & lautè enutrire solebant; ac superbè vestiendo, honore, ac voluptatibus afficiebant; ipsi obediebant, nec in aliquo occupari sinebant. In servitute igitur delicias, & felicitatem invenisse videbatur. Sed ecce dum impinguatus, minus suspicabatur; idolo illum sacrificantes occidebant, carnesque ejus impinguatas edebant. Idem peccatoribus evenire videtur, sunt inimici Dei impinguati, ipsique victimæ solemnes postea destinati, juxta
Isai. 34. 6. illa Isaiæ, & Jeremiæ dicta; *Victima Domini in Bosra & interfectio*
Jerem. 46. 10. *magna in Edom*; &, *Dies autem ille Domini, dies ultionis, ut sumet vindictam de inimicis suis, victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis*; in tantum bene impinguentur; *Incrassatus est dilectus, recalcitravit*: datur quoque
Psal. 80. 13. illis omnis voluptas; *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.*

11. Dices in morte ad minus omnia condonantur, quis enim dicere poterit, quàm hæc sit illis amara, & angustiis plena? Deciperis, est enim felicissima, si res præsentes solùm attendamus. *Vtrum mors peccatorum felix dicenda.* Refert Plutarchus quadam die in mensa Cæsaris disputatum fuisse, quæ mors desiderabilior esset, unus dixit, mors senum, moriuntur enim sine violentia, sed deficiente humido radicali, sicut lampas extinguitur defectu olei: alius dicebat, mors militum pro patria morientium; alius illorum, qui moriuntur in lecto inter manus amicorum, sicque alii aliter asserebant. Cæsar autem præclaro suo ingenio aiebat, illam mortem desiderabiliorem esse, quæ repentè, & inopinatè nos arripit; diuturnæ siquidem infirmitates mortem præcedentes, & quotidiana expectatio mortis, & termini vitæ, amarior est morte ipsa. Finis ergò adeò desiderabilis, est mors peccatoris, affirmante S. Propheta
Job; *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt.* Job 21. 13.
Paucis verbis, felicitatem malorum exprimens, longitudinem habent dierum, quæ significatur in eo; *Ducunt in bonis dies suos*; *Mors peccatorum absque dolore.* aut sicut Septuaginta Interpretes legunt, *perducunt*; continuant videlicet, & consumunt dies

 suos

suos prosperè, universa quæ desiderant, habent; nam frænum temporis & prosperitatum, in manu sua habere videntur, illoque se regunt prout desiderant. Non unâ specie boni fruuntur, sed omnibus divitiis, & deliciis, & denique nullâ infirmitate præcedente; *In puncto*, in instanti, antequam advertant; *Ad infernum descendunt*, ad sepulchrum videlicet, & aliam vitam. Hoc Propheta regius egregiè testatur dicens: *Non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum*: non sentitur ab eis mors, antequam accedat; nec firmitas & duratio est in infirmitate eorum, quia aut citò curantur, aut citò moriuntur.

Psal. 72. 4.

12. Quid dicam de his qui ratione peccati, à morte sunt liberati? quod dicto Salvatoris optimè probari potest; *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*; unde enim hoc nomen *servus* derivatur? A verbo *servio*? nequaquam, quia sic diceretur *servius*; sed à verbo *servo*; qui siquidem in bello olim capiebantur, occidebantur; aut si servabantur, servi victorum erant. Ita testatur S. Augustinus, his verbis; *Quod hi qui jure belli possent occidi à victoribus, cùm servabantur servi fiebant, à servando appellati.* Si peccator ergò servus est peccati, signum est ab ipso liberatum, & servatum fuisse à morte; quod aliqui apud Jeremiam scientes, dicebant: *Liberati sumus, eò quòd fecerimus omnes abominationes istas.* Ratio autem esse potest, quia Deus sollicitè & diligenter servos suos corripit, & castigat, juxta dictum Psalmistæ: *Deus tu propitius fuisti eis, ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Peccatorum autem vix recordatus, eos juxta voluntatem eorum dimittit; *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Nónne denique felix æstimaretur, qui obtineret, quantum desiderare posset? Absque dubio, nostra siquidem imaginatio adeò se extendit, ut in momento sit ubi voluerit, nec aliquid est, quod faciliter non apprehendat; unde stulti quidam semper sunt hilares, quia credunt vera esse, quæ imaginantur. Talis est conditio peccatorum, omnia quæ imaginantur, facillimè consequuntur; ita Propheta David testatur; *Transierunt in affectum cordis*; in Hebræo priùs habetur, *in imaginationem cordis*; videlicet ut Genebrardus exponit: obtinent cuncta quæ imaginantur. Adeò multum igitur abest, ut peccatum sit tribulationis causa; ut pater felicitatis, & prosperitatis potiùs dicendum sit.

Joan. 8. 34.

Vnde servus derivatus?

S. August. lib. 19. de civit. Dei cap. 15.

Jerem. 7. 10.

Psal. 98. 8.

Psal. 80. 13.

Peccator cuncta desiderata obtinet.

Psal. 72. 7.

13. Ne tamen nimiùm peccatum efferas, & sententiam feras, antequam contrariam partem audieris, quia rationes ejus, ut mihi videtur, valde sunt prægnantes.

Peccatum genitrix mortis.

gnantes. Mortem in primis à peccato generatam abſque dubio tenetur; Apoſtolus ſiquidem veritatis illud affirmat: *Per peccatum mors*, ergò & aliæ tribulationes. Apud veteres inſignis mos erat, ut dum quempiam ad ſolemne convivium invitabant; ille auctoritatem haberet amicum conducendi, quia ille ad convivium accedebat, ut comes alterius & non ut principaliter invitatus; qui umbra dicebatur. Mors per peccatum ab impiis adducta fuit; *Impii autem manibus accerſerunt illam.* Sed numquid ſecum adduxit ſocios? plurimos, quoſnam? illos quos umbras vocat; id eſt tribulationes, & miſerias, ideoque legitur in Pſalmis: *Cooperuit nos umbra mortis*; & *ſi ambulavero in medio umbræ mortis*: In magnis videlicet periculis, & tribulationibus; ſicut enim umbra corpus inſequitur, ſic miſeriæ, & calamitates mortem inſequuntur, & cum ipſa mundum intrant, & noſtris carnibus ſe cibare veniunt. Dices fortè umbra corpus ſequi ſolet, & non præcedere; & hæ tribulationes ſolent mortem præcedere; ſi enim ipſam ſequerentur, parum aut nihil æſtimarentur. Reſpondeo umbram à corpore cauſatam, quandoque corpus præcedere, quod evenit, dum ſol nobis contrarius eſt, & à tergo. Pariter peccatoribus accidit, qui dum ſe Deo opponunt, ipſique tergum vertunt, umbra tribulationis ſemper precedit corpus mortis. Simile quid Socrati evenit, qui cùm non principaliter, ſed tamquam umbra, & comes ad convivium veniſſet, præcedebat eum, cujus umbra erat; non ſine hilari elocutione, & complacentia invitatorum, quod umbra primò ſine corpore adveniſſet.

ad Rom. 5. 12. — *Sap. 1. 16.* — *Pſal. 43. 20.* — *Pſal. 22. 4.* — *Tribulationes umbræ mortis.*

14. Dices fortaſſis, quomodo tribulatio ut umbra mortis ad mundum venit? Nónne à Deo miſſa, ad probationem amicorum, aut caſtigationem inimicorum? Verum eſt, ſed non advertiſtis qualiter venti depinguntur? ut ora quædam inflata, & ſpirantia. Si autem à Philoſophis originem illorum inquiras, dicent illos ab exhalationibus terrenis cauſari, & tali modo depingi, ut imaginationi noſtræ meliùs exhibeantur. Tribulationes quid ſunt? Tot venti, conturbantes mare hujus mundi; unde Apoſtolis tempeſtate maris conquaſſatis, dicitur: *Erat enim contrarius ventus.* Depinguntur tamen ex ore Dei procedere; ſic Propheta Job dicit; *Vidi impios flante Deo, periiſſe.* Vera tamen eorum origo ſunt peccata noſtra, quod S. Gregorius Papa in hunc locum notat, dicens: optimè tribulationes & caſtigationes divinæ dicuntur eſſe flatus Dei; quia ſicut nemo ſufflat, niſi primò attraxerit ventum;

Tribulationes tempeſtates mundi. — *Matt. 14. 24.* — *Job 4. 9.* — *Ex peccatis noſtris oriuntur.*

tum; sic Deus non immittit castigationes, si ex peccatis nostris nullam ipsi occasionem adferamus. Clariùs tamen Samuel in præsentia populi, existente clarâ aurâ, & cælo sereno, subitò aërem obscurare, mugire tonitrua, fulgurare lampades, fulmina præcipitare, imbres ruere fecit. Unde populus stupore, & admiratione attonitus, dixit illis

1. Reg. 12. 19. Samuel; *Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc*: quasi diceret, sicut sagittæ, & fulgura non cadunt de cælo, nisi primò à terra eleventur vapores, & exhalationes; ita Deus illis iratus non fuisset, nec tempestates castigationum immisisset; nisi primò exhalationes peccatorum ascendissent.

Terra cum semine, Deus absque semine producit.

15. Cum Deo omnia contrario modo eveniunt, quàm cum terra, quæ etiam mater communis viventium appellatur: Hæc enim malas herbas, urticas, spinas, lolium & cætera, sine semine producit, frumentum tamen fructus, & vinum non sine semine producet. Deus alio modo cuncta producit; qui non dedignatur se terram appellare;

Ierem. 2. 31. *Numquid terra serotina factus sum?* ait per Jeremiam. An terra sterilis, infœcunda, aut tardè reddens fructum suum ego sum? Sed qualis est terra? Terra cælestis, quæ favores, dona, gratias, & fructus sine expectatione aut semine producit: sic enim ait Apostolus; *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei*; & David, Rom. 11. 35. *pro nihilo salvos facies illos*: ut S. Psal. 55. 8. Augustinus exponit, *gratis, sine meritis*; absque prævio semine jacto, fructus salutis producet. Pariter dicendum quid seminasti, ut Deus te crearet? Quid egisti ut te redimeret? Certè nihil. Ex se ergò bonos fructus, haec terra producit, sed spinas pungentes pœnarum, urticas castigationum, & malas herbas tribulationum, ex se non producit: si non seminares, numquam haberes, sic enim S. Job mirabiliter hoc explicat; *Vidi eos* Iob 4. 8. *qui seminant dolores, & metunt eos.* Quidam semine delectantur, & quid seminant? dolores, & afflictiones; nec solùm seminant, verùm etiam colligunt. Qui sunt hi? peccatores, ô si hoc cogitares dum jejunium solvis, aut aliquod peccatum committis. Credis delectationem, & gaudiũ acquirere, & dolores seminas, & recolliges dum minùs cogitas.

Dolores seminantes eos metunt.

Quomodo Moyses civitatem obtinuit.

16. Nec peccatum, dolores solùm crescere efficit, verùm etiam in domum nostram introducit. Josephus in antiquitatibus suis Judaicis, pulchrum enarrat casum, quòd Moyses Metropolim Æthiopiæ obsidens, ubi rex erat, multum temporis frustra consumpsit, sed tandem per amorem cepit, quod vi capere non potuerat, & pulchritu-

chritudine suâ illos devicit, quos ferro subjugare non valuerat. Filia siquidem regis curiosa ut exercitum inimicorum conspiceret, advertens juvenem ducem non minori dexteritate, quàm audaciâ alios dirigere, & ad conflictum incitare, amore ejus capta, vehementer exarsit; utque ab illo readamaretur, portas civitatis ei aperiens, possessionem regni tradidit: Simile quidpiam in aliis gentilium historiis reperitur à mulieribus factum. Nec aliter nobis evenit; tribulatio exercitu calamitatum nos obsidet; unde S. Job dicebat: *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem, qui præparatur ad prælium*; & impossibile fuisset umquam nos capere, quia *Deus creavit hominem inexterminabilem.* Sed quis illi portas aperuit? filia nostri cordis, peccatum videlicet; ita attestante Deo Caino; *Si malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit*, si malè egeris, & peccata commiseris, nascetur tibi hæc infelix filia, & frustra illam cohibere conaberis, quia subitò ad portas tuas accedet; & quid efficiet? Aperiet illas tribulationibus, & miseriis te undique circumdantibus. Ezechiel hoc perfectè conspexit, volens quippe Deus populum suum castigare, contra illum Angelos divinæ justitiæ ministros destinavit: sed per quam portam? Notat Ezechiel venisse illos per Aquilonem, cur per hanc portam? quia hęc ab illis aperta erat, à quo? à peccato, idcircò supra hanc portam viderat idolum Zelotypiæ.

Iob 15. 24. Sap. 2. 23. Gen. 4. 7.

Peccatum tribulationem inducit.

Ezech. 8. 3.

17. Sed quid dico peccatum aperire portas; quin imò tribulationes in ipso peccatore nasci procurat. Hoc verum esse probatur ex differentia inter carnem vivam, & mortuam; caro viva bonum procreat sanguinem, vertendo nutrimentum in propriam substantiam, sicque impinguatur, & facillimè ab omni plaga & vulnere sanatur. Sed caro mortua, ex seipsa putrescit, vermes producit, à quibus corroditur; nec se diu conservare valens, tandem omninò corrupta deficit. Justi sunt caro viva; *Iustus ex fide vivit*: inquit S. Paulus, unde non facilè corrumpuntur; *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: sanguinem bonum cor recreantem producunt; *Lætamini in Domino & exultate justi*: vulnera eorum facillimè curantur; *Qui sanat contritos corde*: impinguantur, & proficiunt; *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* Mali econtrà sunt caro mortua; *Dimitte mortuos, sepelire mortuos suos*: ex iis generantur vermes conscientiæ; *Dulcedo illius vermes, & vermis eorũ non morietur*: ex seipsis putrefiunt, unde dixit Psalmista; *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti*

Tribulatio in peccatore nascitur.

ad Rom. 1. 17. Psal. 15. 10. Psal. 96. 12. Psal. 146. 3. Psal. 62. 6. Matt. 8. 22. Iob 22. 20. Isai. 66. 24.

cti sunt; quod ex Hebræo proprius vertitur; *Instar carnis marcidæ facti sunt.* Dicamus quoque illos intus, & foris excruciari, intus à mala conscientia, foris à tribulationibus, quas Deus illis immittit, & à malis quæ sibi asciscunt. Hic status illorum, non malè exhibitus videtur in emblemate, quo depinxit quidam murem muscipulæ inclusum, & felem ad ostium expectantem, ut subitò exeuntem devoraret, hoc addito dicto ex S. Paulo desumpto; *Foris pugnæ, intùs timores*; prout quoque confitebatur ille qui dicebat: *Malum me premit, & pejus me exterret.* Nec abjecta videri debet similitudo muris, cùm etiam Sapiens hac usus fuerit, dicens: quòd *Creaturæ Dei factæ sunt in odium, & in muscipulam pedibus insipientium*; Creaturæ à Deo servitio hominis deputatæ, in odium versæ sunt; quia pedibus insipientium pro muscipula inserviunt. Mali ergò sunt ut mures, ab esca momentaneæ delectationis allecti, se à creaturis capi, & incarcerari permittunt, in quibus disordinatè affectum suum collocaverant, cùm in hac vita malè excipiantur, & crudelis illa felis, diabolus, inquam, post exitum de ergastulo corporis, illos devorandos expectat.

Psal. 13. 3. *Peccator intus, & foris excruciatur.* 2. Cor. 7. 6. *Creaturæ muscipulæ.* Sap. 14. 11.

Malis omnia mala.

18. Sicut denique bonis, omnia cooperantur in bonum, sic malis omnia cooperantur in malum; omnes sunt effecti carnifices, ut illos torqueant, ut optimè notat Sapiens dicens: *Creatura enim tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos, & levior fit ad bene faciendum pro his, qui in te confidunt.* In pœnis quas pro peccato assignavit Deus primis nostris parentibus, pulcherrimum habemus exemplum, quia principaliter duæ fuerunt. Prima viro inflicta; *In laboribus comedes cunctis diebus vitæ tuæ; maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi*: Secunda est, mulieri imposita; *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios.* In laborando terra, & pariendo filios, hæ ergò pœnæ consistunt. Sed antequam peccarent, nónne huic officio destinatæ erant? Nónne de labore dicitur; *Posuit Deus hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum*? De generatione quoq; nónne Deus dixerat; *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*? Verum quidem est, sed in statu innocentiæ, omnia sine dolore successissent, imò cum gustu, & delectatione; ideoque hortus ab Adamo excolendus vocatur hortus deliciarum, & voluptatis. In cultivatione hujus horti, nullum sentire debebat laborem, sed magnam delectationem, ut notat S. Augustinus dicens: *Non enim erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis.*

Sap. 16. 24. Gen. 3. 17. Ibid. 16. Gen. 2. 15. Gen. 1. 28. *Peccatum benedictionem in maledictionem vertit.*

voluntatis. Generatio, & productio infantum, fuisset Evæ benedictio & jucunditas, quia benedicendo illis dixerat Deus; *Crescite, & multiplicamini*, quæ iniquis, & culpabilibus in maledictionem versa est, ut notat S. Augustinus dicens: *Illa verò benedictio, quamvis & in delinquentibus manserit; tamen antequam delinquerent, data est, ut cognosceretur, procreationem filiorum ad gloriam connubii, non ad pœnam pertinere peccati.*

S. August. lib. 14. de civit. Dei cap. 21.

Peccatum causa physica, & moralis tribulationis.

19. Sed quid dicitis, peccatum non posse esse causam physicam, nec moralem tribulationis? quin imò utraque est. Physica sæpius est, quia crapula & libido, est causa plurimarum infirmitatum; unde inquit Apostolus: *Qui fornicantur, in corpus suum peccant.* Nec minorem pœnam animæ causat invidia, odium, superbia, avaritia, ira &c. Moralis causa est, quia est occasio cur Deus homini immittat tribulationes, quæ hominem persequuntur. Quid dicitis, peccatores pingues vocatos? Verum est, imò adjungo propter nimiam pinguedinem, sibi ipsi molestos esse. De Alexandro filio Tholomæi regis Ægypti, refert Atheneus, adeò illum fuisse pinguem, ut se regere non posset, sed necesse erat, ut semper duobus innixus incederet. Ita iniqui adeò sunt pingues, & commodi, ut sibi ipsi molesti sint, ut bene inquit Job in persona peccatoris; *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi gravis.* Vel dicamus in illis observari modum antiquorum gentilium, qui cùm non adeò luce rationis privati essent, quin cognoscerent, peccatum multorum defectuũ occasionem esse; cogitabant hoc pondus in unum hominem solum projiciendum esse. Accipientes ergò quemdam, & publicis expensis alendo anno integro, pinguem reddebant, postmodum verò extra civitatem educentes omniaque illorum peccata in illum projicientes, lapidabant: quem teste Lilio Giraldo *Anathema* vocabant. Simile quid peccatori accidit, impinguatur parvo tempore, ut peccatis non alienis, sed propriis onustus, acerbissimam mortem sustineat; & quod pejus est, fit Anathema, & à Deo derelictus. Quid replicatis pinguedinem illam pro armis inservire? Imò, dico, ut se defendant, à puncturis acuum, sed non gladiorum, ut accidit Eglom pinguissimo, qui ab Aiot propter pinguedinem transfixus, & occisus fuit.

1. Cor. 6. 18.

Athen. lib. 12. cap. 21.

Iob 7. 20.

Peccator impinguatur ad occisionem.

Lilius Girald. Syntagm. 17.

Peccatum mortem infert.

20. Quid dicitis, quia servi sunt peccati, liberantur à morte? Sed nónne meministis Ezechielem econtrà dicere; *Anima quæ peccaverit ipsa morietur*: & dixisse Apostolum; *Stipendia peccati mors*, & S. Jacobum clarè assere-

Ezech. 18. 4.

Ad Rom. 6. 23.

Jacob.1.15 asserere : *Peccatum cùm consummatum fuerit generat mortem*? Adeò ergò longè abest, ut peccatum te à morte liberet, quin potius mortem ipsam producat; Rom. 5.12. quia *per peccatum mors*. Sed quomodo esse potest, ut aliquis sit servus, & mortuus? Quod servitium à mortuo expectandum? Vel quomodo potest esse mortuus, qui se movet, & servit? De persecutoribus, & infidelibus inquit Salvator, quòd occiso Luc. 12.4. corpore; *Non habent amplius quid faciant*: expleta est illorum potentia, quia in mortuos potestatem non habent. De multis mancipiis legitur, quòd ut se à tyrannide dominorum eriperent, voluntariè mortem amplexi sunt; scientes hanc tollere vinculum, & jugum grave servitutis. Quomodo ergò de peccatore dici potest, illum esse mortuum & servum? An Deus est peccatum, cui omnes mortui vivunt? Imò oppositum est verum, & magis contrarium est Deo. Quid ergò dicemus, an quia peccator duabus constat partibus, animâ & corpore, illâ mortuus erit, & hoc inserviet? Sed peccatum in animam magis, quàm in corpus dominium exercet. Confiteri ergò debes, peccatorem quantum ad animam mortuum esse, non tamen desinere servum esse peccati; ut autem intelligamus qualiter hoc esse possit, advertendum est quod hîc dicemus.

Quomodo peccator mortuus, & servus.

21. Quando Deo aliquod nomen, aut attributum creatum tribuimus, non intelligitur hoc ipsi ita convenire, sicut in creaturis reperitur; sed illam tantùm perfectionem quæ in creato reperitur, Deo asscribi, non autem imperfectiones. v. g. vocatur Deus ignis; *Deus tuus ignis consumens est*, non quia alimento indiget ut se conservet, ut ignis; aut aquâ extingui possit, aut fumo sit sociatus, sed quia instar ignis amore ardet, efficax, activus, & potens est. Cùm ergò peccatum Deo sit oppositum, ut extremum miseriæ, & calamitatis, extremo bonitatis, & felicitatis; quando aliquid ipsius, aut ratione ipsius peccatori tribuitur, non hoc ratione bonitatis alicujus intelligendum, quod sub illo nomine continetur, sed respectu mali, omni perfectione, & bonitate ablata. Sic dicitur peccatores infernali igne excruciandos, nec tamen quia ignis apud nos lucidus est, & resplendens, credendum est lucem, aut splendorem ullum fore in pœnoso illo carcere, quia ab igne solùm malum accipitur; ardor videlicet, & non splendor, dolor, & non consolatio. Dum quoque in Evangelio dicitur locum illum omninò fore tenebrosum; *Mittite illum in tenebras exteriores*; non credendum aliquod Deut.4.24. Matt.22.13

Sicut Deo perfectiones rerum tribuuntur.

Sic peccatori imperfectiones.

quod objectum ibi videri posse; sed quod extremus horror tenebrarum erit, nec aliquid apparebit consolationem adferens. Non tamen visio dæmonum auferetur, nec aliorum quæ possent nobis tormentum adferre. Unde meritò S. Gregorius Papa dicere poterat de damnatis loquendo; *Horrendo modo fit mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia mors semper vivit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit, mors perimit, & non extinguit, dolor cruciat, & nullatenus pavorem fugat, flamma comburit, sed nequaquam tenebras excutit.*

Peccator non mortuus miseriis, sed bonis.

22. Ad propositum quoque nostrum, dum dicimus peccatorem mortuum, non debet intelligi ipsum sensibus privatum, & consequenter à doloribus liberum; quia hoc est illud exiguum bonum, quod mors secum adfert, quod nos ab omnibus malis & miseriis quiescere faciat; taliter autem non tribuitur mors peccatori, sed in quantum omnia mala secum deferens, ac vitâ, & omni bono delectabili privans. Dum verò peccator servus dicitur, non ex eo colligendum ipsum vivum esse, & mercedem operum suorum recepturum, hoc enim est exiguum illud bonum, quod in servitute consideratur: sed quòd sit libertate privatus, quòd mala sustinere, & continuò operari debeat sicut servus. Cùm ergò mors & servitus, ratione exigui illius boni, quod in se recludit, inter se sint contrariæ, nec sic peccatori attribuantur, sed solùm respectu malorum quæ in se continent; sequitur ita simul esse posse, ac consequenter peccatorem, & servum, & mortuum esse posse: quodque nec mors illum à servitute, nec servitus eum à morte liberet. Nec te moveat dictum peccatorum illorum apud Jeremiam, qui extra se rapti ut insani loquebantur, ut notat S. Jeronymus dicens: *In tantam prorumpunt amentiam, ut liberatos se putent, quia post mala opera, etiam à cultu Domini recesserunt.*

Castigatio quantò tardior tantò major.

23. Quid dicitis Deum non castigare peccatores? Sic quidam credunt, quia subitò non vident pœnas infligi; sed non recordantur illius dicti Sapientis; *Altissimus est patiens redditor*: Eccli, 5.4. unde sicut lapis ex alto descendens, tardiùs percutit, & quantò tardiùs & patientiùs expectandum, vulnus est gravius. Ita castigatio altissimi tardè supra peccatores adveniens, tantò gravior erit, & intolerabilior, ut Valerius Maximus dicebat: *Tarditatem supplicii gravitate compensat.* Quid dicebatur, illos obtinere quæ cupiunt? Sit ita, sed nescis illos semper malum proprium desiderare, quia inimici proprii sunt: *Qui faciunt iniquitatem,* Tob.12.10.

tatem, hostes sunt animæ suæ? Quid dicitis illos longâ frui vitâ, & sine dolore mori? Quandoque simile quid per extraordinarium Dei judicium accidere potest, & propter majorem illorum castigationem, sed potiùs verum est quod David de his dicebat; *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*, moriuntur videlicet in medio dierum adhuc sunt pleni miseriis; si non quantum ad corpus, saltem quantum ad animam, quod magis refert. Quomodocumque ergò sit, omni modo peccatum à nobis fugiendum in hac vita, vel in alia vita, erit omnium dolorum mater, & peccando potiùs hîc castigatio optanda, quàm in alia vita.

Psal. 54. 24.

SECVNDA PARS.

Peccatum omnis tribulationis causa.

24. VIdetur modò contra peccatum conclusum, illud esse occasionem omnis nostræ tribulationis; nec credo aliquem de hoc dolere posse, aut conqueri. Prodeat ergò ut tantorum malorum origo, ab omnibus meritò persecutum & condemnatum. Nolo tamen nos passione iræ regi, licèt justè possemus, sed veritatem solam respicientes, hanc præsentem quæstionem decidamus. Ad hoc efficiendum, in primis necesse est, nos peccatum distinguere in Originale, & actuale. Originale jam scitur illud esse, quod ab Adamo in nos omnes translatum est; actuale est illud, quod unusquisque propriâ voluntate committit. Si ergò de Originali loquamur, negari non potest, illud omnium nostrarum miseriarum occasionem esse, quia ante illud, ab omnibus calamitatibus eramus liberi, & absoluti, sicque semper fuissemus, si peccatum hoc commissum non fuisset. Generi humano, ut credo, accidit, sicut Regi Scotiæ Cheretto nuncupato, accidisse reperio. Intrabat ille hortum plurimis statuis artificiosis & pulchris insignem, inter quas una in medio horto excellens, insigne pomum sinistrâ, & acutum telum, dextrâ tenebat; talique artificio formata erat, ut qui pomum arriperet, à sagitta transfigeretur; quod non advertens Cherettus, pomo insigni allectus, libertate regiâ, cuncta sibi licere putans, manum extendit, & pomum arripuit; eodemque tempore, à sagitta transfixus, vitam perdidit. Pari modo primo parenti nostro Adamo accidisse puto; qui in delitiosissimo paradisi horto constitutus, ubi non mortuæ statuæ, sed arbores vivæ erant, & animalia pulchritudine, & varietate excellentia; inter cætera autem erat arbor vitæ pulcherrima, poma tamen ejus prohibita: cumque hæc à serpente

Sicut Cherettus propter pomum occisus, sic Adam.

penre ipsi oblata essent, non advertit sub eis, quasi sub statua, diabolum absconditum sagittâ mortem minitantem. Accepit Adam pomum, eodemque instanti telo transfixus, morti subjacuit; juxta intimationem ipsi à Deo factam: *In quacumque die comederis ex eo morte morieris.* Mortem subitò cohors infirmitatum, miseriarum, & calamitatum comitabatur; unde S. Augustinus laudat S. Hieronymum quod in expositione Prophetiæ Jonæ dixerat parvulos Ninive meritò propter peccatum originale coactos fuisse, ad jejunandum; *Et liber tuus,* inquit, *in Ionam Prophetam hoc insigniter, dilucidèque declarat, ubi jejunare parvulos propter ipsũ originale peccatum meritò coactos esse dixisti.* S. Augustinus insuper in suo Enchiridio, huic, ut omnium dolorum, & calamitatum fonti, miserias præsentis vitæ adscribit.

Gen. 2, 17.

S. Aug`st. epist. 28.

S. August. in Euch. cap. 26.

Quomodo tribulatio naturalis, & pœnosa est?

25. Sed nónne diximus nos has omnes tribulationes unà cum morte, nobis esse connaturales; nónne hoc omnes Philosophi pariter affirmant? Quomodo ergò dicimus illas peccatorum effectus esse? Utrumque verum esse potest, nec hoc novum est, quia spinæ naturaliter ex terra nascuntur, & tamen inter pœnas peccati numerantur. Serpenti quoque naturale est per terram serpere, & tamen in pœnam illi inflictum fuit; *Supra pectus tuum gradieris.* In hoc mihi videtur accidisse homini, sicut personæ nobili, cui ob aliquod delictum commissum, domus pro carcere datur; ita ut ubi primò pro commoditate habitabat, propter pœnam & castigationem jam commoratur. Sic animæ nostræ domus est corpus, de quo dixit Apostolus; *Scimus quòd si terrestris domus hujus nostræ habitationis dissolvatur;* in ipsa commorabatur anima ante peccatum, ut in domo deliciarum, & voluptatum; postmodum verò carcer ejus effectum est, de quo dicebat Propheta regius; *Educ de custodia animam meam.* Vel meliùs dicamus, naturam nostram instar aquæ esse, quæ à propria gravitate attracta, deorsum tendit, & currit ad mare amarum omnium miseriarum nostrarum compendium. In statu autem innocentiæ, erat agger justitiæ originalis, non permittens illam in mare defluere, sed vi retinens. Advenit postmodum peccatum originale, & aggerem abstulit, ac destruxit, unde natura nostra se ampliùs continere non valens, pondere suarum infirmitatum, & passionum, ad ima defertur: ut bene intellexit prudens illa mulier Thecuites, dicens: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur.* Sicut ergò cuidam inquirenti, quæ causa sit,

Gen. 3. 14.

2. Cor. 5. 1.

Psal. 141. 8.

Natura suo pondere ad calamitates defertur.

2. Reg. 14. 14.

quod flumen prius aggere retentum, modò in præceps defluat; responderi possit, aquam illam descendere, quia naturâ suâ gravis esset, & bene diceret; qui autem illam descendere diceret, quia agger illam retinens destructus esset; rectè quoque affirmaret. Pariter interroganti, cur homo tot miseriis & calamitatibus suppositus esset, si responderetur, quia à peccato agger justitiæ originalis ablatus esset, bene diceret, & qui responderet, hoc esse centrum & sphæram hominis, calamitatibus, & miseriis abundare; verum quoque affirmaret. Hucusque igitur quantum ad peccatum originale attinet.

26. De peccato autem actuali quid dicemus? non sequitur necessariò ad hoc tribulatio; non enim vult Deus omnes peccantes in hoc mundo corripere, sed justitiam exactam in altera vita conservat. Legimus in libris Numeri contra Moysen, murmurasse Mariam sororem ejus, & Aaronem ejus fratrem, nec tamen reperimus ambos fuisse punitos, sed Mariam solam, quæ leprosa remansit. Sed quare? An quia illa prima in murmuratione fuerat, & Aaron secum in eandem traxerat; unde scriptura sacra illorum peccatum referens inquit: *Locutaque est Maria, & Aaron contra Moysen*, primo loco ponens Mariam, illamque summo sacerdoti præferens, quæ fuerat prima & principalis actionis causa? sed si hac ratione peccatum ejus gravius fuit, tantò majus fuit illud Aaronis, quia summus Sacerdos erat, qui sanctitate non minùs quàm dignitate, omnes excedere debebat. Si quoque Maria graviter peccarat, quia actiones alterius judicarat; cùm sicut mulier, ab aliis seclusa esse deberet, & domui suæ attendere; excusari tamen magis potuit, quia mulieris instar inclinata murmurationi & inconsideratæ locutioni erat. Denique Deus in reprehensione illorum nullam distinctionem fecit; nec sicut primos parentes unum post alium corripuit, sed communiter dixit: *Quare non timuistis detrahere servo meo Moysi?* & subjunxit Sacer textus: *Iratusque contra eos abiit, & ecce Maria apparuit candens leprâ, quasi nix.* Communis ergò fuit culpa, communis reprehensio, communis ira Dei, & sola castigatio particularis Mariæ; & hoc fortè quia cùm Aaron summus Sacerdos esset, noluit apud populum auctoritatem suam castigatione diminui. Sed si hac aut alia ratione factum fuerit; clarè apparet, non omnia peccata in hac vita puniri, nec omnes peccatores à Deo in hac vita æqualiter excipi.

Cur Maria non Aaron punitus?

Num. 12. 1.

Non omnes æqualiter puniuntur.

Num. 12. 8.

27. Nihilominus non sine

punitione

Peccatum in hoc mundo non semper punitur.

punitione peccatum in hoc mundo ſæpe tranſit; quia tanta eſt pœna, quàm peccatum meretur, ut maxima punitionis pars in altera vita reſervetur, & in hac vita quoque, Deus partem peccatori tribuit. In hoc mihi accidere videtur, ut voci quandoque accidit, quia non ſemper loquendo, & vocem in aurem reflectendo, formatur Echo; ſed tunc ſolùm quando vox in cavernas ſe reflectit. Peccata non ſunt aliud quàm voces ſtrepitantes; ideoque legitur:

Gen. 18. 20. *Clamor Sodomorum multiplicatus eſt.* Caſtigationes autem quid ſunt? tot reſponſiones harum vocum, quæ non ſemper remittuntur, ſed juxta profunditatem abyſſus judiciorum divinorum. Hoc rectè cognovit Propheta Iſaias, quærentibus enim quibuſdam quæ fuiſſet cauſa afflictionis Hebræorum in illo tempore, ſapienter aſſignavit cau-

Iſai. 59. 12. ſam dicens: *Peccata noſtra reſponderunt nobis*: hæ noſtræ tribulationes non ſunt aliud, quàm reſponſiones peccatorum noſtrorum, & Echo à divina juſtitia, ad clamorem peccatorum noſtrorum excitata.

Peccata ſunt Echo iræ divinæ.

In quo aliam pulcherrimam conſiderationem aſſignat; quod ſicut Echo ſemper voces diminuit, nec verba integra repetit, nec tali vigore, quo à prima voce prolata fuerunt. Ita caſtigationes divinæ ſemper ſunt minores, & leviores culpis noſtris, juxta dictum Prophetæ regii; *Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis.* Pſ. 102. 10. Vel dicamus peccatum eſſe, ſicut ætatem decrepitam hominis, quæ illum plurimis infirmitatibus ſubjectum reddit: Catharris, podagræ, frigiditati ſtomachi, malis dentibus, & ſimilibus. Ipſum quoque valde impatientē, melancholicum, ſuſpicioſum, timidum, & ſibi ipſi gravem, & moleſtum efficit; ac taliter ſenſus omnes obtundit, ut illis objectis aliàs ſibi charis, & amabilibus, jam delectari non poſſit.

Peccatum ut ætas decrepita.

Quantumcumque etiam videamus quandoque ſenem robuſtum, ſanum & viribus pollentem, ut Cicero de Catone referebat, & ſcriptura ſacra de Caleb; ordinariè tamen omnes ſunt iſtis paſſionibus ſubjecti. Tale, inquam, peccatum eſt, licet enim quis repepriatur peccator, qui hilariter vivat, & feliciter, ac ſanâ mente dies ſuos in ſenectute tranſigat, ita ut fortunam ſibi propitiam, & ſubditam habere videatur; hic tamen caſus rarus admodū, & inſolitus eſt; nec minùs ipſe quàm ſenectus mille infirmitatibus, & corporis, ac animæ afflictionibus, paſſionibus, & perturbationibus ſubditus eſt: poſſidet cordis timorem, capitis perturbationem remorſum conſcientiæ, & variis exagitatur terroribus.

bus. Propheta David hoc nomine senectutis peccatum quoque rectè appellare solebat, de

Psal. 6. 8. scipso dicens: *Inveteravi inter*

Psal. 17. 46. *omnes inimicos meos*; & *filii alieni inveterati sunt*. Non solùm quia ut suprà diximus peccatum vitam abbreviare solet, & hominem ante tempus ad senectutem perducere. Nec solùm quia sicut homo paulatim non advertendo senescit, & ad vitæ terminum properat; sic nos paulatim sine reflexione tepidè vivendo, ad peccata properamus, & nosmetipsos miramur, quod in talia peccata inciderimus, unde primò valde multum abesse videbamur; verùm etiam quia peccatum non minus quàm senectus reddit hominem debilem, infirmum, & mille infirmitatibus obnoxium. Unde meritò concludere possumus, quòd licèt omne peccatum sit pater tribulationis; nulla tamen est tribulatio, quæ alicujus peccati, non se agnoscat filiam.

Peccatum, & senectus hominem viribus privant.

28. Dices cæcitas Celidonii in Evangelio, quam ex utero matris trahebat, non fuit tribulatio? Certè ita, & magna quidem; nonne dixit Salvator illam à nullo peccato ortam, nec à suo, nec à parentum, sed pro-

Peccatum semper tribulationis causa.

Joan. 9. 3. pter gloriam Dei; *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Quomodo ergò dicimus tribulationem semper esse alicujus peccati filiam? Respondeo duo genera causarum esse, aliæ universales, aliæ particulares. Universalis est sol respectu arborum, & fructuum; particularis est arbor respectu fructuum. Non negat Salvator de causa universali, cæcitatem Celidonii peccatum originale cognoscere; quia negari non potest, si hoc non fuisset, nec cæcitatem illam futuram fuisse, nec ullum hominem cæcum nasciturum. Negat tamen Salvator quoad causam particularem; quòd enim Celidonius potiùs, quàm alius homo nascatur cæcus, non fuit causa particulare peccatum, nec suum, nec parentum.

29. Rectè quoque dixi omne peccatum tribulationem causare, cùm teste S. Propheta Job plurimi peccatores; *Ducunt in* Iob 21. 13.
bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Verum quidem est peccatum, quod in factore suo quandoque non punitur, in posteris sæpè castigatur, dicente Salvatore: *Ego Dominus zelotes,* Exod. 20. 5
visitans iniquitatem patrum in filios, usque in tertiam, & quartam generationem. Talibus exemplis scriptura sacra abundat, quia Chanaam nepos Noë fuit ab illo maledictus, propter peccatum Cham patris ejus. Davidi quoque mortuus est filius propter peccata sua. Posteri Saulis & Achab puniti fuerunt propter peccata progenitorum suorum.

Peccata parentum in filiis puniuntur.

In Evangelio quoque habetur, quòd cùm dœmoniacus quidam ad Salvatorem adductus esset, quem ejus discipuli liberare nequiverant: petiit ab eo Christus quanto tempore illud infortunium pateretur, & dictum illi fuit ab infantia: quod Salvator optimè noverat, sed voluit aliis idem innotescere, ut scirent diabolum multo tempore alium quandoque vexare, indeque difficillimè ejici; nec hominem illum propriâ culpâ id pati. Nec sine mysterio id fortè à patre petiit, ut ipsi insinuaret, quòd peccata ejus fortè occasio fuerant, tanti mali innocentis filii: ut bene notat S. Petrus Chrysologus dicens: *Revolvit infantiam, ut tanti mali causa, non tangat sobolem, sed parentem.* Pro magno denique reputatur miraculo, quod in libris Numeri habetur: *Pereunte Chore, filii ejus non perirent.* Nec de hoc dolere possunt filii, cùm bona temporalia à patre habeant, non mirum, quòd ratione illorum quandoque affligantur.

S. Petr. Chrysol. serm. 52.

Peccata filiorum in parentibus puniuntur?

30. Sed peccata filiorum numquam sunt puniti in parentibus? Si de peccatis futuris loquamur, certè numquam; quia illa nequidem personæ à qua committenda sunt nocumentum adferunt: ut notat insignis quidam auctor modernus in Genesim scribens; ubi dicit Deum Abrahamo favisse, propter bona opera ab eo patranda, & dicit: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum? Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ, post se, ut custodiant vias Domini, & faciant judicium & justitiam.* Quem locum considerans S. Joannes Chrysostomus; meritò divinam admiratur bonitatem, quòd etiam merita futura remuneret: *Vide, inquit, Domini bonitatem non solùm pro præteritâ virtute, sed pro futura justum remunerat:* Sed peccata futura, numquam castigat. Quantum ad peccata commissa, absque dubio patres sæpiùs puniuntur, propter peccata filiorum; ut patet in Sacerdote Heli, cui Deus per Samuelem graves minatur pœnas, propter delicta filiorum; & ratio clara est, quia rarò sunt talia peccata sine culpa parentum, qui non bene educant, aut corripiunt filios suos, cùm deberent.

Gen. 18. 17

Propter peccata aliquorum punitur populus.

31. Sed quid mirum si quandoque patres pro filiis castigentur, cùm pro uno solo peccato, quandoque populus integer castigetur? Sic in Josue legimus magnam cladem populo accidisse, per peccatum Achan; & in libris Regum reperimus, nunc fame, nunc peste populum afflictum, propter peccata regum. S. Augustinus acutè hanc rationem assignat dicens, quia boni non debitè corrigunt malos. Et hoc quidem pro peccatis

publicis, sed de occultis, quid dicemus quale erat illud Achan? Hic alia responsio Justini martyris alleganda: Deum hoc agere, ut homines sciant, se membra unius corporis esse, inter quæ talis est connexio, ut unum patiatur pro alio, & se invicem ament, & pro necessitate adjuvent. Aliam quoque rationem adjungere possumus, ut sciamus quantum Deus abominetur peccatum, ut non sufficiat ipsi quandoque punire delinquentem; verùm etiam propter illum, populum integrum. Ex supradictis igitur clarè patet, quomodo peccatum occasio, & causa tribulationis existat; ad solita ergò documenta colligenda properemus.

Iustinus quæst. 138. ad Orthodoxos.

Peccatum maximè odiendum.

32. Primum documentum esse potest, nos maximam concipere debere indignationem contra peccatum; inclinati ordinariè sumus, ad odio persequendum illum, qui malè agit, & dolemus à lege Evangelica prohibitum esse vindictam sumere, de inimicis nostris; nunc ecce campus apertus, ut nostram indignationem contra illos effundamus. Nullus majus nobis intulit damnum, quàm monstrum hoc peccati; contra illud ergò in odium, inimicitiam, & vindictam insurgamus. Si Trojani potuissent recipere Senonem, qui sub fictione amica, illos decepit, & occasio traditionis civitatis fuit, quæ à Græcis ferro, & igne vastata, quomodo putatis, illum excepissent? Quomodo Hecuba quæ ratione ejus ex potentissima Regina miserrima vidua, ex uxore tanti regis, inimicorum mancipium, ex felicissima denique, & abundantissima, pauperrima, & infelicissima evaserat mulier, illum excepisset, & in tot frusta, & partes secasset; qualia ipsi tormenta præparasset, qualia non excogitasset supplicia? Hoc nobis modo contra peccatum agendum, hîc auditores indignationes vestræ exsurgant, hîc vindicativos vos exhibete: hoc illud est monstrum quod sub larva inimici, & sub pallio voluptatis plurima, & inæstimabilia confert damna, quomodo ergò illud non omni odio persequendum? Quomodo possibile erit, ut aliquis illud ut amicum in domum recipiat?

Contra peccatum consurgendum.

Sicut Græci contra Persas conjurarunt, sic contra peccatum agendum.

33. Cùm Rex Persarum potenti exercitu Græciam intrasset, & damna plurima iis intulisset; tantum in illis concitavit odium, ut simul coadunati resolverint, non tantùm ad mortem usque se illi oppositiuros; verùm etiam triplici juramento se obligaturos. Primum erat, non se vitam libertati prælaturos, sed mori potiùs, quàm mancipia evasuros. Secundum, non suos Duces, aut Imperatores deserturos; tertium, non se ædificia ab

ipso

ipso destructa reædificaturos, ut ruinæ permanentes, majus odium in illos concitarent. Nos plura, & majora damna, à peccato recepimus, quàm Græci à Rege Persiæ, cur ergò nos quoque similem resolutionem, non amplectemur? Nemo sit ex nobis qui non libertatem vitæ præferat, & qui non velit potiùs centies, & millies mori, quàm servum se peccati constituere, quod fit illud committendo;

Ioan. 8.35. *Qui enim facit peccatum, servus est peccati.* Nunquam ducem nostrum, & redemptorem Christum deseramus, ipsum quippe sequendo securam de inimicis nostris referemus victoriam, re-

Ioan. 8.12. ctè siquidem dixit: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris*, peccatorum videlicet. Non reædificemus denique domus destructas; non requiramus commoditates & sensualitates in hac vita, ut continuò peccatorum damna præ oculis habeamus:

ad Hebr. 13.14. quia, *Non habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.*

Peccato non fidendum, quia specie boni decipit.

34. Secundum documentum est præcedenti simile, ut non faciliter credamus peccato, dum specie boni & amici se nobis exhibet; & caveamus consensum præbere rebus ab ipso propositis, illud siquidem aliud non est quàm mors & servitus. Recordor insignis illius eventus qui Imperatori Theodosio juniori accidit; sororem habebat pulcherrimam ac sanctissimam, Pulcheriam nuncupatam; quæ ipsum optimis documentis instruebat. Primò ne umquam alicui memoriali subscriberet, licèt intimo amico, quin prius perlegeret: quo ipso non præstante, deceptionem parat, libellum supplicem illi exhibet, quo petebat ut omni juri suo cederet, quod in Eudoxiam uxorem suam haberet, sibique pro famula addiceret, & hunc libellum per fidum amicum Imperatori transmisit. Vadit hic ad Theodosium, dicitque illi, Pulcheria soror tua petit ut illi concedas quod hoc libello supplici expostulat: ipse absque ullo intuitu, sciens sororis suæ sanctitatem, & prudentiam, sine alia indagatione subscribit, ipsique mittit. Non post multum temporis mittit pro Eudoxia uxore sua, quæ cum Pulcheria commorabatur, illa autem respondit, renuntiate Imperatori, me non velle ut veniat, & summoperè mirari, missionem illam, cùm jam uxori suæ renuntiasset. De hoc Imperator ridendo dixit, soror mea mecum jocari cupit; sed revertens dic illi ut dimittat Imperatricem, quia illâ opus habeo; redit Legatus, & Pulcheriæ intimat voluntatem Imperatoris; sed obstinatiorem quàm ante reperit; & Imperatori renuntiat, qui hac novitate stupefactus, ad sororem suam

Qualiter Pulcheria decepit Theodosium?

 tendit,

tendit, ut de illa conqueratur; illa autem illi occurrens, dixit; noli mirari Imperator si uxorem dimittere nolui, quia ecce mihi eam concessisti, ipsique libellum supplicem propriâ manu, subscriptum exhibuit, eoque modo ipsum cautiorem inposterum reddidit.

Caro, mundus, & diabolus nos decipere conantur.

35. Quod autem pro animadversione fratris sui, hæc prudens soror exhibuit, nostro damno, ut animam nostram decipiant, nobis exhibent diaboli, mundus, caro, & peccatum. Caro ut soror nostra multum nobis chara est, & spiritui prævalet; quia, *Nemo umquam carnem suam odio habuit.* Ipsa autem non desinit exhibere libellum supplicem, modò illam delectationem exigens, modò commoditates requirens, modò illud, modò aliud menti objiciens; si autem spiritus de ea confisus, oculis clausis, omnia admittat, & supplicationi, inadvertenter subscribat; in manus inimicorum animam tradidisse videt. An exemplum hujus rei quæritis? Legite, quid de eo Sapiens in Proverbiis dicat; *Veni, fruamur concupitis amplexibus*; dicitur à muliere vana, incauto juveni, ecce libellus supplex quem offert; quid ad hoc inquit adolescens? *Statim sequitur eam, quasi bos ductus ad victimam*: ipse quasi bos stolidus consentit, & supplicationi subscribit; considerâtne, quod agatur de salute animæ suæ? Hoc rectè sacra scriptura declarat, sequentibus verbis; *Et nescit quòd de periculo animæ illius agitur.* Hinc ad Thessalonicenses scribens Apostolus, rogabat illos ne subitò moverentur, & bonam fidem relinquerent: *Rogamus autem vos fratres, per adventum Domini nostri Iesu Christi, ut non citò moveamini à vestro sensu*; sed quid, sufficiebâtne ipsi, ut tardè moverentur? Si bona erat mutatio, ergò brevî facienda, si non bona, nec brevî, nec tardè facienda. Quare ergò rogat illos ne citò moveantur? Sciebat enim, si inconsideratè non fecissent, numquam fecissent. Unde paulò pòst sequitur; *Ne quis vos seducat ullo modo*; Si vos enim inconsideratè sine deliberatione prævia, quidpiam egeritis, facillimè decipiemini, & invenietis vos malè subscripsisse illi rei, quæ vobis minimè placebit: ideoque *Ne citò moveamini*; attentè, & consideratè procedite, ne tam citò subscribatis supplicationi carnis vestræ, aut cujusque alterius. Hæc supplicatio, & Chyrographum fuit, quod Christus per passionem, & duram crucifixionem delere debuit, juxta dictum Apostolicum; *Delens quod adversum nos erat, Chyrographum decreti, affigens illud cruci*; unde inexcusabiles in posterum erimus, si inadvertenter consentiamus appetitibus

Marginal notes: ad Ephes. 5. 29. — Prov. 7. 18. — Ibid. 22. — Ibid. — 2. Thessal. 2. — *Non citò consentiendum.* — Ibid. — ad Coloss. 2. 14.

petitibus nostris, & supplicationi carnis, peccato confœderatæ, contra nos ipsos, subscripserimus.

Radix malorum auferenda.

36. Tertium & ultimum documentum est, quod dum à tribulatione nostra liberari cupimus, radici malorum omnium, quæ est peccatum, remedium adhibeamus; sicut enim medici docent, si causæ infirmitatis non adhibeatur remedium, in vanum laboratur, & salus frustra speratur. Quando Deus voluit populum suum eripere de manu

Judic. 6, 20

Madianitarum; misit Angelum Gedeoni, illique dicere præcepit, quod jugum Madianitarum, quo populum graviter premebant, auferre vellet; primum autem quod præcipiebat erat ut destrueret aram Baal. Sed nónne melius fuisset, ut superasset inimicos Dei sui, & auctoritatem apud populum acquisivisset, & postea nullus contradixisset, ubi privatim hoc exercens, persecutus fuit, & maximum incurrit vitæ periculum?

Occasio peccati tollenda.

Non, inquit Angelus, primum quod faciendum est, altare Baal est destruendum, idololatria ex patria auferenda, hæc enim omnium malorum radix est. Hæc est quæ robur inimicis addit, & divinum auxilium nobis aufert; ita fecit Gedeon & præclarissimam obtinuit victoriam. Dum ergò victor esse desideras inimicorum, dum à tribulationibus & miseriis expediri cupis, destrue primò altare Baal. Non sufficit idolum destruere, etiam altare destruere debes; non tantùm videlicet peccatum deserendum, verùm etiam occasio peccandi, mala conversatio, societas scandalosa, domus laqueis diabolicis plena, ludus blasphemiæ schola, & omnia mala vitanda: hæc enim sunt radices peccatorum, & malorum tuorum. O si hoc altare Baal à nostris ducibus, & militibus destrueretur, antequam contra inimicos pugnarent, quàm insignem, & gloriosam obtinerent victoriam? Sed hoc non emendando, vanæ, & inutiles omnes nostræ diligentiæ remanent.

Spina peccati evellenda.

37. Nónne videtis si acuta spina, inadvertenter pedem, aut manum transfigat, & dolorem maximum adferat, licèt unguenta, & fomenta opponas, aut quæcumque remedia applices; non cessabit dolor, donec spinam infixam evulseris? Sed quæ spina magis pungit, quàm peccatum? Dum hoc ergò in corde tuo retines, frustrà delectationes, & consolationes inquiris, si enim spinam non evulseris, sine dolore esse non poteris. Probavit hoc in seipso Propheta David, ideoque in Psalmis dicebat,

Psal. 31. 4. bat; *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina*: Converti me, inquit, undequaque, ut consolationem reperirem, sed frustra, & vana omnia, quia spina intùs infixa, me affligebat. Sed quæ hæc spina erat? Ipsemet subitò declarat
Psal. 31. 5. dicens: *Delictum meum cognitum tibi feci*; adverti videlicet originem mali mei, & vobis uti medico aperui; vulnus, & spi-
Ibid. nam infixam: *Et tu remisisti iniquitatem peccati mei*: Spinam meam subitò evulsisti. Meritò
Ibid. 7. ergo dicam: *Tu es refugium meum, & exultatio mea*; & cognosco totum malum meum, ex retectione peccati, & non manifestatione spinæ ortum esse.
Ibid. 3. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Sicut etiam expers Chyrurgus ut bene totam spinam elevet, scindit, & vulnerat; sic Deus, tribulationes & miserias immittit, ut spinam illam inveterati odii, malæ conversationis, cupiditatis, ac sensualitatis evellat; alioquin die ac nocte quiescere non poteris. Voluntariè ergò & hilariter, illas sufferre debes, & cooperari Deo, in evulsione illarum, illas bene declarando, & apertè exhibendo in sincera, & vera confessione, ut dolorem illarum sentire possis.

Josue 7. 38. Cùm Josue Dux populi Israëlitici, & terræ promissionis acquisitor ingenti clade à populo Hai affectus fuisset, contra omnem expectationem. Subitò ad Deum, qui Dux generalis erat, recurrit, & de illa perditione dolendo conquestus, adjutorium divinum requisivit. Responsum illi fuit, ut coadunaret populum, sortesque mittendo, tantæ ruinæ auctoré facillimè inveniret. Per tribus ergò, familias, domus, & personas sortem mittens, invenit culpabilem Achan, ipsoque lapidato cessit indignatio divina; & populus Hebræus denuò victor evasit. Si verò Deus volebat lapidari Achan, nónne ipse publicare poterat? Cur Josue laborem illum imponere voluit, mittendi sortes? Si Deus siquidem non permisisset sortem ita cadere, fallax, & vana fuisset. Quid ergò referebat Deum illum manifestare, uno modo potiùs, quàm alio? In primis exhibere voluit, quantum illi displicebat, peccata alterius manifestare, & quàm longè ab eo absit; cùm necessitate urgente, nolit immediatus auctor esse, sed hoc sorti committat. Nec Josue illud manifestare voluit, ut nos doceret dum tribulatione affligimur, diligenter radicem ejus investigandum esse, omnesque actiones nostras indagandas, si

Iosue bello deperdito, ad Deum confugit.

Quàm displiceat Deo peccatum occultum manifestare.

ſi fortè in iis aliquam occaſionem culpabilem reperiamus, pro qua debitam agentes pœnitentiam, magnam conſcientiæ pacem, & ſecuritatem aſſequemur, nec aliquid erit, quod tormentum adferre poſſit. Si enim tribulationem quandam patiemur, ſpe æternæ vitæ condietur. Quam Deus nobis concedere dignetur. Amen.



DISCVRSVS XIX.

Si tribulatio virtutis effectus; de afflictis non malè sentiendum, nec propter lucrum virtus sequenda.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

1. INsignis Philosophiæ regula docet, nos posse à causis ad effectum procedere; sicut enim semen est, talis erit fructus; & qualis radix talis arbor; qualis fodina, tale metallum. Dicunt quoque Philosophi, aliud non esse scientiam nostram, quàm effectus per causas cognoscere: *Scire est rem per causam cognoscere.* Unde sequitur, contrarios æstimari effectus, si causæ sint contrariæ. Experientiâ quoque idem patet, si enim ignis calefacit, aqua refrigerare debet; si frigus condensat, calor exsiccare debet: si aggravet terra, aër leve reddere debet: si amarum sit molestum, dulce erit amabile; si à bonitate causatur amor, à malitia causatur odium. Si sol nobis appropinquando est causa generationis omnium viventium, unde primo vere, videmus cuncta florere, & rejuvenescere; sic à nobis discedendo, erit occasio corruptionis, & defectus eorum; ideoque brumali tempore, omnia horrore mortis quasi videntur cooperta. A contrariis ergò causis effectus contrarii sunt producti; sed quæ magis inter se sunt contraria, quàm peccatum, & virtus? Contraria in essentia, quia habitus, vel actus positivus est virtus; peccatum autem,

Ex contrariis causis, nascuntur contrarii effectus.

Peccatum & virtus maximè contraria.

autem, privatio, & defectus. Contraria in causis, quia virtutis auctor Deus; peccati diabolus. Contraria in fine & termino, quia illius finis, æterna beatitudo; hujus verò, perpetua, & infelix mors. Contraria objecto, quia illius est bonum, hujus autem malum. Contraria denique effectu, quia illa hominem beatum, & Deo gratum efficit; hoc verò iniquum, & Deo odibilem. Illa libera est, & suiipsius domina; hoc suorum appetituum servus, & mancipium diaboli. Illa denique lux est; hoc tenebræ; illa mel, hoc fel: illa unio, hoc disunio: illa est vita, hoc est mors; si juxta Philosophiam ergò, à contrariis causis contrarii oriantur effectus; cùm probaverimus tribulationem à peccato oriri; sequitur virtutem prosperitatis lætitiæ & quietis causam esse.

Ex causis contrariis non semper contrarii effectus.

2. Hæc tamen consequentia non adeò est clara, ut fortè videtur, quia illa Philosophiæ regula quæ dicit ex contrariis causis contrarios oriri effectus, non est adeò infallibilis, & universalis, quin patiatur multas exceptiones, & limitationes, quarum una posset hæc esse. Aqua & ignis contraria sunt, & tamen non minùs occidit hominem ignis, quàm aqua demergat, & suffocet; frigus, & calor contraria sunt, uterque tamen exsiccat. Lux & tenebræ contrariæ sunt; non tamen solæ tenebræ visum adimunt, verùm etiam excessiva lux. Virtus & vitium contraria sunt, dum tamen in aliquo excedunt, non minus illa, quàm hoc, eum famosum reddunt. Non minus quippe propter crudelitatem celebratur Nero, quàm propter benevolentiam Titus; non minus propter tyrannidem Dionysius Syracusanus; quàm propter justitiam Augustus. Non minus propter deceptionem Simon; quàm propter fidelitatem Damon & Pitias. Ratio autem cur à contrariis causis idem producatur effectus est; quia cùm contraria sub eodem genere contineantur, oportet illa in aliquo convenire, & secundùm hoc ejusdem effectus poterunt esse causa. Talia sunt contraria, prodigalitas, & avaritia, & tamen ambo reddunt hominem vitiosum; quia ab eodem medio discedunt, in quo consistit virtus. Vera ergo remanet regula Philosophica, nos autem adhuc incerti, utrum à virtute tribulatio oriri possit; non obstante, quòd in multis sit virtuti contraria: & hic scopus præsentis discursus erit.

Virtus non est tribulationis mater.

3. Virtutem pro matre aut nutrice tribulationis agnosci non debere, plurimæ rationes probant. In primis cunctæ tribulationes ad duas species reduci possunt, ad internas nempe,

pe, & externas illæ ad animam
pertinent, hæ ad corpus; illæ
ſunt triſtitiæ, afflictiones, men-
tis perturbationes, & cruciatus
conſcientiæ: hæ autem dolores,
infirmitates, paupertas, bono-
rum ſpoliatio & ſimilia. Qua-
rum ergò virtus occaſio dici po-
terit. An tribulationum animæ?
Sed hoc nimis apertè falſum,
quia objectum animæ noſtræ
proportionatum, & proprius
ejus cibus, eſt virtus; ſicut quo-
que probavimus nullum majus
eſſe tormentum malâ conſcien-
tiâ, ſic non eſt major delectatio
quàm bonæ conſcientiæ quæ à
virtute naſcitur. In mundo non
videtur delectabilius reperiri,
quàm dulce, & abundans con-
vivium, in eo ſiquidem faſtidia
obliviſcuntur, membra reſtau-
rantur, dulcis amicorum con-
verſatio exhibetur, ſenſus oble-
ctantur, omniſque gaudiorum
Secura mens juge convivium. feſtivitas percipitur. Huic con-
vivio gloria cæleſtis aſſimulatur;
Luc.22.30. *Diſpono vobis, ut edatis, & bibatis*
ſuper menſam meam, in regno meo.
Sed bonæ conſcientiæ homo,
intra ſe perpetuò fruitur convi-
vio ſuaviſſimo, & Angelorum
converſatione, ac Dei intimâ,
& ſuaviſſimâ unione ſecurâ
mente quieſcit; omnes mundi
turbationes ſeponit, & internæ
potentiæ objecto ſuo propor-
tionato fruuntur. Unde meritò
Prov.15.15. dixit Sapiens: *Secura mens, quaſi*
juge convivium. In mundi convi-
viis ſæpiſſimè turbationes o-
riuntur, & rixæ, incipiuntur a-
more, & finiuntur odio, & ani-
mis nimio vino turbatis, injuriæ, *Mundana*
rixæ, & diſſenſiones oriuntur; *convivia*
& à verbis ſæpe properatur ad *periculoſa.*
verbera, & loco vini, ſcyphi ſan-
guine implentur. In convivio
ab Alexandro Magno Clito oc-
ciſus fuit; à Perpenna Sertorius,
& alii diverſi, veneno aliáve
ſumptione vitâ privati; alii cra-
pulâ, & ebrietate perierunt. In
hoc autem convivio bonæ con-
ſcientiæ, nullum ſubeſt pericu-
lum; non ebrietatis, & crapu-
læ, quia cibi illi non implent,
nec nauſeam, aut faſtidium ge-
nerant, ſed appetitum; *Qui e-* Eccli.24.29.
dunt me adhuc eſurient; non ve-
neni periculum, quia cibi vitæ
ſunt; *Cibabit illum pane vitæ*; non Eccli.15.3.
rixarum, aut diſſenſionum, quia
pax continua & jucunda hilari-
tas, quaſi flumen inundat; *Vti-* Iſai.48.18.
nam attendiſſes ad mandata mea,
facta fuiſſet quaſi flumen pax tua:
non diſordinata, quia invitans
eſt Deus; *Et quæ à Deo ſunt, ordi-* ad Rom.
nata ſunt: Ideoque numquam 13.1.
interrumpi, aut diſſolvi poteſt.

4. Magna eſt differentia in-
ter rivum per terram curren-
tem, & flumen ab alto monte
deſcendens: ille facillimè im-
pediri poteſt, aggere, aut foſſa
profundiori curſum ſuum diri-
gente: hoc verò impetu ruens, *Proſperitates*
vix aut nullatenus impediri po- *mundi rivi*
teſt. Proſperitates & mundi vo- *decurrentes.*

luptates,

luptates, quid aliud sunt, quàm rivuli aquarum de terra nascentium & per terram currentium? O quàm faciliter impediri possunt! currit aqua favoris principis per domum tuam, multa expectas bona, sed ecce agger aliquis malæ linguæ, efficit aquam illam aliò deduci, & tu in sicco remanes; currebat aqua divitiarum ad te, sed ecce profunda fovea litis, omnes absorbuit. Videbantur aquæ delitiarum, & voluptatum inundare tibi, fruebaris desiderato objecto; sed ecce invidiæ agger, & perversus quidam, inutilem spem tuam reddidit. Consolationes autem divinæ quid sunt? flumen ingens, & torrens inundans; *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, Descendit ab alta sede Dei; *Ostendit mihi fluvium procedentem de sede Dei, & Agni*: Quis agger, aliúdve impedimentum, impedire poterit? *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis*.

Consolationes divinæ flumen inundans.

Psal. 45. 5.

Apoc. 22. 1.

Joan. 16. 22.

Labor justorum delectabilis.

5. Oportet quoque justos tribulari, laborare, & affligi: verum est, sed tribulationes illorum sublevantur tot consolationibus, ita ut vix eas sentiant. Magna est differentia, iter facere per condensas sylvas, & per fœcundas vineas tempore autumni; qui per sylvas incedit, non invenit viam tritam, timet latrones, impedimenta, spinas, & malas herbas, vestes, & quandoque carnem lacerantes, nec invenit unde se reficiat; qui autem per vineam bene cultam, singulis momentis uvas maturas dependentes reperit, sine labore eas colligit, & si placeat sub umbra foliorum requiescit, se refrigerat, & vago aspectu se recreat. Quis non dicet hanc potiùs recreationem, quàm iter molestum esse? In hac vita omnes peregrini sumus; *Advena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei*; Sed iniqui quâ viâ iter faciunt? per vias difficiles, per sylvas condensas & horrenda deserta, ut ipsimet fatentur; *Ambulavimus vias difficiles*. Moyses Dei Propheta enarrans iter filiorum Israel, ab Ægypto ad terram promissionis, dicit Deum reperisse populum suum, in terra deserta, & vasta solitudine; unde commiseratione motus, illi ducem se præbuit, usque dum feliciter ad terram promissionis adduceret. *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis. Circumduxit eum, & docuit, & custodivit eum quasi pupillam oculi sui*. Sed quomodo dixit, *invenit*? Nónne Deus illum eduxit de Ægypto, & in desertum conduxit? Ergò non *invenit eum in deserto*; sed duxit. Optimè diceres si de deserto materiali loquereris, quod est inter Ægyptum, & terram promissionis; non tamen de illo loquitur Moyses sed de deserto pejori, de quo ergò? De illo in quo

Psal. 38. 13.

Sap. 5. 7.

Via impiorum difficilima.

Deut. 32. 10.

quo omnes peccatores commorabantur; unde licèt essent in Ægypto urbibus, & habitatoribus pleno; quia tamen vivebant sine lege, & præceptis divinis, meritò dicitur, illos fuisse *In deserto, & loco horroris, & vastæ solitudinis.* Sed quis locus per quem boni incedunt? per vineas uvis maturis plenas, ideoque Job imprecans malum impiis dixit: *Maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum.* Aliqui ergo per viam vinearum incedunt, & qui sunt isti, nisi justi? per has vias sponsa incedebat, ideoque tota hilaris dicebat; *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi:* Quasi diceret, iter facio per vineas Engaddi, semper mihi botrus uvarum se offert, qui est dilectus meus. Si autem defatigata erat, sub umbra requiescebat, & fructibus simul gaudebat: audite illam dicentem: *sub umbra illius quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.*

Iter justorum per vineas.

Job 24. 18.

Cant. 1. 13.

Cant. 2. 3.

Calix justorum melle plenus, iniquorum amaritudine scatet.

6. Si autem in hac via quidquam amaritudinis, & molestiæ reperiatur, tantâ dulcedinis copiâ est refertum, ut pro optimo condimento amaritudinis deserviat. Pars justorum est instar calicis melle pleni, sed in extremitate labii, parum myrrhæ, & amaritudinis est. Econtrà calix mundi, amaritudine, & abominationibus plenus, & parum dulcedinis in extremitate labii. Hujus rei fidem facit S. Joannes in sua Apocalypsi, qui meretricem famosam prosperitatis mũdanæ symbolum, vidit calicem manu tenere, quo omnes gentes ad bibendum invitabat; sed quo liquore hic calix erat plenus? abominationibus; quomodo ergò gentes se monstrabant, adeò sitibundæ? Parum mellis extrinsecus esse debebat, illas decipiens. Si mihi in hoc nõ credatis; ecce testimonium Salomonis in Proverbiis dicentis, de muliere mundana, *Favus distillans labia meretricis;* Ecce mel in labio calicis, sed: *Novissima illius amara quasi Absynthium:* Ecce quod in calicis profunditate latet, amaritudo, absynthium, & fel. Contrarium autem esse in calice justorum, audite sponsam in sacris Canticis de sponso suo loquentem; *Labia ejus stillantia myrrham.* Ecce myrrhæ amaritudinem in labio calicis, sed *Guttur illius suavissimum;* Ecce dulcissimum mel, quo intus calix abundat. S. Ambrosius hoc pulcherrima similitudine explicat dicens: *Esto in illis, hoc est in laboribus, aliquid sit acerbitatis. Quem virtus animi non abscondit dolorem? Neque enim profundum mare negaverim, quia undosa sunt littora, neque cælum lucidum, quia interdum obtegitur nubibus, neque terram fœcundam, quia aliquibus in locis jejuna glarea est, aut lætas segetes, quia interminatam solent habere.*

Prov. 5. 3.

Ibid.

Cant. 5. 13.

Ibid. 16.

S. Ambr. lib. 3. officior. cap. 5.

bere sterilem avenam. Similiter puta beatæ messem conscientiæ interpellari aliquo acerbo dolore, tamen manipulis vitæ beatæ, si quid fortè acciderit adversi atque amaritudinis, numquam sterilis avena abscinditur, aut tamquam lolii amaritudo, frumenti suavitas obducitur.

Iusti externis tribulationibus afflicti videntur.

7. Dices antè dicta rectè conveniunt animæ justorum, & internis tribulationibus, sed quis negare poterit quòd plus quàm aliis omnibus non sint externis tribulationibus expositi? Quin imò dico, quas tribulationes externas habere poterunt, dum Deum possident, protectorem, & defensorem, qui ne quidem permittet ut extra tempus affligentur? Dicebat quidam in medietate vitæ nullã esse differentiam inter magnos & parvos, divites & pauperes, felices & miseros; hanc autem medietatem esse volebat in somno, & dormitione, illo quippe tempore, nec miser sentit afflictiones, nec felix fruitur prosperitate. Mihi tamen videtur magnam reperiri differentiam, inter dormitionem principum, &

Magna differentia inter somnum principum & pauperum.

pauperum; hi omni minima occasione excitantur & impediuntur in somno, etiamsi quietè dormiant, surgere oportet, & vigilare, dum occasio se offert, aut alius requirat; advenit quandoque infortunium principi de nocte, subitò chyrurgum, & medicum vocare curat, & familiam excitat, non respiciens si fatigati dormiant, aut parum quiescant. Dum verò de magnate, aut principe agitur, hic custoditus dormit, nec ullus eum excitare audet, veniat quicumque velit, vel quodcumque negotium habeat, princeps dormit, patientiam habe. Ad hoc intentum insignem casum refert Plutarchus; dum quidam proposuisset Imperatorem Lucullum interimere, qui in Asia bellum gerebat, medio die tentorium illius ingressus, putabat æstivo calore milites omnes obdormivisse, ipsumque Lucullum quoq; somno deditum, sicque intentum suum perficere potuisse. Cubiculario ergo reperto dixit se negotium urgens agendum habere cum Imperatore, at ille respondit, modò non vacat, tempus est enim dormitionis, oportet tamen me illi loqui replicabat alter; non est, inquit cubicularius, majus negotium quàm salus Domini mei; quod ille audiens se detectum putabat, subitoque se inde recepit. Justus ergò quomodo dormit? ut princeps nullus eum excitare audet; quis illum custodit? Sancti Angeli cælestes illi milites, ut testatur sponsa in Canticis; *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortißimis Israel.* Per hunc lectum, multi intelligunt animam justi, & per fortes illum custo-

Iustus ut princeps dormit.

Cant. 3. 7.

custodientes, Angelos cælestes.

8. Parum dixi, Deus ipse advigilat, ne anima sancta à somno excitetur; *Adjuro vos filiæ Ierusalem ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit*: Videlicet dilectus meus, sponsus meus, qui est cor meum, vigilat dum ego dormio; unde propter frequentes inimicos illi circumdatos, non desino dormire, nec est qui excitare audeat. David idem quoque affirmat dicens: *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me*; sed quid fecisti David, quomodo te ad defensionem præparasti; *Ego dormivi, & somnum cœpi*; nónne à tot inimicis timebas? Non, quia defensio pro me bona erat; *Quia Dominus suscepit me.* Salvator noster pulchrâ similitudine quoque probat, solicitudinem quam de servis suis habet, nec velle illos impediri, aut excitari à somno. Dicit enim in S. Luca, amicum quemdam media nocte, ad alium amicum accessisse, & pulsando supplicasse, ut vellet illi tres panes accommodare, ut hospiti inopinatè advenienti proponat, ille autem ab intùs respondet; Noli mihi molestus esse, quia porta occlusa, & servi mecum sunt in cubili non possum è lecto surgere; si autem perseveret pulsans, si non propter amorem ad minus propter importunitatem surget, & petitos panes adferet. Ubi notandum, proposito nostro, non præcepisse Dominum servis suis ut surgerent, & responderent pulsanti, sed excusabat se amico dicens, servos suos jam requiescere. O benevolentia Domini, ut autem sciretur, illam non fuisse avaritiam, ne daret illos panes amico, sed benevolentiam versus servos; ecce volens amico complacere, non jubet servos surgere, sed ipsemet subministrat necessarios panes; ut nos erudiat quàm benevolus, & zelosus sit Deus non tantùm bonorum, verùm etiam commoditatum servorum suorum: si tantam ergo solicitudinem gerit, quis audebit illos attingere?

Cant. 2. 7.

Deus servos suos sollicitè custodit.

Psal. 4.

Ibid. 6.

Exemplo patris-familias probatur.

9. De Cerva quadam Cæsaris Augusti refert Plinius, ipsam liberam per civitatem Romanam ire solitam, nullumque illam attingere ausum fuisse; quia collo millum portabat his litteris inscriptum; *Cæsaris sum noli me tangere.* Ita justi pro servis Dei cogniti sunt, ipse autem promisit, qui illos tanget, tanget pupillam oculi divini; *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quis ergò audebit illos tangere? Hoc bene intellexit S. Paulus, ideóque dicebat; *Nemo mihi molestus sit.* Quis es tu S. Paule, quòd non vis aliquem tibi molestias inferre? In quantum ad me, inquit, nihil sum, sed hunc respectum

Cæsaris Cerva quomodo secura.

Zach. 2. 8.

ad Gal. 6, 17.

Ibid. ctum mihi exhibere debent; Ego *enim stigmata Domini mei* JESU *Christi in corpore meo porto.* Graves auctores scribunt Leonē à natura privilegio donatum, & ab animalibus adeò reveritum, ut si navi per mare vehatur, hæc secura spumantes undas transnaviget: Ad quamcumque siquidem procellam sedandam, majestatis ejus præsentia sufficit. Unde quispiam ingeniosè in laudem alicujus provinciam gubernantis, & in armis suis Leonem gerentis, hoc dictum apposuit; *Temperat Æquor.* Ita ut Leoni hæc gloria adscribi possit, quam falsò usurpabat Cæsar, dum tempestuoso mari expositus nauclero animum addere volens dixit: *Cæsarem vehis, & fortunam ejus*: Noli videlicet timere, quia tecum est Cæsar, & bona ejus fortuna, semper tibi adest. Si hoc ergo de Leone affirmatur, cujus fides apud auctores sit: quantò magis de Deo nostro affirmari potest, quòd dum ipse in navicula animæ nostræ moratur, illam ab omni turbine, & procella liberabit? Rectè hoc intelligebat Psaltes dicens: *Si ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala; quoniam tu mecum es.* Quasi diceret, etiamsi mihi videbitur adeò obscurum cælum, & mare terrenum conturbatum, ut videatur umbra mortis, nullum tamen timebo malum, si Dominus mecum est. Nec mihi quis objiciat Dominum quandoque requiescere, ut in S. Matthæi Evangelio legitur; affirmat enim Psalmista illum semper vigilare: *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.* Si autem in Evangelio exhibeatur dormiens, hoc nimirum intelligendum de oculis corporeis, non verò de oculis mentis; juxta illud dictum in sacris Canticis: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Pineda in Iob tom. 2. cap. 38. v. 39.

Præsentia leonis mare tranquillat.

Psal. 22. 4.

Præsentia divina animam magis tranquillam reddit.

Psal. 120. 4.

Cant. 5. 2.

Inter justos contentio esse non potest.

10. Quis insuper vellet justis molestiam inferre, illósve persequi? An alius bonus? sed non esset bonus, si se bonis præstaret contrarium, illosque persequeretur? An fortè mali? sed quam haberent occasionem? ubi una pars cedit numquam lis esse potest, aut rixa. Duo SS. PP. æremi cultores, intelligentes tot esse jurgia & contentiones in mundo, & de eo admirantes, dixit unus, litigemus nos quoque & contendamus simul, quomodo incipiemus dixit alter? ponemus, inquit, hoc vas in medio, & dicam ego, meum esse, tu verò dices tuum esse, sicque contendemus simul. Primus ergò incepit dicere, hoc vas meum est, imò non respondit alter meum est, primus autem dixit, si tuum est accipe illud; ita ut contentio illorum ad rixas provenire non potuerit: ubi enim pars una cedit, aliam cedere necesse est. Inter bonos ergò

&

Iusti cuncta cedunt injustis.

& malos, contentio esse non potest; quia illi semper his cedunt, ipsisque quantum volunt relinquunt. Quid vultis, inquiunt, honores? Sint omnes vestri: quia humilitate nostra, & submissione fruemur. Quid cupitis prima loca? Accipiatis, nos enim juxta præceptum magistri nostri, ultimo consistemus loco. Quid desideratis divitias? Non propterea contendemus, quia nobis charior paupertas. Quid amatis voluptates? Non idcircò vobis adversabimur, illas siquidem ut pestem fugimus. Quid concupiscitis pulchras vestes? nos etiam pallium, & omnia vobis relinquemus, juxta præceptum Salvatoris; *Qui vult tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, quæ ergo poterit esse contentionis occasio?

Deus justos lætari cupit.

11. A Deo ergò cujus judicia abyssus multa, cui nemo resistere potest, nec quisquam dicere cur ita facis, erunt justi afflicti, & persecuti? Quin imò nil magis desiderat quàm ipsos videre lætos, unde in scriptura sacra sæpius ad lætitiam excitantur;
Psal. 96. 12. *Lætamini in Domino, & exultate*
Psal. 99. 2. *justi; servite Domino in lætitia: ju-*
Psal. 67. 4. *sti epulentur & exultent in conspectu Dei & delectentur in lætitia*, &c. Notat S. Joannes Chrysostomus, Deum adeò longè abesse ut in tribulationibus nostris exultet, ut potiùs voluntariæ mortificationes, & castigationes, quas pro peccatis nostris assumimus, illi displiceant, in quantum sunt afflictiones & sine fructu, & utilitate nostra, unde tunc illas prohibet per Isaiam Prophetam dicens: *Nolite* Isai. 58. 4.
jejunare sicut usque in hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester, numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Non delector vestris tribulationibus, inquit, sed vestro bono. Hinc consequenter dicit: *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes*; relinque nempe vitia, & virtutem amplectere. *Vincula, & fasciculos*, inquit S. Joannes Chrysostomus, *vitium vocat; virtutem verò horum omnium dissolutionem appellat.* Vincula nempe, & fasciæ, vitium à Propheta appellatum, quia fortiter ligat, & jumentorum instar jugum portare facit; ideoque textus Hebræus habet; *Solve fasciculos jugi.* Virtus econtrà dissolutio vocatur, quia jugum servitutis dissolvit, & nos dominos efficit. Adeò ergò virtus ab inferenda tribulatione abest, ut hominem inde eripiat, eumque ab omni peccatorum molestia liberet.

Peccata fortiter ligant.

Ibid. 6.

Virtus omnia mala destruit.

12. Dices, si Deus illos non affligit, tantò magis à diabolis Dei inimicis affligentur. Respondeo, si possent efficerent; quis enim ignorat, sine Dei permissione non posse dæmones quidquam efficere? Deus autem

tem non solùm illis potestatem contra justos præbebit; verùm etiam his fortitudinem eos conculcandi, & conterendi ut formicas tribuet: sic enim inquit per Psalmistam: *Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem.* Meritò ergò S. Gregorius de diabolo dixit: quod *aliis Leo est, aliis formica, quia crudelitatem ejus carnales mentes vix tolerant; spirituales verò infirmitatem ejus pede virtutis calcant.* Omnia denique in servitium justorum contendunt, ideò dicebat Apostolus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Notandum autem est verbum *cooperantur,* id est, *simul operantur,* se invicem juvant, ut servi dilecti, qui domino fideliter inserviunt. O quàm felix, & beata vita justorum! ideoque non mirandum si toties beati vocantur. *Beati omnes qui timent Dominum. Beati immaculati in via. Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Justus ergò teste S. Joanne Chrysostomo ut cælum est, semper luminosum & splendens, & ab omni peregrina impressione alienum; sicut etiam dum quandoque obnubilatur pati videtur, in veritate tamen nihil patitur, cùm sit altius multò nubibus, & pluviâ: ita anima justi quandoque afflicta videtur, & mœsta, in veritate tamen nil patitur, sed extrinsecè tantùm nubibus tribulationis tecta apparet, intrinsecè autem quieta, & pacata est, audite verba Chrysostomi: *Cælum, inquit, altius est imbribus, ac pluviis; cælum quidem cùm nubibus obducitur, pati putatur, sed nihil patitur, sic & nos etiamsi putamur pati, nihil patimur; id est tristitiâ, quasi nube obduci putamur, sed non tristamur.* Alibi quoque rationem assignat dicens: *Nihil aliud grave, & acerbum est, quàm in Dei offensionem incurrere, hoc sublato, non afflictio, non insidiæ, non aliud quidpiam prudentem animam, molestiâ afficere queat.*

Psal. 90. 13.
S. Gregor. moral. cap. 17.
ad Rom. 8. 28.
Psal. 127. 1.
Psal. 118. 1.
Luc. 11. 28.
Iustus ut cælum est.
S. Chrysost. Homil. 16. in epist. ad Hebræos.

13. Sed nónne contrariam partem audire volumus? Vertamus igitur folium, & fortè boni, & beati apparebunt miseriores aliis hominibus mundanis. Quid enim frequentius est in scriptura sacra, quàm tribulationes justorum; *Multæ tribulationes justorum,* ait Psalmista. *Omnes qui piè volunt vivere in Christo* Jesu, *persecutiones patientur,* inquit Apostolus, & alibi; *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Salvator quoque idem testatur dicens: *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini.* Similibus denique sacræ litteræ plenæ sunt. Miseri sunt justi, totus mundus in eos conspirasse videtur, diabolus illos excruciat, mundus persequitur, Deus videtur in afflictione illorum lætari, virtus ipsa illis

Plurima tribulationes justorum.
Psal. 33. 20.
2. ad Tim. 3. 12.
1. Cor. 15. 19.
Joan. 16. 20.

lis difficilis, & horribilis apparet.

Diabolus justos valde affligit.

14. Primò quantum ad diaboli afflictionem indubitatum est, quis enim ignorat quantus sit hominis inimicus? De malis autem, quia firmiter illos retinet, & in anima & corpore quasi possidet, ac in altera vita ad libitum illos excruciari poterit, parum ipsi curæ est affligere hîc corpus; quin imò ut majori commoditate peccata committant, ipsis voluptates, & delectationes suggerit. Contra bonos autem maximo ardet odio, videns se non posse animam illorum arripere, & in alia vita æterna beatitudine eos fruituros; ad minus odium suum in corpora effundere, eoque modo quo potest affligere, & torquere nititur. Dicitur communiter qui non potest equitem percutere, percutit equum; in apophtegmatibus de peregrino refertur, quòd injuriam passus ab homine, qui jumentum conducebat, brachium elevabat peregrinus ut illum percuteret, quo clamante Atheniensis sum, jumentum percutere cœpit, dicens tu Atheniensis non es, & contra illud indignationem suam exercuit. Simile quid dæmon efficit, homo eques est; *Equitatui meo assimulavi te amica mea*, corpus equus ejus est; *incrassatus est dilectus, recalcitravit.* Quid efficit dæmon? procurat in omnibus nocere animæ, quæ

Cant. 1. 8. Deut. 32. 15.

eques est, dum verò illud non succedit; corpori damna inferre parat; quòd si huic non potest, ad minus bona temporalia, & res externas arripere tentat; ideoque Propheta Jacob astutias ejus describens ait: *Fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrò.* Hic serpens astutus, quia non potest mordere equitem, nec equo nocere, in parte superiori, ad minus ungulis equi nocere tentat, non quia hic illi curæ est. Sed ut equo calcitrante, aut cadente cadat pariter eques. Sic S. Job movit primò bellum animæ, quia verò contra eam non prævalet, corpus aggreditur, omnesque facultates arripit. Nec odio solùm inductus aggreditur sed ratione belli; dum siquidem dux exercitus, civitatem vi occupare nequit, ad minus patriam in circuitu devastat, ut deficientibus civitati necessariis, se dedere cogatur. Pariter dæmon, dum vi voluntatem nostram expugnare non valet, corporis dotes, & facultates diripere aggreditur, ut necessitate coacta voluntariè consentiat. Propheta David Dominum precabatur dicens: *De necessitatibus meis eripe me Domine*, de Propheta Job notatur, quòd in tantis angustiis, non semel succumbebat, sed firmiter perseverabat; *Adhuc retinens innocentiam.*

Diabolus animæ nocere nequiens corpus affligit.

Gen. 49. 17.

Psal. 24. 17.

Job 2. 3.

15. An

Cur locus dextera dignior?

15. An fortè dæmon non potest, aut nescit damna inferre? Nullum credo esse ex vobis qui nesciat locum dextrum digniorem esse, pauci verò, ni fallor, scient rationem quare; cùm enim in sinistra cor sit, videretur ab illa parte chariorem collocandum fore: Contrarium tamen verum est, cujus ratio est, quia magnum nocumentum est ad sinistram incedere, cùm enim à sinistris sis, dextram impeditam habes, nec commodè uti potes. Si verò sis à dextris, dextram liberam habes, & te defendere potes, & offendere ubi placuerit. Hoc privilegium diabolus nobiscum habet, quia semper manum dextram expeditam habet, & promptam, ut offendat, ideoque dicitur stare à dextris; sic Zacharias inquit: *Vidi* JESVM *Sacerdotem magnum, & sathan stabat à dextris ejus*, & David dicebat: *Diabolus stet à dextris ejus*. Quare creditis illum elegisse partem Aquilonarem, juxta dictum Propheticum; *Ab Aquilone pandetur omne malum*; Isaias quoque dicit: *Sedebo in latere Aquilonis?* Interroga Philosophos, & dicent tibi, pars Aquilonaris dextera pars cæli est, ita quod semper à dextris se collocet, ut operationes nostras dexteras impediat, & sinistrè tantum operari permittat, utque sit promptus semper ad offendendum.

Diabolus maximè nocere potest.

Zach. 3. 1.

Psal. 108. 6.

Jerem. 1. 14.

Isa. 14. 13.

16. Parum dixi hactenus: numquam vidistis circa lacus, aviculas quasdam expectantes ut prædam piscium faciant? Tales sunt dæmones, nos piscibus similes sumus: *Facies homines quasi pisces maris*, dæmon auceps, & avis, circumvolans; *Numquid illudes ei quasi avi?* &; *circuit quærens quem devoret*. Advertendum tamen duas esse species piscium, aliqui delectantur se elevare in altum, & squamas alarum instar habent, cum quibus facillimè se elevant; alii sunt, in fundo commorantes, qui alas sublevantes non habent, qui in veteri lege mundi judicati erant; illi verò immundi, sunt illi figura bonorum, qui se ad cælum elevant; *Levavit se super se*: hi verò malorum, qui sordibus delectantur; *Impius cùm in profundum malorum venerit, contemnit*. Sed quorum prædam facit dæmon? Non secundorum, qui sordibus vitiorum involuti sunt, & sui sunt; sed aliorum, qui se in altum elevare contendunt, & cælum ascendere; his intendebat S. Job dicens: *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum*: per avem diabolum intelligens, qui continuò circumvolat, ut arripiat, & comedat.

Dæmō avis, nos pisces.

Habac. 1. 14.

Job 40. 24.

1. Petr. 5. 8.

Thren. 3. 28.

Prov. 18. 3.

Job 5. 7.

17. Nec ipse solus est, licèt potentissimus, sed plurimi maligni spiritus secum, & mundus, ac caro ipsum adjuvant. Inter personas diversarum regionum

Justi ab omnibus persecuti.

videtur certa quædam inimicitia, ita ut unus alium persequatur; dum enim nostri ad Indias Occidentales pergerent, licèt benevolentiâ incolarum animos allicere conarentur, frustra tamen semper agebant; dum siquidem quempiam è nostris arripere poterant, quia homines alterius mundi erant, quasi alterius fuissent naturæ, occidebant, assabant, & comedebant. Non aliter justi, ut homines alterius mundi, mali, & perversi judicati sunt; nónne meministis dicti Salvatoris admonentis Apostolos suos; *Vos de mundo non estis*; (Joan. 15, 19) quasi diceret, de altera estis regione, & mundo, ideoque non mirum, si vos persequantur, & odio habeant; *Si enim de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret*. Quid non efficiunt mali ut eos affligant, imò occidant, & quamvis justi illos placare queant, totum vanum est. David de hoc dolebat, ideoque dicebat: *Habitavi cum habitantibus Cedar*: (Psal. 119. 6.) cum gente, inquit, inimica habitavi, quæ Israel persequitur, ex quo ego sum. Quomodo eras ibi, ut peregrinus vel civis? ut peregrinus; *Multùm incola fuit anima mea*; (Ibid.) non procurasti tibi amicam, & benevolam reddere gentem illam? omni modo studui; *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, & cùm loquebar illis impugnabant me gratis*; (Ibid. 6.) omnia tamen frustra feci, & sine ulla causa me impugnabant.

18. Parum insuper dixi; nulla sunt majora tormenta, quàm quæ severus judex infligere solet famoso latroni, ut veritatem omnium confiteatur, cordas, vincula, equuleos, ignes, rotas expedire solet: quod iniqui cum bonis agere solent. (*Justi ut rei cruciantur.*) Refert Plutarchus dum Servi Romanorum rebellati fuissent, non sufficiebat illis dominos suos occidere, sed ut criminum reos torquebant, ut judices eorum erant, pervertendo justitiam, ita ut rei meritò puniendi, jam judices insontes castigabant. Hoc factum vivum erat exemplar istius, quod iniqui cum bonis agunt; testis est Sapiens qui illos ita loquentes inducit; *Contumeliâ, & tormento interrogemus eum*; (Sap. 2. 19.) ut reum justum torquere volunt, & interrogare, sed juxta quam legem? Juxta legem injustitiæ; *Sit autem fortitudo nostra lex injustitiæ*, (Sap. 2. 11.) inquiunt, sed quæ ipsi inflixerunt tormenta? Propheta David egregiè illa enarrat dicés: *Exarserunt sicut ignis in spinis*, (Ps. 117. 12.) igne eos cruciarunt; sagittis confixerunt; *Vt sagittent in obscuro rectos corde*; (Psal. 10. 3.) gladio linguæ percusserunt; *Linguæ eorum gladius acutus*; (Psal. 56. 5.) virgis, ac fustibus exceperunt, *Virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti*: (Isa. 9. 4.) dentibus acutissimis dilaniarunt; *Generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis*: (Prov. 30. 14.) Novaculis

vaculis carnem præsciderunt;
Psal. 51. 4. *Sicut novacula acuta fecisti dolum*;
Scorpionibus venenosis infece-
Ezech. 2. 6. runt; *Cum scorpionibus habitas*: &
pœnis inferni, si possibile fuisset
Prov. 1. 12. eos excruciassent: *Deglutiamus eum sicut infernus viventem.* Adjungendum autem, justos non se defendere juxta monitionem S.
ad Rom. 12. 19. Pauli Apostoli; *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ*: sunt quasi Agni, inter
Matth. 10. 19. Lupos; *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio Luporum*: idcircò quis efferre poterit tormenta, & afflictiones, quibus ab impiis opprimuntur?

Mali sola præsentia affligunt bonos.
19. Licet quoque alio modo ipsos non affligerent, sola eorum præsentia sufficeret, ut maximos dolores, & afflictiones justis afferret. Hoc verum esse probatur à S. Augustino; notat ipse S. Paulum affirmasse Isaac ab Ismaele persecutum fuisse, de quo maximè admiratur, cùm in libro Genesis contrarium potiùs appareat, matrem videlicet Isaac persecutam fuisse Ismaelem;
S. August. epist. 48. *Cùm legamus*, inquit S. August. *Ancillam, & filium ejus, à Sara passos graves molestias, Paulus tamen Apostolus dicit, quòd ab Ismaele persecutionem sit passus Isaac*; verba
ad Galat. 4. 29. Apostoli hæc sunt; *Quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum, ita & nunc.* In quo ergò hæc persecutio sita? Æstimo talem persecutionem esse, qualem caro spiritui exhibet, quod assignat Apostolus, opponendo nativitatem unius, nativitati alterius, dicens: *Qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundùm spiritum.* Quomodo autem spiritus à carne persecutionem patitur? proponendo ipsi objecta delectabilia, ut inducat ad consentiendum peccato; ideoque scriptura sacra, in Genesi dicit; Ismaelem
cum Isaac lusisse; *Cùm vidisset Sa-* Gen. 21. 9.
ra filium Agar ludentem cum Isaac; hæc erat persecutio, inducere eum ad lusus, & voluptates. Justis ergò lusus, & voluptas impiorum, maxima est persecutio; propter hoc enim periclitantur chariorem rem perdere, quam possident, divinam nimirum gratiam.

20. Hanc persecutionem Loth *Loth à Sodomitis afflictus.*
patiebatur, ab habitatoribus Sodomæ, ut S. Petrus Apostolus
testatur dicens: *Aspectu & auditu* 2. Petr. 2. 8.
justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. Non dicit illos carnem afflixisse, sed animam, quæ autem instrumenta adhibebant? Non ferrum, aut lapides, sed iniqua eorum opera. Notat autem particulariter, illum fuisse justum aspectu, & auditu, ad demonstrandum illum particularem curam in custodia sensuum adhibuisse, ne per has fenestras hostes in animam intrarent, propter nefanda

quæ audiebat & videbat. In E-
Matt. 18.15 vangelio dicitur; *Si peccaverit in te frater tuus corripe eum*, ut nimirum exponit S. Augustinus; *Si peccaverit coram te*; si offenderit Deum in tua præsentia: nec sine mysterio dicitur, *In te*; ut doceamur, animam justi se sentire transfigi, dum videt Deum suum offendi; unde impossibile est, ipsum inter iniquos manere, & non graviter affligi. Verum quidem est, de justis Psalmistam dicere; *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur*. Sed rationem ejus reddit, dicens: *Quia peccatores peribunt*: ita ut si peccatores non pereant, numquam sine confusione, & fame erunt justi; subjunxit quoque David: *Et hereditas eorum in æternum erit*: sine peccatoribus nempe, quia si peccatores quoque in cælo fuissent, non essent quieti & securi ibi.

Iusti malorum consortio affliguntur.

Psal. 36.19.

Ibid. 18.

21. Quando natus fuit Noë dictum est: *Iste consolabitur nos ab operibus manuum nostrarum*. S. Joannes Chrysostomus hoc intelligit ratione diluvii, cùm enim illud peccatores auferret; effecit ut justi superstites, quietè vivere potuerint, & magnam æstimarent felicitatem, in arca, ut in carcere strictè concludi, ut à consortio iniquorum separari possent. Rex David idem quoque sentiebat, unde die quadam
Psal. 85 1. dixit: *Inclina Domine aurem tuam & exaudi me*; sed nónne hic malus modus loquendi est David? Eleves potiùs te parum, & vocem attolle, ut Dominus audire possit, & non debeat se inclinare. Videtur David infirmus quasi esse, & tanto malo oppressus, ut caput elevare non possit, unde precatur medicum, ut dignetur caput parum inclinare, ut malum suum percipere possit; Quid ergò dicis David? *Custodi animam meam quoniam sanctus sum*, inquit, illáne ergò infirmitas sanctum esse? Malúmne est, sanctitas ut medico indigere possit, ideoque ad Deum recurrendum sit? Imò inquit, cùm enim quispiam bonus est, subitò à malis affligitur, & persecutionem patitur.

Gen. 5.29.

Quomodo Noë consolabatur alios.

Ibid. 2.

22. Deus nónne defendit bonos? Imò ipse quoque eos affligit, videturque non majorem capere delectationem, quàm hanc. Principes delectari solent, videndo caveas eorum vino repletas, sed melius & pretiosius sibi reservari, nec alium inde gustare volunt. Deus noster caveas suas vino præstantissimo repletas habet, unde sponsa dicebat? *Introduxit me in cellam vinariam*, vasa hujus vini homines sunt, ut autem meliùs conserventur, immutat illa, & fæces effundit. Propheta Isaias lamẽtabatur ex parte Dei, Moab non esse transfusum nec immutatum, ideoque non placere divino palatui; *Moab*, inquit, *requievit*

Afflictio justorum Deo gratissima.

Cant. 2. 4.

Jerem. 48. 11.

quievit in fæcibus suis, nec transfusus est, de vase in vas, odor ejus in eo. Quale autem est vinum ipsi placens? Homo justus ipsi summoperè placet, illumque elegit sibi, nónne meministis illius quod S. Paulo dixit: *Vas electionis est mihi iste.* Sed quando tibi placent Deus? Quando patiuntur, lacrymæ illorum, suspiria, & gemitus, sunt vinum delicatissimum palatui divino. Si justi inebriari possent non alio vino inebriarentur, quàm lacrymis; audite Isaiam dicentem: *Inebriabo te lachryma mea*; non vult alios illos tangere, quia sibi reservat; *Nolite tangere Christos meos.* Quare? An quia non vult eos tribulari? quin imò quia solus partem in tribulatione habere cupit.

Act. 9. 15.

Isai. 16. 9.

Ps. 104. 15.

Iusti cythara Dei.

23. Dicamus quoque Deum ut peritum musicum agere, qui diversa habet instrumenta, citharas, testudines &c. accipiens autem unam & tangens, nec bonum reddens sonum, relinquens illam aliam accipit, quâ bonâ repertâ, illam egregiè sonare curat, nec manum inde levat. Indisposita Cythara Judæi erant, qui percussi malum edebant sonum; unde Deus per Isaiam dixit; *Super quo percutiam vos ultrà, addentes prævaricationem?* Optima Cythara Jeremias Propheta erat, qui à Deo tactus, & percussus, ipsum magis laudabat; ideoque Deus ab ipso manum levare vix poterat; *Tantum in me vertit, & convertit manum suam tota die.* Vide ergò quomodo ab omni parte homo justus afflictus est, & tribulatus? Si mihi objicias mentem justi esse juge convivium, dicam verum esse, sed inter cibos convivii hujus, frequentior est myrrha, & fel, ideoque sponsus cælestis dilectam suam ad convivium invitans, ajebat: *Messui myrrham cum aromatibus meis*: adest quoque potus tribulationis; *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Et panis lacrymarum; *Cibabis nos pane lacrymarum.*

Isaiæ 1. 5.

Thren. 3. 3.

Cant. 5. 1.

Matt. 20. 22.

Psal. 79. 6.

Consolatio justorum à Deo impediri potest.

24. Si dicatis consolationem cælestem esse flumen sine aggere, nec ab aliquo impediri posse; dicam verum esse, si de hominibus loquamur; Deus autem illam bene impedire, & subtrahere potest; *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis*; nemo videlicet hominum, sed Deus sæpius illud aufert, ut majorem habeant occasionem merendi; unde dixit Apostolis; *Modicum & jam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.* Si dicatis illos per vineas abundantes incedere, non vobis nego; sed non semper est tempus uvarum maturarum, est tempus primi veris, in quo putantur vineæ ferro pœnitentiæ, & mortificationis; *Tempus putationis advenit*, est tempus hiemale, in quo cuncta folia

Ioan. 16. 22

Ioan. 16, 16

Cant. 2. 12.

lia decidunt, ut vinea desolata manet, est tempus æstivum, in quo uva acerba est, & dentibus nocet, ita quod majori omni parte, laborare oporteat, sine ullo fructu. Si dicatis amaritudinem solam esse in labio, & summitate calicis; admitto, sed respondeo non omnibus datum ad fundum calicis pertingere, unde plurimi cum sola amaritudine sine dulcedine remanent. Si dicatis justos securè dormire, verum est, quando Deo sic placet, de quo dicitur; *Cùm dederit dilectis suis somnum.* Non tamen illi semper placet tribuere, vult quoque ut vigilent super hoc instanter, cùm toties in scriptura sacra illis comendatum sit; *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Si dicatis Deum illos defendere, & protegere, verum est, sed respondere possem, quantum ad animam, & salutem spiritualem; quia *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis:* relinquit illos tamen exerceri, & vexari, ab extrinseco ut S. Job accidit, de quo dixit diabolo: *In manu tua est, verumtamen animam illius serva.*

Argumentis contrariis respondetur.

Psal. 126. 2.

Matt. 26. 41

Sap. 3. 1.

Job 2. 6.

25. Si dicatis malos nullam habere occasionem justos persequendi, cùm illis cedant cuncta quæ desiderant; respondeo verum esse, summo tamen odio illos persequuntur, nec pati possunt. Sic testantur in Sapiente dicentes; *Gravis est nobis etiam ad videndum*, non quia ipsis mala infligant, sed tantùm quia non vivunt modo illorum; *Quoniam contrarius est operibus nostris*; nec possunt audire nomen justi. Sic Aristidi contigit, qui à patria per vocem populi ablegatus, & interrogante quopiam, si ab illo quid mali passus fuisset, respondit non, sed justum vocari, audire non possum. Cur creditis Cain occidisse fratrem suum Abel? An ab ipso injuriâ affectus fuerat? Vel viderat illum plus à patre suo amari? non, sed quia bonus, & simplex erat, sic testatur S. Joannes Apostolus in sua epistola: *Et propter quid occidit eum? quoniam opera illius maligna erant, fratris autem ejus justa.* Hæccine fuit causa sufficiens adeò execrandi fratricidii? Imò in corde scelerati, ut Cain erat.

Mali ex invidia justos persequuntur.

Sap. 2. 15.

Ibid. 12.

1. Ioan. 3. 12.

26. S. Joannes Baptista cur ab Herode incarceratus fuit? Audiamus Evangelistam hoc referentem; *Herodes misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem, uxorem fratris sui, quia duxerat eam*; sed quis abduxerat eam? An Joannes? Si ita est, meritò incarceratur, & pœnâ majori puniendus: Evangelista tamen hoc non affirmat, sed dicit Herodem illam duxisse in uxorem sibi. Sed quæ consequentia est ista, Herodes committit incestum, ideoque Joannes

Cur Ioannes incarceratur.

Marc. 6. 17.

nes

nes incarceratur? Unus peccat, & alter puniri debet? Ita est, quia Herodes adulter incestuosus erat; Joannes autem castissimus & sanctus, ideoque non potest sufferre S. Joannem, & mittit illum in carcerem. Domina quoque Josephi, quæ illum antea adeò dilexerat, ut vellet secum dormire, cur creditis illum postea tali odio persecutum, ut vellet ipsum occidere, & incarcerari jusserit? Non aliam ob causam, quia ille castus erat, illa verò libidinosa? Cùm igitur non posset habere socium peccati, nec præsentiam ipsius ferre poterat. Optimè ergo dixit S. Cyprianus; *Esse jam inter nocentes innoxium, crimen est: malos quisque non imitatur, offendit.* Hanc ob causam Salvator noster à malis odio exceptus fuit, ut ipsemet testatur: *Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo, quod opera illius mala sunt.*

S. Cyprian. epist. 2. ad D.

Joan. 7. 7.

27. Refert Seneca de vetula quadam sua ancilla, quòd cùm præ senectute visum amisisset, defectum oculorum domui adscribebat, & sæpius lamentabatur dicens, quando ab hac domo adeò obscura discedemus? Quare semper in his tenebris versamur? nec domum lucidiorem conquirimus? Pariter quoque surdo accidisse refert M. Ant. commentator sui temporis; cùm enim non adverteret, se auditum amisisse, conquerebatur omnes submissè adeò loqui, ut non posset intelligere; dolebatque suo tempore hunc morem introductum, ut non permitterent se intelligi. Simili morbo peccatores laborant, vitia quippe illorum, sæculo attribuunt, dicuntque se aliter hodie vivere non posse, nec ampliùs tempus sanctorum esse. Seneca id præclarè notat dicens: *Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum: erramus, & dicimus, non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest vivere; non ego sumptuosus sũ, sed urbs ipsa magnas expensas exigit.* Justi autem peccatoribus hanc excusationem adimunt, ostenduntque defectum illorum esse, & non temporis, aut loci, ideoque maximo odio ab illis afficiuntur.

Senec. epist. 50.

Peccatores surdi, & cæci sunt.

28. De Camelo scribunt auctores, quod delectetur aquâ turbidâ, si autem claram inveniat aquam, primò illam conturbat pedibus, & postea bibit. Ita iniquus, qui non delectatur nisi rebus turbidis, & immundis, reperiens justum ut aquam limpidam, ut illum affligat, procurat primò illum inquietare, & calumniis, ac approbriis vexare, ut meritò persecutione dignum reputare possit. Rectè proinde dixit Sapiens: *Fons turbatus pede, justus coram impio*: justus nimirum qui fortuitò in manus impiorum incidit est sicut limpi-

Iniqui justos undique conturbant.

Prov. 25. 26.

dus fons pede conturbatus; quia ſubitò non tantùm conculcatus, verùm etiam accuſatus, & plenus maculis exhibitus, licèt innocens ſit. Ita Nero ut occaſionem Chriſtianos perſequendi inveniret, falsò illis impoſuit, voluiſſe totam Romam incendio conſumere. Ita laſcivus ille juvenis, ut ſimplicem puellam deciperet, procurat illam diffamare, & conturbare. Si inſuper dicatis, Deum eos hilares velle, & contentos; verum eſſe dicam; ſed lætitiâ quâ fruebantur Apoſtoli, dum *Ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine* JESV *contumeliam pati*; quæ ſimul cum tribulatione eſſe poteſt.

Act. 5. 41.

Justi ex persecutione diaboli fortiores.

29. Si dicatis diabolum abſque permiſſione divina non poſſe illos affligere; reſpondeo verum eſſe, Deus tamen ad majorem illorum gloriam, à ſatana illos affligi permittit, ut fortiores evadant, ut fecit S. Job. Si dicatis juſtis omnia prodeſſe, & inſervire; verum quidem eſt, ſed eo modo quo inquit S. Auguſtinus, Eſau Jacob inſerviſſe: *Non obſequendo, ſed perſequendo*, ſi denique dicatis, juſtos beatos vocatos, reſpondeo cum eodem S. Auguſtino, beatos eſſe in ſpe, non in re; quia tantum bonum eſt gloria æterna, ut non tantùm poſſeſſio ejus, verùm etiam ſpes beatos reddat. S. Franciſcus in medio dolorum decantabat, tanta eſt bonorum expectatio, ut omnis dolor videatur delectatio: videtur ergo contra virtutem concluſum eſſe, veram tamen ſententiam, in ſecunda parte referemus.

Quomodo in hac vita beati?

SECVNDA PARS.

An virtus ſit tribulationis cauſa.

30. VIrtutem parum amantes, facillimè credent ſe pro culpis illorum diluendis, ſi non rationem, ſaltem excuſationem aliquam inveniſſe dicentes, quid mirum ſi virtus à nobis non excolatur, ſi aliud non producat, quàm ſpinas, & tribulos? In præſenti ſaltem non aliam mercedem, quàm tribulationem tribuit. Hanc autem excuſationem illorum vanam eſſe, ex diſcuſſione præſentis quæſtionis intelligemus. In hac igitur quæſtione notandum, duo eſſe diverſa puncta; unum eſt, ſi virtus ſit tribulationis occaſio; aliud verò, ſi juſti affligantur. Licet quoque videatur idem eſſe, non tamen ita eſt, cùm etiam juſti moriantur, nec virtus ſit cauſa mortis illorum. Quantum ad primum, notandum eſt, aliud eſſe cauſam, aliud occaſionem, cauſa dicitur, quæ operatione ſuâ influit in effectum: occaſio verò dicitur, quæ materiam aliquam, aut objectum repræſentat, propter quod efficiens, vel cauſa movetur ad operandum, & producendum effectum.

Aliud causa, aliud occasio.

effectum. v. g. quòd quis se resolvat ad furandum vas argenteum, causa est sua avaritia, & occasio, quod viderit illud bona commoditate posse accipi. Si causam incarnationis verbi divini attendamus, alia non fuit quàm bonitas, & amor divinus; occasio autem fuerunt peccata nostra: non tamen fuerunt causæ, quia tantum bonum non potuit à tanto malo procedere, sed fuerunt occasio quòd Deus ad compassionem motus fuerit, ut hominem tantis miseriis involutum, hoc modo adjuvaret, & à peccatis eriperet.

Virtus non est tribulationis causa.

31. Si à me ergò petatis, si virtus est causa tribulationis, respondeo non esse, imò matrem lætitiæ, & gaudii esse. Sicut enim peccatum est filius voluptatis, & pater doloris; ita virtus filia laboris, & doloris, ac genitrix letitiæ; quia, *Virtutem posuere Dii, sudore parandam*: dixit quidam: via autem virtutis comparatur litteræ Pithagoricæ, quæ in principio stricta, in fine verò larga duobus pedibus se extendit. Christus Apostolos suos mulieri parturienti assimulavit, quæ primò magnos patitur dolores, postmodum verò magnam sentit consolationem. Pilatus de Christo loquens inquit: *Ego nullam invenio in eo causam*: quia nullum erat delictum, sed infinita sanctitas. Si dicatis virtutem sanctis causare dolorem, mortificatione, aliisque asperitatibus; jam suprà probavimus, has non esse tribulationes. Salvator noster de Judæis affirmabat, quia *Oderunt me gratis*. Sed quomodo gratis, cùm aliud non effeceris, nisi illos arguere, reprehendere, & comminari, illorumque vitia detegere, & palam increpare; an hoc non videtur odio dignum? Nescis quòd *Veritas odium parit*? Rectè tamen dixit, quia non erat causa cur odio illum prosequerentur, sed potiùs amarent.

Ioan. 18. 38 — Psal. 68. 5.

Si virtus non sit causa, ad minus occasio erit.

32. Si tamen virtus non potest dici causa tribulationis, poterítne dici occasio? Hoc affirmari potest, quia contra justos, & bonos, dæmones magis insurgunt, & mali plus sæviunt. Divitem esse, est occasio furti; unde S. Gregorius dicebat: *Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat*. Sed quis major thesaurus virtute? *Divitias nihil esse duxi, in comparatione illius*; aiebat Sapiens: ubi hic thesaurus reperitur? In anima justi; quia *Anima justi sedes est sapientiæ*: sed quâ viâ incedit justus, per viam latronum; *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*; dicebat Propheta regius; aliqui verò expositores has *vias duras*, dicunt esse *vias latronum*. Nec dæmonibus solùm & malis, sed Deo quoque virtutes justorum, sunt occasiones tribulationis illorum, licèt diverso fine; dæmonibus

S. Gregor. Homil. 11. — Sap. 7. 8. — Psal. 16. 4.

Quomodo virtus justorum tribulationis occasio. nibus sunt occasiones illas auferendi, Deo verò illas multiplicandi; illis ex odio, huic ex amore; illis occasiones torquendi, huic coronandi, cùm enim Deus virtutem tribulationis agnoscat, vult illi occasionem se monstrandi concedere; instar aurificis agit Deus, libenter adamantem solidum culpis malleorum exponens, ut probetur: sic Angelus Tobiæ dixit: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Tobiæ 12. 13.

Plin. lib. 33. cap. 8. 33. In Lydia mons reperitur Tinolus dictus, tantis dotibus à natura ditatus, ut ex eo duo defluant flumina, in quorum uno, aurũ, in altero lapis Lydius, aurum probans reperitur: quasi natura nos docere vellet, ab auro non multum distare debere ejus æquivalens; tuncque pretium ejus æstimatur justum, quando legitimè ab hoc lapide probatum, sincerum, & verum probatum fuerit. Quod mihi videtur pulcherrimum symbolum hominis justi, qui montis instar à terra se erigens, cœlum conscendit. Aurum ab eo defluens, virtus est, de qua dictum; *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, ut locuples fias.* Lapis Lydius, est tribulatio, quia tribulatione justi ut aurum probantur; *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem*: sine hac virtutes ut stellæ in clara die sunt, teste S. Bernardo; *Quomodo, inquit stellæ in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis.* Vellent plurimi aurum virtutis solum habere, sine lapide Lydio, sine tribulatione; sed respondetur illis, quòd natura junxit, separare nefas: non licet hæc duo dividere, quia, *Omnes qui piè volunt vivere in Christo persecutionem patientur*: inquit Apostolus S. Paulus. S. Joannes Chrysostomus his verbis quasi alludens, inquit, *Neque enim fas est hominem pergentem virtutis viam, tentationibus immunem esse*: & paulò pòst, *Non est possibile, ut is qui malis indixerit bellum, pressuris careat.*

Iusti ut aurum probantur. — Apoc. 3. 18. — ad Rom. 5. 3. — S. Bernard. serm. 17. in Cantica. — 2. ad Tim. 3. 12. — S. Chrys. Hom. 1. epist. 2. ad Corint.

34. Notat hic rectè Origenes, in figura ejus, nos legere in libro Judicum de Josue duce Hebræorum, quod cùm Gabaonitę amicitiam iniissent cum populo Dei, subitò ab Amorrhæis persecuti fuerunt. *Expugnemus Gabaon*, inquit rex Adonisedec, *quare fugerit, ad Iosue, & filios Israel.* Supra quem locum Origenes scribens ait: *Cùm anima humana verbo Dei se sociaverit, dubitare non potest, statim se inimicos habituram, & eos quos habuerat ante amicos, in adversarios esse vertendos*: & paulò pòst, *Qui amicitias expetit* JESV, *multorum sibi sciat inimicitias tolerandas.*

Virtus tribulationis occasio. — Iosue 10. 4.

35. Justos ergò ex occasionibus dictis tribulari, clarè patet, nec materialiter solùm, verùm etiam

Iustorum tribulatio consolatione abundat.

etiam formaliter; cùm enim sint justi virtus illorum si non sit causa tribulationis, ad minus occasio est. Verum quidem est, sicut lapis Lydius in flumine reperitur aquis circumdatus, sic tribulatio justorum, undique consolatione circumdata; ita ut vix sentiatur, quod rectè intelligens
2. Cor. 7. 4. S. Paulus, inquit: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio, in omni tribulatione:* sicut enim flumen inundans omnes lapides cooperit; sic consolatio tribulationem cooperit. Vel sicut S. Joannes Chrysostomus ait: sicut parva scintilla in medio
S. Chrysost. Hom. 1. in epist. 2. ad Corint. magni maris: *Quemadmodum,* inquit *si exiguam scintillam in magnum pelagus injicias, eam protinus extinxeris; eodem modo molestia omnis quamtumlibet ingens, si in animum bene sibi conscium inciderit, confestim perit, & evanescit.* Dicamus quoque cum S. Isidoro, ipsum justum lapidem Lydium esse respectu tribulationis; *Vir patiens,* inquit, *laborum exploratio est, & quasi lapis* δοκιμῆς, *id est probationis.* Magna est differentia inter lapides ordinarios, & lapides Lydios, illi siquidem ab auro tacti, nullum ab eo ornatum recipiunt, aut beneficium; hi verò auro obducti, & colorati
Iusti tribulationes non ita sentiunt. remanent. Pariter malis, & impatientibus tribulationes nullum adferunt auxilium, sed justis ut lapidi Lydio, multum ornatum, & auri splendorem tribuunt. His modò dictis duas illas opiniones adeò inter se contrarias, jam quasi reconciliatas habemus; quia ut dicebamus multis opprimuntur justi tribulationibus, nec tamen ut alia volebat opinio, ita sentiunt, ut dici possit illos nullas habere. Ex hac autem doctrina ne à proposito discedamus, optima seligere poterimus documenta, animæ nostræ multum utilia.

36. Primum igitur documentum est dum miserum quempiam, & afflictum videmus, *Non malè de afflictis judicandum.*
non credamus hoc illi ob peccata accidisse, quia justi quoque affliguntur. In hoc maximè erratunt amici Job, qui advertentes illum adeò miserum, judicabant illi propter peccata hoc accidisse, ideoque dicebant: *Recordare quis umquam innocens periit?* Iob 4. 7.
Sed numquid Abel innocens erat, & à fratre miserabiliter occisus fuit? Numquid innocentes infantes, dum aquis diluvii omnes submergerentur? Numquid in civitatibus Sodomæ, & Gomorrhæ multi innocentes, cum aliis combusti? Ah regula ista nullo modo valet, ô Eliphas Temanites, potuit Job esse innocens & afflictus. Melitenses in eundem inciderunt errorem, quando S. Paulus in insulam illam cum sociis naufragis adveniens sarmenta quædam coadunasset, ut ignem exstrueret, & vipera ex ardore re-

vivifcens, digitum ejus apprehendiſſet, quod advertentes, inter ſe dicere incipiebant; ſceleratus & homicida eſſe debet; cum mare ut eum ſubmergeret, turbatum fuerit, & vix inde evadens, vipera illum arripuerit:
Act. 28. 4. *Vtique homicida eſt homo hic, qui cùm evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere.* Expectabant autem ut venenum ſe diffundens, totum inflatum conſumeret. In hoc certe judicio Melitenſes imprudentiam ſuam exhibebant: cùm enim homo ob varia peccata caſtigari poſſet, illi aliorum non fecerunt mentionem, niſi ſolius homicidii: non dixerunt certè adulter hic eſſe debebat, aut perjurus, vel latro, ſed homicida eſſe debet, cur autem homicida potiùs, quàm alius peccator? Videbantur legiſſe locum illum Geneſis, ubi ſanguis Abel emittebat voces de terra; & cogitarent particulari Dei providentiâ peccatum homicidii non poſſe abſcondi, licet homo omni modo illud abſ-
Homicidium abſcondi non poteſt. condere conetur. Moyſes antequam occideret Ægyptium, curioſè reſpexit, ſi aliquis illum videre poſſet, & neminem videndo illum interfecit; & ſub arena abſcondit. Non tamen homicidium illud celari potuit, ſed die ſequenti ipſi publicè exprobratum fuit. Nero veneno interfecit Britannicum fratrem ſuum, cumque corpus ejus inde totaliter nigrum evaſiſſet, illud Gypſio dealbari curavit, ne ſcelus illius appareret, ſed ecce dum ad rogum portatur, ut Diones in vita Neronis refert, aqua de cælo cadens, corpus totum abluit, & nigrum, ut ante erat, effecit, & iniquitatem Neronis clarè patere curavit. Cùm à Tiberio ſecretò Germanicus nepos ejus veneno infectus eſſet; corpus ejus conflagrando, cor intactum manſit, & cognoſcere fecit illum veneno interfectum fuiſſe. Homicidium ergò nullo modo occultari poteſt, ſi in terra illud ſepelias, voces emittet ſanguinis, ut in Abele fecit; ſi ſub aquis poſueris, ſupernatabit; ſi ab hominibus abſconderis, volucres cæli illud manifeſtabunt: vulnera occiſi tot linguis loquentur, & ſanguinem in præſentia occiſoris effundent. Prudenter ergò Melitenſes homicidium potiùs quàm aliud peccatum augurati ſunt in eo, quem videbant ab elementis & ſerpentibus malè excipi: licèt erraverint abſolutè, illum malefactorem judicando; prout quoque oppoſitum judicarunt, videntes eum à veneno non lædi, & dicere incipiebant, Deum quemdam eſſe; *Convertentes ſe,* Act. 28. 6.
dicebant eum Deum eſſe. Sicque in utroque vanè argumentati ſunt.

37. Clara denique eſt ſententia Salvatoris noſtri, quâ Apoſtolis

Apostolis de cæco nato interrogantibus; *Rabbi quis peccavit, hic aut parentes ejus ut cæcus nasceretur; respondit* JESUS, *neque hic peccavit, nec parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo.* De picturis non potest ferri sincerum judicium, donec perfectè absolutæ sint; unde pictores illos cooperire solent, ne illo tempore ab omnibus videantur, aliter enim qui non rectè intelligeret, videndo imaginem sine brachio, aut pede, aut adumbratam tantũ, diceret quàm imperfecta est illa; sed intelligens illi respondere posset, non feras judicium rei imperfectæ, sed perficiendam expecta, & tunc reprehende defectus. Pariter nos sumus, tot imagines & picturæ, factæ juxta exemplar Dei; *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: multos imperfectos reperis, cæcos, claudos, mutos, aliisque membris privatos; an per hoc illos condemnare, & judicare oportet? Minimè, quia pictura nondum est finita, nescimus quem colorem adjunget supremus pictor. Audite Apostolum hoc egregiè docentem, quia hac monitione, hujus mysterii praxim cognosces: *Fratres nolite ante tempus judicare, quoadusque veniet Dominus*; Dominus hujus picturæ qui eam perficiet, necdum advenit, & cùm advenerit, tunc illam clarè patere efficiet; *Qui illuminabit abscondita tenebrarum*; & tunc erit tempus laudandi, vel reprehendendi: *Et tunc laus erit unicuique à Deo.*

Ioan. 9. 3. — *Homo ut pictura imperfecta.* — *Gen. 1. 26.* — *Ante tempus non judicandum.* — *1. Cor. 4. 5.* — Ibid.

38. Secundum documentum est, ut non moveamur ad virtutis assecutionem, propter lucrum temporale; quod egregiè probat Seneca: *Hoc autem ante omnia sibi quisque persuadeat, se justum esse gratis oportet*: Apostolus quoque valido argumento ad idem nos exhortans ait: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra, servire justitiæ in sanctificationem.* S. Augustinus notat hîc valde bene, particulas *sicut*, & *ita*, per quas demonstratur non solùm nos debere jam bene agere, sicut antea malè agebamus, sed eodem modo. Quis autem nescit libidinosum, & sensualem non moveri spe lucri, aut timore ad malè agendum, sed solâ sensualitate suâ stimulatus, iniquâ voluntate ardere? Alibi quoque inquit S. Augustinus; *Sicut veritas propter seipsam expetitur ab optimis, ita iniquitas à pessimis; unde dictum est de quodam pessimo apud auctores sæcularium litterarum, gratuitò potiùs malus atque crudelis erat.* Psalmista etiam diu ante idem asseruit; *Expugnaverunt me gratis.* Sic ergò inquit Apostolus, conveniens est ut ad bonum operandum movearis, non propter lucrum, aut

Virtus non propter lucrum sequenda. — Seneca cap. 112. — ad Rom. 6. 19. — S. August. epist. 44. — Psal. 108. 3.

aut timorem, sed propter amorem virtutis, qui non debet minus in vobis valere, quàm vitium prævaluit; alioquin non verus virtutum zelator, sed lucri sectator esses. Exemplis hoc clarè patebit, si enim amore Petri bene facis Paulo, ergò non amas Paulum, nec te benefactorem suum agnoscere debet, sed Petrum; pari modo si virtutem exerceas ratione lucri, ut honoreris, ut divitias acquiras, vel ob alium similem finem; virtus nihil tibi debet, quia non illam amas, sed lucrum inde proveniens. Sicut ille qui uxorem deformem cupit, non propter se, sed propter bona & divitias, quas consecuturum se sperat. Idem aiebat moralis Philosophus Seneca: *Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ.*

Pharisæi nihil boni agebant.

39 Salvator de Pharisæis malè agentibus dicebat illos nihil agere, sed verbis tantùm facta sua extollere soliti; ut fingant se operari: *Dicunt, & non faciunt.* (Matt. 23. 3.) Sed inter illos nónne multi benè agebant, ut fuit ille qui dicebat in templo; *Iejuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo?* (Luc. 18. 12.) Quin imò sub persona ejus nónne Salvator depinxit quales ordinariè erant Pharisæi? Nónne de illis S. Jeronymus inquit, quòd in fimbriis vestium ligabant acutissimas spinas, ut illis sedendo, & eundo transfigerentur, & excitarentur ut stimulis ad legis observantiam? Nónne denique Salvator affirmat quod, *Omnia opera sua faciant, ut videantur ab hominibus?* (Matt. 23. 5.) Quomodo ergò, *dicunt, & non faciunt?* Quia in registris cælestibus non scribebantur opera illorum, cùm nullius essent meriti, & quasi non essent peracta, sed verba tantùm in vento sparsa; per illa siquidem opera ab hominibus cognosci desiderabant, & laudari; quia denique non amore virtutis, sed propter vanam gloriam exercebant, & lucra temporalia quærebant; ideoque erant quasi non facta; sicque *dicunt, & non faciunt.*

Opera ad ostentationem facta nulla sunt.

Virtutis præmium est bene agere.

40. Considerare insuper debes, te hoc modo sæpissimè decipi, quia per virtutem, dignitates, honores, & gradus altiores consequi sperabas, Deus autem permittet ut contrarium eveniat. Hoc Seneca optimè testatur dicens: *Virtutis præmium cum ipsa est, itaque fecisse rectum facti merces est:* (Seneca epist 82.) non alia merces à virtute speranda, quàm ipsamet virtus. Sed quàm pauci hodie inveniuntur, qui virtutem ipsam insequuntur, sed aliud lucrum, aut finem intendunt. De hoc conquerebatur Deus per Malachiam Prophetam dicens: *Quis ex vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?* (Malachiæ 1. 10.) & per Michæam iterum; *Qui* (Mich. 7. 4.) *optimus*

optimus in eis est, quasi Paliurus, & qui rectus quasi spina de sepe; sed cur sicut *paliurus*, id est cardo, & spina? hæ fructum absque ulla utilitate producunt, & quasi ab unoquoque aliquid requirant, accedentem semper retinent, & aliquid è vestibus auferunt. Tales, inquit Deus, sunt homines, pro minimo quod agunt bono, mercedem requirunt. Qui eleemosynam facit, centuplum subitò recipere sperat; si autem inde non ditescat, murmurat de Deo, dicens: *Vanus est qui servit Deo*; sine mercede, aut ullo fructu remanet. Non taliter S. Paulus Apostolus, qui dicebat: *Per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam sicut qui ignoti, & cogniti.* Dum tamen Deo servimus, sive cum honore, sive cum dedecore nostro, nil refert: non enim nos ipsos, sed gloriam Dei quærimus. Si denique nobis patiendum, & tolerandum, sive ut justus, vel ut peccator; minus malum est ut justus pati, quàm ut peccator, de hoc in sequenti discursu fusiùs disseremus, quia materia illa integrum meretur discursum sibi assumere, quod feliciter peragendum, Deus concedat. Amen.

Singuli ex bono opere mercedem sperant.

Malach. 3. 14.

2. Cor. 6. 8.



DISCVRSVS XX.

De differentia inter afflictiones bonorum, & malorum: quodque magis optandum pati innocenter, quàm culpabiliter.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Modus antiquorum puellas maritandi. num. 1.

Iustorum tribulationes minores sunt quàm iniquorum. à num. 2. usque ad 7.

Iustis tribulationes non nocent, sed eos perficiunt. à numer. 8. usque ad 13.

Iustis tribulatio consolationem, iniquis afflictionem confert. à num. 14. usque ad 24.

Iustorum tribulatio venatio est; iniquorum autem piscatio. numer. 25. 26.

Iusti in tribulatione non facilè commoventur, sed ad Deum confugiunt, iniqui econtrà agunt. nu. 27. 28.

Tribulatio justorum medicina est. n. 29. 30. 31.

Iusti à Deo defenduntur, mali offenduntur. num. 32. 33. 34.

Iustis tribulatio gloriam, iniquis pœnam affert. num. 35.

Melius est pati innocenter, quàm nocenter. num. 36.

Mos antiquus in maritandis puellis.

1. Nter varios ritus quos maritandis puellis solebat adhibere antiquitas; non minus celebres, & ingeniosi, quàm reipublicæ utilissimi olim fuerunt Assyriorum, & Babyloniorum ritus. Conducebant hi in amplam aream, quasi in publicum forum, filias suas, & de his tres classes instituebant. Prima classis illarum erat, quas natura largâ manu, peregrinarum dotum, pulchritudine, & dexteritate ditaverat. Secunda verò illarum, quæ ita erant in medio, ut nec pulchræ, nec omnino deformes dici poterant. Tertia autem earum quæ miseræ & derelictæ quasi, à natura adeò parcè provisæ erant, ut sine injuria deformes dici poterant. Advenientes igitur juvenes maritãdi cupidi, primæ classis, & pulchritudinis filias primò assumi volebant; tali tamen conditione, ut illas recipiens, ingenti pecuniarum summâ dotare deberet. Pecuniæ autem illæ, non puellis dabantur; sed in maritandis

Pulchriores dote emebantur.

ritandis deformibus conservabantur: qui enim illas accipiebat lucrabatur. Illæ verò quæ nec pulchræ nec deformes erant, sine ullo lucro, aut solutione accipiebantur. Non poterat ergò simul haberi pulchritudo, & divitiæ; æstimantes tantum esse mulierem pulchram accipere, ut non tantùm sine dote accipienda foret, verùm etiam pretium solvendum ut illam accipere possent.

Virtus sole pulchrior.

2. Sed quæ umquam virgo adeò fuit pulchra, & eximia, ut virtus? Dum personam à pulchritudine laudare cupimus, illam soli comparare solemus; quia aureo suo splendore, & fulgentibus radiis, universa exornat, & lætificat. Sed sole pulchrior virtus est; de qua Sapiens

Sap. 7. 29. ait: *Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata invenitur prior.* Conveniens ergò foret ut propter seipsam solam amaretur, & non propter lucrum; imò omnia nostra tribueremus pro acquisitione illius; ad imitationem

Matt. 13. 44 Evangelici mercatoris, qui, *Inventâ unâ pretiosâ margaritâ, vendidit omnia quæ habuit, & emit eam*: ita fecêre omnes sancti. Hodie lucrum adeò in mundo dominatur, ut nisi virtus bonam adferat dotem, nullus eam suscipere velit: sic testatur Seneca

Seneca epist. 115. dicens. *Honesta quamdiu illi aliqua spes inest, sequimur; in contrarium transituri, si plus scelerata promittant.* Ideò hoc tempore tam parum virtuti tribuimus, illamque nobis acquirere studemus, quia misera apparet; vitium autem & vanitas à multis amplectitur, uti rectum medium ad divitias conquirendas; hoc David clarè testabatur dicens: *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias*: apud Malachiam alii lamentabantur dicentes: *Nunc beatos dicimus arrogantes.* Videmur autem & nos hanc opinionem admisisse, cùm probaverimus justos, & bonos semper affligi. Ad hoc ergo vulnus, si fortè quid factum sit, curandum, ecce promptum me modò exhibeo; licèt enim justi affligantur, & tribulentur; tanta tamen est differentia, inter tribulationem justorum, & iniquorum, ut licèt alia non fuisset ratio, hæc sufficere posset, ut virtus amplecteretur, & vitium abhorreretur. Ad tria ergò capita hæ differentiæ reduci possunt; primò tribulationes justorum esse multò minores; secundò multò leviores; tertiò sine comparatione utiliores esse.

Virtus modò vitatur, vitium amplectitur.

Ps. 72. 12.

Malac. 3. 15

3. Quoad primum tribulationes justorum minores esse, aliquibus fortè extraneum videbitur, quia Psalmista ait: *Multæ tribulationes justorum*; & S. Paulus: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Experientiâ quoque & ratio idem

Tribulationes justorum multò minores.

Psal. 33. 20.

Act. 14. 21.

 docent,

docent, quia justi tribulationes quærunt, & gaudent iis inventis, unde dicebat David : *Tribulationem, & dolorem inveni:* si quoque non semper quærant ad minus non fugiunt, ut iniqui agunt. Verum tamen est, quod ante dixi; sed ut meliùs percipiamus; Notandum est duobus modis posse res aliquas comparari, vel proportione Geometrica, vel mensura Arithmetica. Mensura Arithmetica illa dicitur, quæ numerum, & quantitatem rerum indicat, sine ulla circumstantia; Geometrica autem etiam circumstantias respicit. v. g. in S. Luca dicitur, quòd populo concurrente in templum, ut dona, & eleemosynas offerrent: divites advenientes multa obtulerunt, venit tandem paupercula vetula, duo minuta offerens. Si ergò comparationem instituamus inter eleemosynas divitum, & hujus vetulæ, juxta propositionem Arithmeticam, absque dubio illa divitum multum excedet: si autem juxta proportionem Geometricam consideremus, eleemosyna vetulæ excedet alias; ratio istius est, quia illi plus erat offerre duo minuta, quàm divitibus tot pecunias. Idcircò rectè hoc approbavit Salvator noster dicens : *Verè dico vobis quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit : quia omnes alii, ex abundanti sibi miserunt in munera Dei, hæc autem ex eo quod deest illi.* Sed quæ proportio ex his duabus magis necessaria? Geometrica, hæc enim cuncta considerat, atque ita justè judicat; quod Arithmetica non agit, cùm unam rem solam consideret. Salvator ergò noster non dixit de hac paupercula, Geometricè, sed absolutè, sine ullo respectu; *Hæc plusquam omnes misit.* Dum igitur exhibuero tribulationes justorum Geometricè minores esse, quàm impiorum, proposito meo satisfecisse putavero.

Psal. 114. 2. — *Quæ mensura Geometrica, & Arithmetica?* — *Luc. 21. 3.* — *ubi suprà.* — *Tribulationes justorum Geometricè minores.*

4. Ad hoc propositum meum comprobandum, videtur mihi rectè convenire responsio militis cujusdam Antigoni, qui licèt annis gravatus, & canus capillus esset, alacriter tamen, ad bellum properabat; unde admiratus Rex Antigonus, dixit: Quomodo senex adeò, cogitas te pondus armorum sufferre & labores belli sustinere posse. Quin imò inquit, fortior modò sum, quàm dum juvenis 25. annorum essem; tunc siquidem pro uno scuto granum portare nequibam, modò verò duo porto. Hoc verò dixit, non quòd pondus majus portaret jam senex, quàm juvenis; sed hoc gratiosè & ingeniosè intelligi voluit, quod adeò carè modò granum venderetur, ut minus modò darent pro duobus scutis quàm tunc pro uno. Simili modo nos argumentari possumus, peccator

Nota scutum esse monetam trium florenorum.

peccator tribulationes satis multas & magnas tolerare debet; justus verò paucas. Sed quomodo? quia justus pro medio asse fert; iniquus autem pro multis pecuniis. An probationem hujus rei desideratis? Nónne videtis justum omnes tribulationes mundi pro nihilo reputare? *Momentaneum & leve tribulationis nostræ*, dicebat S. Paulus: est res adeò levis, & momentanea nostra tribulatio ut nihil ducenda; gravissimas tamen S. Paulus sustinebat, & tota vita ejus tribulationibus, afflictionibus, & miseriis plena fuit. Sed iniqui quomodo tribulationes suas æstimant? O quàm graves illis videntur, *Portavimus pondus diei, & æstus*, inquiunt aliqui illorum, qui uno die solùm laboraverant, & unicus denarius videbatur ipsis nimis exiguum pretium. Quantumq; ergò majores fuissent tribulationes S. Pauli Apostoli, quàm illorum murmuratorum, si Arithmeticè consideremus; proportione tamen Geometricâ, considerando vires subjectorum, & æstimationem illorum laborum, multò minores fuerunt.

2. Cor. 4, 17

Tribulationes iniquorum gravissimæ, Matt. 20, 16.

Tribulationes justorum Arithmeticè minores.

5. Dico insuper ulteriùs procedendo, etiam Arithmeticè minores esse, & plures numero tribulationes malorum, quàm bonorum. Hoc autem verum esse, inde probare poterimus, si consideremus in quo tribulatio consistat; nimirum in non possidendo quod desideratur, aut tolerando, quod sufferre non vellemus; hi sunt duo poli supra quibus axis tribulationis nostræ volvitur. His autem tribulationibus quis magis subjectus est? Malus, aut bonus? Absque dubio malus, quantum enim ad primum punctum, bonus aut nihil, aut exiguum desiderat; quia ut inquit Apostolus; *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus*; Vulgare quoq; est illud Senecæ dictum, *Qui desideria sua clausit, cum Iove de felicitate contendit.* Quis autem est qui clausit desidera sua, nisi solus justus? cùm ut talis, præcepta Dei observet, inter quæ illud particulare præceptum est, *Non concupisces.* De Philosopho quodam scribitur, quod transiens per nundinas, & advertens plurima diversa ibi haberi, quasi secum exhilarando dicebat: *Quàm multis non egeo*; justus autem ulteriùs se exhilarare potest, & dicere, *Quàm multa non desidero*: Ex his ergò mundanis rebus, nullam tribulationem sentit, sicque per illam partem parum admodum tolerare debet. Malus econtrà totum quod audit, & videt, totum desiderat, & concupiscit, totum sibi attrahere vellet. Idcircò Sanctus Joannes ad hoc respiciens dicebat: *Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum,*

1. ad Tim. 6. 8.

Iustus nihil, malus omnia desiderat.

1. Joan. 2. 16.

rum, aut superbia vitæ. Omnia desiderat malus, ideo semper in afflictione est, quia semper exiguum se habere putat. Ita Alexandro Magno accidit, qui post dominium quasi totius mundi adeptum, flere incœpit, quia percipiebat alios adhuc mundos superesse, quorum dominium assecutus non fuerat. Licèt quoque iniquus possideret tantum quantum desideraret, non tamen ipsi sufficeret, timeret quippe semper perdere adepta. Justus autem securus est quod nihil perdere possit, nec ullus thesauros ejus auferre, atque ita cum Philosopho Stiliphonte melius dicere: *Omnia mea mecum porto.*

Justus nihil invitus patitur.

6. Idem quoque ex alia parte confirmari potest; quæ est pati illud quod nolumus; cùm justus siquidem voluntatem suam voluntati divinæ conformaverit, nihil ei contra divinam voluntatem accidere potest, quia ut Sapiens Esther ait: *Non est qui possit tuæ resistere voluntati*: nec consequenter dici potest, aliquid contra justi voluntatem accidere. Iniquo autem voluntatem contrariam divinæ voluntati habenti, & consequenter inordinatam, quotidie plurima contra voluntatem evenire oportet. Sibi ipsi quoque omninò contrarius est, quia Sapiente teste: *Vult & non vult piger*; nec ullus adeò iners, & acediosus, quàm ille, qui modicum pro virtute acquirenda laborem recusat. Nihil ergò illi juxta mentem suam accidere potest, cùm enim duas habeat voluntates contrarias, una illarum semper inexpleta remanere debet.

Esther 13.9

Prov. 13.14

Tribulationes justorum leviores sunt.

7. Nec solùm tribulationes justorum minores, verùm etiam leviores sunt, primò propter confortationes, & consolationes divinas, quibus justus abundat, & iniquis desunt. In taxillorum ingenioso lusu, qui vitæ humanæ quoddam exemplar, tunc amittitur, quando rex nullum habet locum in quo se recipere potest, aut aliquid quo se defendere. Ut rex iste, est cor in corpore nostro, de quo dicitur, *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit*; tribulationes exagitant, & concutiunt, sed cor justi, semper locum invenit, in quo se recipiat; si ab hominibus affligatur, recurrit ad Angelos; si à dæmonibus Deum protectorem implorat; si à rebus externis, ad internam confugit conscientiam, ubi pacem, & quietem reperit. Unde dicitur virgines prudentes habuisse oleum secum, quia symbolum lætitiæ est; *Propterea unxit te Deus oleo lætitiæ*; justi autem hoc semper in vasis conscientiæ secum ferunt: iniqui autem undique mendicant, & sæpè frustrantur. Hinc S. Paulus hoc oleo confortatus dicebat;

Prov. 4.23

Psal. 44.8

2. Cor. 4. 8. bat; *Tribulationem patimur, sed non angustiamur*, quasi diceret, licèt concutiamur, & coarctemur, non tamen deficimus. Iniqui autem adeò constringuntur, ut nullum habeant locum refugii; unde dixit Propheta Amos illis eventurum sicut itineranti, qui Leoni obviam factus fugiens, Urso occurreret, volensque se in caverna abscondere, à serpente morderetur: *Quomodo*, inquit, *si fugiat vir à facie Leonis, & occurrat ei Vrsus, & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber*. Fugiens quippe Dei indignationem, occurrit satanæ Urso rabido, conscientiam verò repetens, à serpente sinteresis mordetur. Ex his peccatoribus fuit Aman, qui afflictus, quod à Mardochæo ut desiderabat non honoraretur; licèt divitiis, & dignitate cunctos præcelleret, amicos tamen congregans ut se consolarentur, nullibi consolationem reperire poterat, unde dicebat: *Cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto*.

Iniqui nullam requiem inveniunt.

Amos 5. 19.

Esther 5. 13

Tribulationes justis inermes adveniunt.

8. Dico insuper justis omnes tribulationes inermes advenire, ita ut nullum possint adferre damnum; malis ultra propriam crudelitatem, aliis quoque armis instructi adveniunt. De Heliogabalo Imperatore me legisse recordor, ipsum ex optimis amicis suis invitare solitum, ut secum cænarent, & dormirent in regio suo palatio; dum verò dormirent, præcipiebat, ut in cubiculum illorum terribiles Leones, Ursi, & Pantheræ, introducerentur; unde experrecti, se in medio crudelium horum animalium videntes, vehementer horrebant, ne carnibus suis his animalibus in cibum datis, satisfacere deberent convivio regio: sed appropinquantes, non tantùm domesticos, verùm etiam dentibus, & unguibus privatos reperiebant; ita ut nec animũ, nec vires nocendi haberent. Non aliter Deus cum servis suis agit, immittit illis tribulationes, feris Leonibus, & rabidis canibus similes; unde Propheta David exclamabat dicens: *Salva me ex ore Leonis, & de manu canis unicam meam*. Sed quid? Feri sunt, sine dentibus, & unguibus, inermes sunt & domestici lædere non valent. Inter hos terribilissima omnium, mors videtur, sed nónne videtis illam inermem, omnibus viribus spoliatam? unde irridebat eam Apostolus dicens: *Vbi est mors stimulus tuus?* Job quoque idem affirmabat dicens: *Bestiæ terræ, pacificæ erunt tibi*, non dicit, *erunt pacificæ*, absolutè, sed *tibi*; justo, & amico Dei, erunt pacificæ nullumque inferent malum. Clariùs adhuc Sapiens asserit, *Creatura enim tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos, & levior fit ad facien-*

Psal. 21. 22.

1. Cor. 15. 55.

Job 5. 23.

Sap. 16. 24.

nefaciendum his qui in te confidunt.

Iusti in tribulatione securè quiescunt.

9. Justi ergò hoc cognoscentes, licèt se belluis his cincti videant, non tamen conturbantur à somno, sed quietiùs, & securiùs dormiunt. Naturalistæ referunt de vitulo Marino, illum hanc habere proprietatem, ut dum mare maximè turbatum est, meliùs dormiat, quasi undarum murmur, ipsi dulcem excitet somnum. Pariter justi, quantò magis se undæ tribulationum & persecutionum attollunt, tantò magis in Domino suo confidunt, & quietiùs dormiunt. Exemplum in promptu adest, David undique inimicis oppressus nesciebat quò se verteret, & ad Dominum suum
Psal. 3. 1. confugiens ait: *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversum me*; sed quid fecisti David? Ego, inquit, non me movi, nec conturbavi, sed
Ibid. 6. *Dormivi, & somnum cœpi*: Non
Ibid. 7. enim *timebo millia populi circumdantis me*: sed quare, quæ est ra-
Dan. 6. 23. tio tantæ securitatis? *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti.* Idem Daniel Propheta expertus, dum in medio Leonum absque ullo nocumento mansit intrepidus; sed calumniatores ejus, vix à leonibus conspecti, in momento dilaniati, occisi fuerunt.

10. Sed concedamus illos armatos esse, quod damnum justis adferre possent? De Cochleis refert Elianus, quòd mul- Elian. lib. 10. cap. 5.
tum ab avibus infestentur, sed aliquas earum tali prævalere astutiâ, ut è conchis suis recedentes illos decipiant, & postmodum securæ revertuntur: quæ autem hac astutiâ uti nesciunt, facillimè ab avibus accipiuntur, & devorantur. Pari modo boni, & justi agunt, quia mente & affectu carnem deserentes, quantumcumque ab inimicis infestentur, nullum possunt eis inferre damnum. Tales erant Romani quibus Apostolus scribebat; *Vos autem in carne non estis.* Rom. 8. 9.
Ideoque inimicos vestros timere non debetis. Insignem hanc artem, S. Thomas Aquinas noverat, ideoque quadam die cauterium recipere debens; à sensibus alienatus fuit, unde nil sensit quid in corpore suo agerent. Mali econtrà affectu & mente, corpori suo immersi, ne puncto quidem ab illo elevare se possunt; unde in prædam inimicorum cedere debent, qui illos citò devorant; juxta dictum Oseæ Prophetæ: *Devoratus est Israel.* Osee 8. 8.

Iusti à malis nil patiuntur.

Iusti in tribulatione perficiuntur.

11. Nec solùm ullum damnum ignis tribulationis bonis infert; verùm etiam mirabiliter perficit, & fulgere facit. Ut hoc meliùs intelligamus; notanda est magna differentia, inter lapidem & lignum, ambo in igne posita: lapis siquidem in igne perfici-

perficitur, & mundatur, ac pulchrior evadit, ut in calce apparet, qui ex lapide vivo materiam albam, & fulgentem accipit. Lignum autem totaliter comburitur, & nigrum ac deforme fit, & carbones nigros producit. Hujus diversitatis occasio, & diversus ignis effectus, difficilis admodum, & mirabilis S. Augustino apparuit, unde dixit: *De ipso igne mira quis explicet? quo quæque adusta nigrescunt, cùm ipse sit lucidus; & pænè omnia quæ ambit, & lambit, colore pulcherrimo decolorat, atque ex pruna fulgida, carbonem teterrimum reddit? neque id quasi regulariter definitum est; nam è contrario lapides igne candenti percocti, & ipsi fiunt candidi.* Sed ni fallor quod hic S. Pater difficile judicabat, possemus ex aliqua saltem parte hic resolvere dicendo: ignem semper fumo comitatum, qui cum sit niger, & à poroso ligno intus receptus, non mirum est si nigredinem suam illi communicet; lapis autem cùm sit solidus & impenetrabilis, ab igne, solummodo calorem recipit, & siccitatem fumi, & ab his candorem recipere potest.

S. August. lib. 21. de civit. Dei cap. 4.

Iusti per tribulationem splendidiores redduntur.

12. Dicamus ergo justos per patientiam, & constantiam, esse instar lapidum fortes, & impenetrabiles, de quibus cælestis Jerusalem fabricata, de qua cantat Ecclesia; *Quæ construitur in cælis vivis ex lapidibus*: Econtrà lignum infœcundum igni destinatum, sunt omnes mali, de quibus dicit S. Joannes; *Iam securis ad radicem arboris posita est.* Luc. 3. 9.
Ambo in fornace tribulationis mittuntur; boni tamen ut lapides solidi, candidi mirabiliter evadunt, mali verò instar ligni, nigri & deformes fiunt. Hinc de bonis Psalmista ait; *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Psal. 67. 14.
Si videlicet vos in mediis periculis reperietis, & in mortis angustiis; aliqui legunt; *Inter medios cacabos igni appositos,* adeò longè aberitis à nigredine, ut potiùs candidi evadetis instar columbæ, cujus pennæ videntur argenteæ; pennæ autem dorsi à radiis solaribus percussæ, instar auri resplendent. Sancta quoque Ecclesia de martyribus cantat; *Candidi facti sunt Nazaræi ejus, splendorem Deo dederunt*; Societas quoque Martyrum in ignem conjecta, *Massa candida* appellata est. Iniquis econtrà sæpius nigredinem attributam legimus; *Denigrata est super carbones facies eorum*, &, *facies eorum sicut nigredo ollæ*: propter peccata, & afflictiones eorum. Si verò hujus diversitatis occasionem quæras, est, quia in igne tribulationis duæ res esse solent; ignis amoris divini à quo tribulatio orta, & fumus indignationis humanæ, quæ ministra tribulationis esse solet. Boni

Iniqui per tribulationem pejores evadunt.

Thren. 4. 8.

Nahum. 2. 10.

ad instar lapidum, admittunt ardorem, non autem fumum; considerant nempe tribulationem ut à Deo missam, non autem ut ab homine illatam, dicentes cum S. Propheta Job; *Dominus dedit, Dominus abstulit*: Non dixit Chaldæi, aut diaboli, sed Deus qui mihi divitias, & filios tribuit, ipse pariter abstulit. Mali verò, econtrà fumo undique se implent; talis dicunt invidiâ motus, mihi hoc malum fecit; alius odio incitatus, me persecutus est; ille me contempsit, quia superbus est; alter me decepit, quia fur est & latro; de hoc fumo cogitationes tuæ perfumatæ, nigræ, & deformes remanent.

Iniqui ut carbones nigrescent.

Joël 2. 5.

13. De ipsis rectè ait Joël Propheta; *A facie ejus*, de igne nempe de quo locutus fuerat; *Sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam*; ubi textus Hebræus habet: *congregabunt sibi nigredinem*; quasi diceret, non erit defectus ignis nigredo, sed culpa illorum, qui ex seipsis colligent nigredinem, relinquendo lucidam flammam. Boni econtrà admittunt flammam lucentem, & nigrum fumum excludunt: non solùm quia ut diximus considerant amorem divinum, & non humanam indignationem; verùm etiam quia facillimè humanas injurias obliviscuntur, retinentes tamen beneficia recepta. Insigne ad hoc intentum ab Apostolis habemus exemplum, qui à Salvatore interrogati; *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Responderunt, *Alii Ioannem Baptistam, alii verò Eliam, alii Ieremiam, aut unum ex prophetis*: omnes ejus laudes referunt, sed multò minoris sunt meriti, quàm Salvator: Sed numquid aliqui hominum valde malè de Salvatore locuti sunt? Nónne illum dæmonium habere, & insensatum esse dixerunt? Dæmonium habet, & insanit; nónne seductorem, & perversorem gentis appellabant, amicum publicanorum, & peccatorum, & vini potatorem? Quomodo ergò harum injuriarũ nullus Apostolorum mentionem fecit? quia lapides vivi erant, non admittebant fumum maledicentiæ, sed flammam honoris, & titulos gloriosos; nec lignum erant porosum, quod fumo alieno denigratur, quales sunt isti qui malo aliquo de proximo percepto, numquam obliviscuntur, & quod pejus est, sono tubæ illud publicant; cùm sicut Apostoli, illud celare debuissent, & bonum solum referre.

Iusti ut flamma lucescunt.

Matt. 16. 13.

Consolationes justorum maximæ.

14. Quid dicam de consolationibus quas Deus justis tribulatis conferre solet? Sola cogitatio se Deum habere propitium, sufficeret ut omnem tribulationem condignè perferre possent.

possent. Cùm Elcana adverteret Annam uxorem suam contristari, eò quòd non haberet filios, dixit: *Cur fles? Numquid non ego melior tibi sum, quàm decem filii?* Quid refert Anna quòd filiis careas, cùm me tibi intimè affectum habeas? Quantò melius Deus animæ afflictæ dicere poterit, ipsum sufficere, pro filiis, divitiis, honore, & pro omni quod desiderare posset, cùm illum habendo, de nullo contristari possit? S. Bernardus inquit, consolationem cælestem fluminis instar esse, non quia fluit, & pertransit; sed quia omnia mundat, & abundat: *Flumen*, inquit, *planè est, sed quod affluat, non quòd fluat, vel effluat. Flumen vocatur, non quòd transeat, vel pertranseat, sed quòd abundet*: ideoque omnibus necessitatibus nostris sufficit. Ita S. Paulo dolenti, & lamentanti, se à satana affligi Deus dixit: *Sufficit tibi gratia mea*; gratiam meam habes Paule, quid amplius desideras? Nónne in ea omnia bona contenta? Populo Hebræo videbantur omnia in deserto deficere, cùm victu, medicina, duce viarum, & aqua ad bibendum careret. Sed quid? sufficiebat illis Deus pro omnibus; ita quidam ex textu Hebræo ubi nos legimus; *Invenit eum in terra deserta*: legunt, *suffecit Deus in deserto*.

1. Reg. 1. 8.

2. ad Cor. 12. 9.

Deut. 32. 10

Iniquis nulla consolatio prodest.

15. Dices nónne mali quoque consolantur in tribulatione, & adjuvantur? Nónne fratres, amicos, & propinquos habent? Nónne divitias, commoditates adjutorium, & voluptates possident? Verum quidem est, sed plagæ illorum, & vulneribus nullum auxilium, aut consolationem adferre possunt. Dum quis corde vulneratus est, quid prosunt emplastra, & medicamenta foris adhibita? Si malum non attingant, quomodo illud sanare possunt? Si malorum radicem, non eradicent, quomodo desinet ramos doloris emittere? Impii verò afflicti, in qua parte creditis vulneratos esse? In corde, perdunt divitias, bona temporalia, moritur aliquis ipsis amicus, aut filius, afflicti sunt, &c. Hæ similesque tribulationes videntur ipsis sagittæ directæ, contra divitias, aut bona externa illorum; sed omnia ad cor vulnerandum tendunt, quia in his & thesauris suis cor suum constituunt; *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum*; *mittam omnes plagas meas super cor tuum*: dixit quandoque Deus Pharaoni. Quid autem misit Deus? Horribilem tempestatem omnia animalia occidentem, evulsit arbores, exsiccavit herbas, destruxitque cuncta in campis reperta. Sed Pharao ab hácne contactus fuit? Non, quia domi erat, quomodo ergò verificatur dictum divinum; *Mittam omnes plagas super cor tuum?* Quia

Impii in corde vulnerati.

Matt. 6. 22.

Exod. 9. 14.

ubi supra.

Quia dum impius in bonis suis tangitur, cor illius vulneratur.

16. Consolationes autem, & voluptates mundanæ ubi quiescunt? In externis solùm, non transeunt pellem, non perveniunt ad cor; unde licet quandoque os videatur plangere, cor tamen dolere non sinit. *Risus dolore miscebitur*, inquit Sapiens, & *Extrema gaudii luctus occupat*: Prov. 14. 13.
Textus quoque Hebræus proprius idem explicat; *In risu dolebit cor, & extremum gaudii dolor*; extremum dixit, secundùm aliquos videlicet, excellentius & perfectius gaudium est dolor. Dicamus quoque pro extremo gaudio, intelligere illam partem, quæ est quasi radix illius, quæ instar arboris ramos virentes extendens, festivo plausu, in extrema sua parte, in corde nempe, non est aliud quàm dolor. Vel etiam respectu temporis; *Extremum gaudii dolor*, in fine siquidem affectus cordis prævalere debet, sicut enim potus febricitantē, licèt parvo tempore refrigeret, cùm tamen calor internus prævalet majorem causat sitim. Pari modo lætitia temporalis, non valens succurrere cordis angustiis, tandem in majorem terminat dolorem. Meritò proinde dixit: S. Joannes Chrysostomus, in materia hominum mundanorum, & temporalium voluptatum; *Etsi mille voluptatibus abundare videantur; quamvis delectationum flumina adesse illis credantur, multis tamen amarißimis telis perfoßi, plerumque jacent*. S. Chrysost. Homil 69.
Baldath quoque Suites temporalem felicitatem amico suo Job promittens, dixit; *Donec impleatur risu os tuum, & labia tua jubilo*: non dixit cor aut mentem implendam, sed os, & labia; hìc enim se sistit lætitia temporalis. Job 8. 21.
Absolutè ergò dicere possumus malos nullo gaudio abundare, juxta oraculum Isaiæ Prophetæ; *Non est pax impiis, dicit Dominus*: nullam videlicet quietem, aut lætitiam possident: Septuaginta verò Interpretes traduxerunt; *Non est gaudium impiis*. Isa. 48. 22.

17. Bona insuper temporalia, non tantùm non consolationem adferunt, verùm etiam, maximam afflictionem conferunt, & plagas multiplicant. *Divitiæ afflictionem conferunt.*
Magi Pharaonis semper multiplicabant plagas, ut bene advertit, Theodoretus, dicens: *Iußit Deus, ut plagas à Deo missas augerent ipsi, qui tamen dissolvere supplicia non poterant*. Theod. q. 3. in Deut.
Talia sunt bona temporalia. Amici quoque Job venerant ad consolandum illum, sed magis affligebant, quàm aliquid aliud, quod pateretur; unde dicebat: *Consolatores onerosi vos estis*; quasi diceret: loco quòd me adjuvaretis, portare grave pondus tribulationis majus humeris meis adjungitis. Quis modus consolandi est iste? Deus Job 16. 2.

verò

verò non tantùm præsentiâ, sed solâ memoriâ consolatur. Hoc rectè expertus fuerat David dicens: *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Mali verò omnem delectationem suam in externis habent.

Psal. 76. 4.

Iustorum lætitia in bona conscientia.

18. Constat ergò bonos omnem delectationem suam in corde habere, propter bonam conscientiam, & propter divinam assistentiam, dixit enim Deus; *Cum ipso sum in tribulatione*: cùm autem Deus sit spiritus, interiorem hominis partem penetrat, & in cor animamque ejus ingreditur; quia verò præ lætitia cor dilatatur, ideò dicebat Propheta; *In tribulatione dilatasti mihi*, subintelligendo *cor*: clariùs quoque paulò pòst; *Dedisti lætitiam in corde meo.* Hoc rectè advertit S. Joannes Chrysostomus dicens: *Non dixit simpliciter dedisti lætitiam, sed in corde meo; ostendens non esse in rebus externis lætitiam, quia hæc lætitia non est cordis, sed solùm oculorum.* Anna quoque mater Samuelis, canticum suum incœpit dicens: *Exultavit cor meum in Domino*: De Abrahamo quoque viro justo dicitur, quod, *Risit in corde suo*; risum non in ore habuit, ut mundani, sed in corde, quia justus erat, & à Deo consolatus. Propter prædicta non timent justi tribulationes, sed illis obviam procedunt; ut notat S. Gregorius Papa, exponendo de justo illum locum Job; ubi de equo dicitur; *Exultat, audacter in occursum pergit armatis. Exultat*, inquit, *audacter, & exteriora tormenta non metuit, quia internam delectationem quærit.* De hac ergo consolatione gaudet afflictus; ita ut majorem sentiat consolationem, & hilarior progrediatur per tribulationes, quàm sine illis. Mater cum prole parvula incedens, dum per viam planam, & commodam incedit, manum porrigit, sed propriis pedibus incedere facit; si tamen defatigetur, propter viæ molestias, dulciter & modestè illam amplectendo ducit, & gaudet propter matris amplexus. Pari modo Deus cum servis suis agit; *Ephraim puer delicatus*, dicebat, & cùm talis esset semper manu ducebat, juxta dictum Prophetæ regii; *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me*: Sed in via lutosa, & molesta in brachio accipit, & portat, sic testatur Moyses de filiis Israel, dicens: *Dux fuisti in misericordia populo, quem redemisti in fortitudine tua, & portasti eum ad habitaculum sanctum tuum.* Dux viarum fuisti populo huic, & portator illorum; dux dum propriis pedibus per viam commodam incedebat; & portator dum per viam asperam, & molestam.

Psal. 90. 15. Psal. 4. 2. Ibid. 7. 1. Reg. 2. 1. Gen. 17. 17. Job 39. 21. S. Gregor. lib. 13. moral. cap. 14. *Iusti in tribulatione gaudent.* Jerem. 31. 20. Psal. 72. 24. Exod. 15. 13.

Tribulatio malis afflictio, justis consolatio est.

19. Dicere insuper auderem tribulationem ipsam quæ pecca-

tores affligit, magnæ consolationis justis esse. Insignis certè eventus, & stratagema ingeniosum fuit liberatio Siculorum à dominio Francico. Fuit juvenis quidam à civitate Procida, homo industrius, qui se stultum fingens, arundine perforatâ omnibus in aure loquebatur; sed diversimodè, inimicis siquidem, & suspectis sonum inarticulatum, & strepitosum edebat, qui illum surdum quasi redderet, sed confidentibus & amicis verba consolatoria promebat; ut citò à dominio Francorum illos liberaret. Similem arundinem dicite tribulationem esse, per quam Deus nobis loquitur, juxta di-
Isa. 28. 19. ctum Isaiæ Prophetæ: *Vexatio intellectum dabit auditui:* sed quàm diversum sonum bonis & malis intimat; his sonus terroris est,
Job 15. 21. unde dixit S. Job: *Sonitus terroris semper in auribus illius*: illis verò sonus lætitiæ, & consolatio-
Psal. 22. 4. nis; *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Huic proposito pulcherrimus est locus Apocalypsis; refert S. Joannes illum audivisse magnam vocem, quasi aquarum multarum resonan-
Apoc. 14. 2. tium, & subitò subjunxit; *Et vocem quam audivi, sicut cytharœdorum*: *Audivi*, inquit, *vocem de cælo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni, & vocem quam audivi, sicut Citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Sed quomodo est possibile eandem vocem & magnum sonum excitasse, & concentum dulcem musicæ reddidisse? Ille exterret, hic verò delectat: ille est sonus inarticulatus, strepitosus, & uniformis, hic verò, artificialis, suavis, & varius. Quomodo ergò una eademque vox potest unum, & alterum repræsentare? Vox illa erat, qualem tribulationis vocem esse dicimus, quæ malis & impiis est quasi tonitru, quod illos exterret, & prævenit fulgur, æternorum tormentorum; sed bonis, & justis, est musica suavissima, propter spem, quam secum adfert, æternæ beatitudinis.

20. Hanc musicam S. Job in tribulatione sua percipiebat, ideoque dicebat; *Qui dedit carmina in nocte*; vel prout exponit S. Gregorius Papa; *Qui dat lætitiam in tribulatione.* Sicut etiam magis fruimur musicâ in nocte, ideoque enim amantes noctu sub fenestris dilectarum suarum, dulcem instrumentorum concentum, exhibere solent, nocturno quippe silentio homo magis dispositus est, ut percipiat dulcem musices symphoniam. Pariter in tribulatione meliùs consolatione divinâ fruimur, cùm homo per tribulationem à rebus terrenis magis sit separatus, & ad Deum conversus, ita ut gaudeat de eadem tribulatione. Sanctus Joannes Chrysostomus

Job 35. 10.
Tribulatio justis dulcis musica.

ſoſtomus ſuper illa verba Pſalmi; *Nox illuminatio mea in deliciis meis*; notat non dixiſſe David, illi tenebras fuiſſe ablatas, ſed quod eædem tenebræ illi lucem præbuerint: exultando in eo quòd eadem tribulatio ipſi conſolationem & lætitiam attuliſſet. Non meminiſtis eorum quæ de Apoſtolis dicta fuerunt: *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine* Jesv *contumeliam pati*. Notandum eſt autem, *digni habiti ſunt*; ſicut enim qui invitatus ad lautiſſimas epulas principis ut cum eo comedat; licèt gaudens fruatur delicatiſſimis cibis; majori tamen perfunditur lætitiâ, quòd dignus habeatur comedere cum principe. Ita Apoſtoli ibant gaudentes; non poterant nimirum celare lætitiam, in pectore concluſam, quia injuriam pro Chriſto patiebantur; non ſolùm quia patiebantur, ſed quia à Rege cælorum digni facti fuerant frui hoc ſuo convivio paſſionis. Dum Chriſtus filiis Zebedæi de paſſione loquebatur, dicebat; *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* Paſſionem ſuam calicem, & convivium appellans. Hæc quoque opinio omnium ſanctorum fuit, ideoque tam hilariter omnes, viri, mulieres, juvenes, & ſenes, ad ſuſtinenda tormenta, & mortem tyrannorum currebant. Rectè quoque id noverat S. Virgo, & mater Tereſia, ideoque dicebat non eſſe meliorem muſicam in auribus ſuis quàm audire oblocutiones, & injurias contra ſe prolatas; quæ impiis ut tot ſagittæ ſunt cordi eorum infixæ. Propheta regius in medio tribulationum ſuarum, dicere ſolebat; *Abyſſus abyſſus invocat in voce cataractarum tuarum*. Una videlicet tribulatio aliam vocat; ſed quid ſibi vult; *In voce cataractarum tuarum?* In textu Hebræo legitur; *Ad vocem fiſtularum tuarum*; quaſi tribulationes inter ſe concentum muſicum excitarent. Licèt quoque viderentur irruere, illum tamen ſonum, & concentum obſervabant, quem Deus illis ordinaverat; David quoque non tantam ſentiebat ex illis afflictionem, quantam ex hac dulci muſica conſolationem percipiebat.

Pſ. 138. 11.
Act. 5. 41.
Et lautiſſimum convivium.
Matt. 20. 22
Pſal. 41. 8.

21. Tres inſuper pueri in fornace Babylonica poſiti, invitabant omnes creaturas ad laudandum, & muſicam exhibendam Deo ſuo, ut correſponderent muſicæ, quam intra ſe ſentiebant, dum in igne pro amore Dei manebant. Nec ſolùm concentus muſicus ab illis auditus, verùm etiam odor ſuaviſſimus bonorum exemplorum, & cognitionis potentiæ, & bonitatis divinæ. Sanctus Auguſtinus ſimilitudine duorum vaſorum hoc egregiè expreſſit dicens: *Si*

Iuſtus tribulatus ſuaviſſimus.

S. August. serm. 107. de tempor. *Si duo vasa sint plena, unum putredine, & aliud aromatibus pretiosis, & uno ventilabro ventilata, illud vas ubi fuerint aromata odorem desiderabilem, aliud fœtorem intolerabilem reddet. Ita evenit bonis & malis*, &c. Tale vas plenum odore bono erat S. Paulus Apostolus, de ipso siquidem dictum
Act. 9. 15. fuit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum.* Quantò magis autem à vento tribulationis commotus erat, tantò suaviorem
2. Cor. 2. 15 edebat odorem: *Christi*, inquiebat, *bonus odor sumus Deo.* Tales pariter tres pueri Babylonis erant, qui nullum odorem fœtidum ex igne contraxerant; sed bonum suum odorem per totum Nabuchodonosoris regnum diffundebant: hoc siquidem odore allectus gloriam, & magnificentiam Dei nostri per totum regnum suum prædicabat. Si verò dicatis, hos tres pueros ab igne non fuisse læsos;
Dan. 3. 50. quia, *Non tetigit eos omninò ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* Idem justis in omni tribulatione accidit, Sa-
Prov. 12. 21 piente teste: *Non contristabit justum quidquid ei acciderit, impii autem replebuntur malo.*

In mari tribulationis justi natant, mali submerguntur.

22. Magna est differentia, inter eos qui in mari sunt, & natare possunt, & inter eos qui natare nesciunt; primi libenter mare intrant, non sentiunt aquarum pondus, non timent submergi, imò ludunt in aquis, & instar piscium huc illucque manibus ac pedibus se movent; & caput elevantes, non permittunt aquam intus penetrare. Qui verò natare nesciunt, magnum sentiunt tormentum, in mare dejici, quia subitò lapidis instar fundum petunt; cùm aqua per os, nares, & aures ubique intret, & paulatim respirationem, & vitam tollat. Talem dicamus esse differentiam inter bonos, & malos; omnes hîc in salso mari hujus sæculi miserrimè jacemus; justi autem qui natare & se dirigere norunt, caput ex aquis efferunt; ita enim docuit illos magister illorum cælestis; *His autem* Luc. 21. 28
fieri incipientibus: quando nempe vos videbitis undique tribulatione cinctos; *Respicite, & levate* Ps. 118. 131.
capita vestra. Sciunt justi extra undas respirare, & consolationem acquirere: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Non relinquunt etiam aquas amaras corpus penetrare, & quietem internam, ac animæ salutem amaritudine mundanarum rerum conturbari. Iniqui verò caput ex aquis elevare nescientes; se quantociùs afflictione, & amaritudine replent. Os repletum habent, quia aliud proferre nesciunt; aures habent plenas, quia aliud percipere recusant, oculos impletos gerunt, quia semper illa videre æstimant, imaginatio, memoria, intellectus eorum his ita abundat, ut aliud nil

Impii afflictione repleti.

nil recordari, aut cogitare norunt, quàm afflictiones, & amaritudines, his quippe undique immersi, se erigere nequeunt. Meritò ergò Sapiens dixit: *Non contristabit justum quidquid acciderit ei, impii autem replebuntur malo*; quodcumque enim exiguum malum illis acciderit, statim replebuntur, & submergentur in eo. (Prov. 12. 21.)

Iustis mare fit terra, iniquis terra fit mare.

23. Parum adhuc dixi, quia tanta est differentia, inter bonos, & malos, ut his terra pro tempestuoso mari inserviat, illis verò mare, pro terra firma sit, & delitiosa. Hoc clarè patuit in transitu filiorum Israel ad terram promissionis: cùm enim præcepto divino ex Ægypto discedentes, mare transeundum esset, non tantùm illis se aperuit, & divisit, verùm etiam in viridem campum fundum suum exhibuit, ut inquit Sapiens: *Et campus germinans de profundo nimio.* Econtrà verò rebellabant Dathan, & Abiron, contra Moysen, & subjectionem debitam illi negant; terra quæ solida erat, non illos sustinuit, sed quasi in liquido fuissent mari, subitò submersit; quod rectè notat Theodoretus dicens: *Est enim perfacile creatori viam siccam in mari conficere, & econtrà terrâ, pro mari uti.* Quod autem visibiliter illis accidit, invisibiliter peccatoribus accidere solet, qui semper in mari tribulationis, sollicitudinis, & cogitationum molestarum versantur; unde de Caino scelerato dicitur: *Habitavit ad orientalem plagam.* S. Jeronymus hanc terram fluctuantem appellat, quæ plus de mari quàm de terra haberet, quæ Cain semper tremere, & timere faciebat. Sed S. Petrus Apostolus securè supra undas maris gradiebatur, aliique discipuli inter persecutorum procellas securi incedebant; juxta promissa Salvatoris: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non turbetur cor vestrum, neque formidet.* (Theod. q. 34. in cap. 16. Num.) (Gen. 4. 16.) (Joan. 14. 27.)

Iustis tribulatio ut mel dulcis.

24. Quin imò justis aqua amara tribulationis, non acerbitatem, sed dulcedinem palato ingerit; unde hilariter, & magno gustu illam ebibunt. Amici Job summopere mirabantur de eo, dicentes; *Quis est vir sicut Iob, qui bibit sicut aquam subsannationem?* Quid ergò sibi vult, nos adeò exiguâ patientiâ injurias & tribulationes sufferre? Quòd palatui nostro amariores sint, quàm quævis aqua marina; totum hoc provenit, quia spiritu fervoris divini caremus; non cognoscimus quantum bonum nobis afferant, & quantum nobis prodesse possint, de quo in secunda parte agemus. (Job 34. 7.)

SECVNDA PARS.

25. DEus noster Jeremiæ Prophetæ duobus mo-

dis clarissimè exhibuit, modum quem in animarum conversione tenet. Unus piscatoris est; venatoris alter; *Ecce ego*, inquit, *mittam eis piscatores, & piscabuntur eos, & post hæc mittam eis venatores, & venabuntur eos.* Hæc duo exercitia, sibi similia sunt, quia ambo laqueos, & retia animalibus tendunt, qui pro cibo hominum inserviunt: in multis autem differunt. Piscatores in silentio piscantur, venatores multo strepitu ad venationem procedunt. Illi fraude prævalent, hi verò fortitudine; illi insidias animalibus non videntibus tendunt, unde casu retia ejiciunt, & si pisces de se non intrant, in vanum laborant, hi verò persequuntur volucres, & animalia conspecta, procurantes in retia extensa adigere; illi ordinariè sunt pauperes, & abjecti, hi verò domini, & principes: Ab illis pisces aufugiunt, in profundum maris, ab his aves in altum volant. In his duobus exercitiis, videtur mihi tribulatio bonorum, & malorum præfigurata; hi piscium instar in amaris undis peccatorum involuti, ab Apostolis præcepto Domini, missi sunt expiscari; *Faciam vos fieri piscatores hominum*; illi instar avium, in altum volantes, ad cælum se elevant: ideóque regnum cælorum grano sinapis comparans, dixit, quòd, *Veniunt volucres cæli, & habitant in ramis ejus.*

Ierem. 16. 16.

Differentia inter piscatores, & venatores.

Matt. 4. 19.

Matt. 13. 32.

26. Venationes sunt tribulationes justorum, quia murmur multum eliciunt, & exiguam prædam acquirunt. Manè exit princeps magno apparatu ad venationem, videtur velle civitatem obsidere; hic equos parat, ille canes venaticos catenis coercet, in hac parte cornu inflatur, in illa venatores conclamant; videtur exercitus in campum procedere, reditur denique domum uno lepore aut perdice accepto; ita ut semper sint expensæ majores quàm prædâ recepta. Piscator autem modestè exit, cum retibus in humeris, ab amico fido sociatus, & silenter retia expandens prædâ onustus domum redit; ita ut rumor sit exiguus, & lucrum multum; quia plurimi pauperes sola piscatione familiam suam sustentant; quia verò venatio plùs expendit, quàm lucretur, solet esse exercitium principum. Non aliter tribulationes justorum, magnum excitant murmur, & parum lucri adferunt: ita testatur Sanctus Paulus dicens: *Foris pugnæ, intus timores, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum*, &c. Magnum enarrat rumorem; sed quod lucrum adferebat in corde ejus? Nullum, quia contentus, & quietius erat; *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio.* Tribulationes

Iustorum tribulationes venationes sunt.

2. Cor. 11. 26.

2. Cor. 7. 4.

bulationes iniquorum econtrà ut piscationes sunt, non videntur, non sentiuntur, oculis hominum felices videntur, sed intus plenæ timore, & afflictione sunt. Insignem experientiam hujus in Saule reperimus; ut venator semper Davidem insequebatur, per sylvas, valles, & rupes, maximo gentium tumultu, absque eo quod umquam intercipere potuisset; sed intus à satana stimulatus erat, qui piscatoris instar sine rumore & strepitu ipsum arripiebat: *Spiritus Domini malus arripiebat Saul.* 1. Reg. 16. 23.

Iusti non facilè commoventur sicut iniqui.

27. Si quoque piscatio est personarum vilium, & pauperum exercitium, & principum est venatio: Ut iniquus affligatur, quivis homo vilis & abjectus sufficit, uno Mardochæi sufficiebat Aman; ut autem justus affligatur, oportet principes & magnates quærere. Herodes requiritur ut Joannem persequatur; Achab, & Jesabel, ut Elias affligatur; non enim parvâ re commoventur, sed viribus pollent, ut maximæ tempestati mundanæ resistant. Si in piscatione astutia magis prævalet quàm fortitudo; mali rebus mundanis maximè decipiuntur, in quibus dum consolationem reperire putant, non aliud quàm afflictionem reperiunt. Rectè ergò inquit Sapiens: *Sicut pisces capiuntur hamo*; decepti ab esca hamum cooperiente; *ita homines in tempore malo.* Ecclesi. 9. 12 Justi autem decepti non remanent, non sunt occasio sui mali, sciunt quippe mundum aliud non esse quàm vanitatem, & afflictionem spiritus; quod rectè testabatur Salomon dicens: *Ecce universa vanitas, & afflictio spiritus.* Ecclesi. 1. 14 Iniqui piscium instar rete intrant; *Impii manibus accersierunt mortem*; Sap. 1. 16. justi non sunt causa proprii mali, sed sufferunt illud ab aliis causatum, uti S. Petro dictum fuit: *Cùm senueris alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* Ioan. 21. 18. Quod autem proposito nostro magis inservit est, quod sicut pisces à piscatoribus agitati, ad fundum maris se recipiunt, volucres econtrà persecutæ, ut venatores effugiant in altum se elevant, & cælum versus tendunt. Non aliter peccatores occasione tribulationis, se magis à Deo elongant, justi autem versus cælum magis tendunt, ut à terrenis sordibus se expediant, & Deo intimiùs uniantur. Talis peccator Cain fuit, qui propter occisionem fratris sui punitus, à Deo illi dictum, quòd fuisset vagus & profugus in terra; loco quòd dicere debuisset, cùm terrâ frui non possim, ad cælum acquirendum me accingere volo; econtrà tamen dixit: quandoquidem terrâ frui non possum, nec cælo, nec facie divina gaudere cupio, audite ipsius verba; *Ecce ejicis me* Gen. 4. 14. *hodie*

Iusti in tribulatione accedunt Deo, iniqui discedunt.

hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar; ubi notandum, quòd *à facie terræ*, dixit, *ejicis me*, tu es Deus qui me à facie terræ ejicis, ſed à facie tua non dicit, *ejicies me*, ſed *abſcondar*: quaſi diceret, quando me terrâ privas, & ego me te privare volo; ut infans eſt, qui eò quòd culter illi ablatus ſit ne noceat, etiam panem projicit, ô ſtoliditas ſumma! Talis fuit vana quædam adoleſcentula, quæ eò quòd in flore juventutis à morte ſuperventa erat; numquam etiam diu exhortata confiteri voluit, dicens: cùm Deus à me corpus auferat, & ego illi animam auferre volo, illam potiùs diabolo tribuere; quanta perverſitas, quaſi verò Deo potiùs quàm ſibi damnum inferret.

Iuſti afflicti, ad Deum ſe elevant. 28. Juſti autem omninò contrariè agunt, cùm enim hîc affligantur, ad cæleſtia ſe elevant, & contemplatione rerum cæleſtium Deum acquirere ſtudent; cogitantes illum eſſe illorum patrem & protectorem; ſicut enim inquit S. Gregorius Papa; *Mala quæ nos hîc premunt, ad Deum me compellunt.* Regius quoque Propheta nullam conſolationē in terra admittere noluit, ſed mentem ad Deum elevans, dicebat: *Renuit conſolari anima mea; memor fui Dei & delectatus ſum*: Apoſtolus Paulus inſuper dixit: *Scimus quòd ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd habemus domū nō manu factam æternam in cælis.* Hoc modò tribulationes utiliſſimæ ſunt bonis, iniqui autem omnia mala, & interitum inde hauriunt. Nec ſolùm hîc de bonis perfectis, & juſtis loquor, verum etiam de imperfectis, & de iis qui per tribulationes boni evadunt, qualis fuit filius prodigus; cui, quis ignorat, quantum bonum fames attulerit, & quantum paupertas & alia incommoda ei utilia fuerint, cùm longè eſſet à patre, & domo ſua? *Mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus eſt*, de illo dixit pater. Sed quomodo inventus erat? An pater eum itinerando & quærendo aliquo in loco repererat, & domum conduxerat? Minimè, ſed ille ex regione, in qua morabatur diſcedens, ad patrem inveniendum perrexit. Non ergò ipſe inventus eſt, ſed patrem invenit. Mirabilis certè res apparet, quòd mulier quæ draghmam perdiderat, ſcopas arripiat, & everrens totâm domum, illam quærat; paſtor autem unicam ovem perditam proſequatur, nonaginta novem relictis, per montes & valles eam quærens, ut evangelium teſtatur: hic autem pater duos tantùm habens filios, & juniorem, ac chariorem ex illis perdens, non illum quærat, aut ſervos mittat, nec magis de illo cogitet, quàm ſi non fuiſſet filius; ut autem

Pſal. 76. 4.

2. Cor. 5. 1.

Luc. 15. 24.

Quomodo filius prodigus à patre inventus?

autem hoc de ipso non credamus, dicit de filio suo, *Perierat, & inventus est*, ostendens illum satis bene quæsitum fuisse. Sed quomodo bene quæsitus, si à domo sua paterna non recesserat? Nónne meministis ejus, quod paulò ante dixi, tribulationem insignem venationem esse? Vix ergò filius prodigus à domo paterna recesserat, quin subitò plurimos canes, & venatores post illum misit pater qui illum reperientes, domum conducerent. Hi venatores, & canes, fuerunt fames, paupertas, servitus, aliæque calamitates quas patiebatur; unde meritò pater dicebat: *Perierat, & inventus est.* Sicut ergò bonis & perfectis tribulatio instar coronæ servit, sic imperfectis optima medicina est.

ubi suprà.

Tribulatio justis corona, iniquis medicina est.

29. Insignis humanæ artis inventio est, ut venena quæ ad vitam humanam auferendam videbantur ordinata, ita in medicina contemperari possunt, & præparari, ut non tantùm non noceant, verùm etiam causa sint sanitatis & salutis? Non aliter dicamus Deum cum tribulatione egisse, illa naturâ suâ venenum est, quod affligit, cruciat, & vitam aufert, de qua dictum est; *Calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto.* Calix est in manu Domini, quia de illa dispensatur, est vinum purum, sive *forte*, ut Chaldæus interpres habet; symbolum castigationis; propter similitudinem quam cum sanguine habet, *Et vinum rubet*, legit Hebræus. Hic autem calix commixtione plenus est; sed quomodo hæc conveniunt, purum, & mixtum? Si de aquæ commixtione sermo fieret, contradictorium esset, non de hac ergo commixtione, sed de alia loquitur, de rebus nimirum malis, venenosis, & amaris. Sed cur hæc commixtio fit? Philosophi dicunt venenum vino mixtum citius occidere (cùm vix ullum possit adhiberi remedium) quàm illud quod in cibis miscetur; vinum siquidem citiùs penetrat, & ad cor transit, secum venenum deferens. Metaphoricè volebat David dicere, Deum in vino voluptatis, commiscere tribulationes & afflictiones; in deliciis autem mundanis dolores exhibet, quod facit ut illi plus sentiantur, & afficiant cor; quia ubi sperabatur quies, & dulcedo, amaritudinem, & afflictionem reperire, magnum est tormentum. Hic ergò calix peccatoribus à Deo præparatus, ideò sequitur; *Bibent omnes peccatores terræ.*

Psal. 74. 9.

Psal. 74. 9.

30. Calix verò bonorum etiam amarus est, sed adeò contemperatus, ut pro admirabili medicina deserviat. De hoc Salvator filiis Zebedæi dicebat; *Calicem meum bibetis*; licèt enim aliud in calice non esset, nisi illud

Iustorum tribulatio consolatione mixta.

Matt. 20. 23.

lud *meum*, quis aliam commixtionem desideraret? *Communicantes Christi passionibus*, aiebat S. Petrus, *gaudete*: bibendo nimirum calicem Domini *gaudete*, quia potio summè desiderabilis. *Calicem meum*, inquit, non solùm quia ipse prior ebibit, verùm etiam quia ab eo ordinatus, & commixtus. Prudens medicus vires infirmi rectè considerat, & juxta illas medicinam ordinat, licèt quandoque errat non bene infirmitatem cognoscens: sed de eo nullum est periculum in Deo nostro, etenim si medicina validior esset quàm desideraret, vires naturæ adjuvare novit, & efficere ne ab illa superentur. Hoc erat quod S. Paulus nobis innuebat dicens: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Nullam vobis permittet amaritudinem sentire, sed magis consolationem; quia ut idem Apostolus ait: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Hoc modo à nobis omnes malos humores abigit, & multam salutem animæ nostræ procurat, quia Sapiente teste: *Curatio cessare faciet peccata maxima.*

1. Petr. 4. 13

1. Cor. 10. 13.

2. Cor. 1. 5.

Ecclesi. 10. 4

Tribulatio justos corroborat, iniquos debilitat.

31. Dico insuper, sicut corporales medicinæ corpora debilitant, & vires naturæ diminuunt, sic tribulatio justos magis corroborat. Magna est differentia, inter eum qui nudis pedibus, & eum qui calceatis pedibus incedit; quia hic sæpè calceos mutare debet, subitò quippe rumpuntur, aut incommodantur; qui verò nudis pedibus est, quantò magis incedit, tantò fortior evadit, & indurantur, & magis assuefiunt pedes; ubi in principio teneriores & molliores erant, ita ut per saxa, aut molesta incedens nil sentiat. Quam hujus rei causam adferemus? Pellis quo calcei fiunt, natura sua fortior est, cùm sit pellis bovina, pellis verò hominis tenera, & mollis est, quia humana. Quid ergò sibi vult, hanc labori plus resistere, illam verò usu paulatim consumi, illam puto rationem assignari posse, quia pellis calceorum mortua est, pellis verò pedum, viva est, ideoque hæc ab anima adjuta magis resistit & corroboratur; pelli autem mortuæ, cùm omne adjutorium desit, oportet illam brevî, & paulatim consumi. Pariter iniqui sunt pellis mortua; *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos*, ideoque in tribulatione, & afflictione subitò deficiunt, & consumuntur, idcircò amicus ille Job dicebat: *Venit super te plaga, & defecisti.* Justi autem sunt pellis viva, vitâ divinâ vegetantes; *Qui manducat me & ipse vivet propter me*: ideoque in tribulatione magis forti-

Luc. 9. 60.

Job 4. 5.

Ioan. 6. 58.

fortificantur, & consolidantur. Ita S. Petrus fideles exhortabatur dicens: *Modicum passos*, ecce tribulatio; *Ipse perficiet, confirmabit, consolidabitque*: Ecce quam fortitudinem in tribulatione acquirant. Idem quoque S. Paulus Apostolus affirmabat dicens: *Cùm infirmor, tunc potens sum*: Clariùs autem proposito nostro, Sapiens in Proverbiis; *Ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget*. Si videlicet legem divinam observaveris, confidenter proficies, nullum in via offendiculum, vel impedimentum senties. Juxta illud quod Isaias dicebat; *Semita in pedibus ejus non apparebit*: nullum erit vestigium gressus illius quasi numquam extra domum ivisset; S. Jeronymus in hunc locum scribens ait: *Non laborem sentiet, non aliquam imbecillitatis lassitudinem.*

1.Petr.5,10

2. Cor. 12. 11.

Prov.3,23.

Isa. 41,3.

Iusti à Deo defenduntur mali offenduntur.

Ezech.16. 10.

32. Non solùm quoque justi carnem, & pellem vivam habent, sed à Deo mirabiliter tuentur; *Calceavi te Ianthino*; dixit Deus per Ezechielem, calceis nimirum violaceis, armavi, & ornavi pedes tuos, talem quippe colorem pelles solidiores habere solent. Vel sicut aliqui etiam legunt, ex taxo, *Taxeis pellibus calceavi te*: quæ mirabilem dicuntur habere virtutem, pedes confortandi, non solùm à lassitudine, verùm etiam à duritie, inflatione, & vulneribus, & omnibus malis. Hac ergò defensione justi muniti, alacriter in via Domini procedunt sine aliqua lassitudine aut labore. Mali omnia contraria sentiunt, ideoque conqueruntur dicendo: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis.* Quod autem malis pejus accidit est, ut si quandoque se fortiores exhibere velint, in majus damnum illorum cedit. Ventus quantumvis vehemens arundinibus vix nocet, quia hæ flectuntur, & cedunt ejus impetuositati; sed dura quercus aut inflexibilis Cedrus, nolens vento cedere, frequenter finditur, aut ad terram dejicitur, & evellitur. Pariter iniqui & obstinati, si à vento tribulationis percussi, cedere nolunt, nec voluntati divinæ inclinare, aut se submittere, conquassantur, & affliguntur; unde sub metaphora Cedri de illis aiebat Psalmista: *Vox Domini confringentis Cedros; & confringet Dominus Cedros Libani.* Justi autem propriam fragilitatem, & utilitatem cognoscentes, voluntariè se flectunt, & submittunt ut arundines, voluntati divinæ; juxtà monitum S. Petri Apostoli. *Humiliamini sub potenti manu Domini.* Meritò quoque illis hoc emblema arundinum applicari potest, hoc addito dictò; *Flectimur, non frangimur*: unde à tribulatione apprehensi, nullum sentiunt damnum.

Sap. 5. 7.

Iniqui non se Deo submittentes, affliguntur.

Psal. 28. 5.

1.Petr.5.7.

33. Hinc quoque sequitur

Deum

Iusti ut aurum, iniqui ut durum ferrum.

Deum pulcherrima per eos efficere: ingeniosus artifex dum materiam congruam, & flexibilem præ manibus habet, in varias formas, & figuras illam reducere potest, & industriam suam inde monstrare. Plinius inquit aurum omni modo inflecti, & disponi posse, ferrum autem nisi maximè ignitum potiùs frangitur, quàm flectitur. Aurum sunt
Apoc. 21. 18 omnes justi; *Ipsa civitas aurum mundum*; durum ferrum sunt omnes iniqui, de quibus dictum;
Isa. 48. 4. *Nervus ferreus cervix tua*; si diceret illos pedes ferreos habere, vel crura quæ corpus sustinere debent, aut brachia ferrea ad defendendum, minus malum esset; sed quòd cervix quæ semper inflecti debet, de ferro sit, & inflexibilis, non potest sufferri; ideoque non mirum si à Deo rumpatur, juxta dictum Pro-
Psal. 128. 4. phetæ Davidis: *Dominus justus concidet cervices peccatorum.* Ut aurum fuit ille cæcus natus, quia
Joan. 9. 3. dicente Salvatore; *Neque hic peccavit nec parentes ejus ut cæcus nasceretur*; ideoque fuit materia valde flexibilis ut Deus opera sua in eo manifestaret: *Ut manifestentur opera Dei in illo.*

Iusti affliguntur, ut perficiantur.

34. Verum quidem est, non omnes hanc Dei artem intelligere; & dum videmus illum justos tribulare, & affligere, admirantur, & quasi scandalizantur; sicut qui fabrum malleo murum percutere videt, admiratur nesciens ad quem finem hoc efficiat; & putat illum velle destruere, ubi tantum fenestram, aut armarium aliquod efficere cupit; ita ut rumpere murum videatur ejus officio contrarium, sed hoc efficit, ut decentiùs & commodiùs domum exornet. Pariter Deus efficit, videmus quandoque illum cum malleo in manu justos acriter percutere; sed ad quem finem? Ut fortè destruat? Minimè, sed ut melius ornet, & dignius opus efficiat; ita Isaias Propheta inquit:
Ut faciat opus suum, alienum est opus ejus. Clariùs quoque Jeremias Propheta; *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion*: quasi diceret, non casu se movit Deus, sed bene præmeditatus est, antequam dejiceret ad terram murum filiæ Sion. Quid fecit? *Tetendit funiculum suum.* Ad quem finem? Funiculus à fabris murariis in opere adhibetur, non ut destruant ædificium, sed ut rectiùs perficiant: sic rectè Deus effecit, ut scires illum non velle destruere murum, sed perfectiùs ædificare: *Tetendit funiculum suum.* Quid verò per hanc afflictionem non effecit in anima dilecta? Portam aperit ut intret; *Ecce sto ad ostium & pulso*: Apoc. 3. 20
tu verò qui in prosperitate Deum admittere nolebas, in tribulatione subitò cor tuum pandis fenestram aliquâ aperis ut cæleste lumen recipias; *Ego vir videns* Thren. 3. 1.
pauperta-

Isa. 28. 21.
Thren. 2. 8

paupertatem meam in virga indignationis ejus. Armarium conficis ad cælestes thesauros reponendos; *Si exprobramini in nomine Christi, beati, quoniam si quid est honoris, & gloriæ Dei, super vos requiescet.* Caminum efficis, ubi continuò ignis divinus ardeat, ne fumus vanæ gloriæ diffundatur; *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus satanæ qui me colaphizet.* Scalas ut cælum conscendas facis; *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* An desunt mirabilia quæ Deus per tribulationem operatur in animabus justis.

1. Petr. 4. 14.

2. Cor. 12. 7

Act. 14. 21.

Justis tribulatio æternam gloriã, iniquis æternas pœnas adfert.

35. Maxima denique est differentia inter justos, & iniquos; nam his mittitur tribulatio ut arrha plurimarum pœnarum, quas in altera vita sustinere debent. Sed bonis ut ab infernali incendio, & pœnis æternis liberentur, & fiant in cœlo gloriosiores. De hoc pulcherrimum habemus exemplum, in justo Loth, & Sodomitis sceleratis, qui omnes simul ab inimicis captivi ducti fuerunt; licet Loth postmodum ab Abrahamo liberatus fuerit; in quo patet nullam factam fuisse differentiam, inter bonos, & iniquos. Postea autem contrarium manifestatum est, quia Loth à culpis levibus in captivitate illa liberatus, postmodum ab incendio Sodomæ in monte salvatus; Sodomitis autem captivitas fuit præludium majoris castigationis, sicque illi incendio exstincti, quia æternas pœnas sustinere debebant in inferno. Unde rectè dixit S. Augustinus; *Omnes cruciatus qui corporaliter inferuntur, aut ut exerceant conversos ad Deum, aut ut convertantur admonent, aut justæ damnationi ultimæ præparant obduratos.*

S. August. in psal. 9.

Melius est innocens pati, quàm nocens.

36. Quid ergò juxta propositum, & consuetudinem nostram, ex ante dictis nobis colligendum? nisi quod in præcedenti lectione vobis assignavi; quòd oporteat in hac vita aliquid pati, non minùs justus quàm sceleratus, melius tamen est pati ut justus, quàm ut iniquus. Meritò certè ut justus patitur, ad hoc enim exhortabatur fideles S. Petrus dicens: *Nemo vestrûm patiatur ut fur aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem ut Christianus glorificet Deum in isto nomine*: agite Deo gratias si pro ipso patimini, quia beneficium singulare accepistis. Non verò ut modo plurimi, qui dum affliguntur dicunt; quid mali feci, cur hæc pati debeo? Si justè paterer libenter sufferrem, sed sine culpa & causa tanta sufferre nimis amarum est. Ah stolide, ergóne displicet tibi nullum commisisse crimen? Ergóne velles potiùs ut latro pati quàm ut innocens? Parúmne æstimas tormentum malæ conscientiæ?

1. Petr. 4. 15.

ſcientiæ? Si inter omnes dolores illa quoque te cruciaret, putaréſne tibi conſolationem allaturam? ô inſipientia intolerabilis. Lætemur ergò dum occaſione datâ innocenter patimur, nec adeò tribulationes fugiamus, quã ut illas promereamur: non adeò paſſionem, quàm dignum eſſe pati; non adeò tormenta externa, quàm interna, & malæ conſcientiæ. Cùm igitur bonis tribulationes ſint adeò utiles, procuremus nos quoque tales eſſe, vel ad minus ad exemplum illorum fructum haurire humilitatis, pœnitentiæ, & contemptus mundanorum, emendationis vitæ, & meriti regni cæleſtis; quod Deus nobis per miſericordiam ſuam concedere dignetur, AMEN.



DISCVR-

DISCVRSVS XXI.

Vtrum fortuna tribulationis causa dicenda, non absque variis motivis, & consolatione afflictorum, & gratitudine versus Deum, pro cunctis bonis.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Quanta stoliditas gentilium.

1. TAntæ fuerunt insaniæ, stoliditates, & vanitates cæcorum impiorumq; gentilium, erga multitudinem, & qualitatem inanium Deorum; ut nil mirum videri debeat, si inter hos cæcam quandam Deam finxerint, cui maximam adeptorum bonorum partem adscribere soliti erant, eamque fortunam nuncupatam volebant. O stoliditas, & insipientia summa! Conquerebatur olim M. Tullius Cicero, Cæsarem ex persona vili & plebeia inter Senatores relatum, & Dictatorem indignè effectum; sed quid adeò vile & abjectum erat, quod in senatum suorum Deorum gentilitas non reponebat? Omitto cælum cum splendoribus suis, Sole, Luna, Stellis, Terra, Mari, Aëre, & Igne; quæ vel propter pulchritudinem, magnitudinem, aut insignem illorum virtutem, animos mortalium in admirationem rapere

poterat. Quod ferocius, aut immanius animal Crocodilo? Ægyptiis tamen Deus, & ab illo devorari, & comminui, summa erat felicitas. Quid vilius, & immundius Scarabæo, qui ex sordibus, & putredine generatus, illis semper inhæret? Veteres tamen gentiles ut Deum adorabant Quid tardius, & ineptius, Testudine? Trogloditides tamen Deum putabant. Quid stolidius Bove? Et hic apud incolas Heliopolis Deus erat; prout apud incolas Mempheos vacca: apud Leontopolis Leo; apud Licopolis, Lupus; apud Thebarum Aquila; apud Meridæ Capra; apud populos Nubiæ Canis; apud Syros pisces. Quid de aliis insensatis, & inanimatis referam? Virgulam pro Deo colebant Cheronei; Pharetram Cillenii, tenax viscus plus omnibus apud Druidos in honore erat; Cappadoces montem, Arabes rudem petram; falcatum ensem, sive gladium persicum, Scytæ; aquam currentem Persæ. Nec hîc eorum cessabat stoliditas; quin multa phantasmata, larvas, accidentia, & privationes adorabant: Dii eorum erant febris, timor, dolor, voluptas, risus, paupertas, spes, concordia, discordia, dedecus, miseria, calamitas &c.

Ingens Deorum numerus.

Vnicuique rei Deos affingebant.

2. Quid de vanis, & fictis nominibus referam? Deum quandam Levanam dictam fingebant; cujus officium erat infantes vix natos à terra elevare: Altera Cumina quæ illos in cunis regebat: alia Rumina, qui infantes ubera arripere docebat: Edusa & Potina æstimabantur quæ bibere & comedere docebant: Fabulinus Deus eos verba proferre instruebat: Stabulinus infantem pedibus erigere, & rectè stare, assuefaciebat: Paventia ut Dea precabatur, ne infantes expavesceret: Ossilago, ossa ejus consolidabat: Quis denique particulares Deos omnium rerum enumerare sufficeret. Boum Bubona; scoparum Deverra; Muscarum Miagrius; injuriarum Momo, pomorum Pomona, florum Flora: frumenti Ceres; sylvarum Nemestinus; collium Collina; camporum Rurina; latronum Laverna, Cloacæ tandem, & immunditiarum receptacula, pro Dea Cloachinam habebant. Notat insuper S. Augustinus non sine risu, & joco, unicam grani spicam duodecim Diis comendatam fuisse. Uni siquidem Deo radix sub terra, alii arundo, alii nodi, alii arista, aliisque aliæ partes minutæ assignatæ erant, donec numerum duodenarium complerent. Eodem quoque loco adjungit S. Augustinus, quòd sicut unus homo ad portam custodiendam sufficit; ita gentiles pro unaquaque porta tres Deos constituebant. Primus Forculus dictus,

S. August. lib. 4. de civit. Dei cap. 8.

dictus, qui ligna sive tabulas portæ custodiebat; secunda erat Dea Cardea, cardines regens: Tertius Limitinus limina conservabat.

Quàm ineptè Deos suos fingebant.

3. Quid demum de stolidis conditionibus corporis, & animi, quas illis tribuebant. Vulcanum Claudum fingebant; Apollinem juvenem imberbem pingebant; sed patrem Æsculapii longâ barbâ multorumque annorum fingebant. Mercurium manibus pedibusq; alatum; Cupidinem adolescentem oculis velatum. Pan pedibus caprinis præditum, Janum bifrontem, oculis bovinis Junonem, oculis bubonis Mineruam; & oculis felis Neptunum, præditum aiebant. Jovem adulterum, Saturnum parricidam; Martem crudelem; Venerem lascivam: Junonem ambitiosam; Mercurium latronem prædicabant. Numquam finem his nugis imponere possem, si omnes gentilium insanias referre cuperem; pro quibus summæ Deo gratiæ agendæ quòd nos à similibus liberos reddiderit:

Fortuna æstimata Dea.

4. Inter tantos ergò Deorum insanias, non mirum si Deam unam Fortunam appellaverint, cui omnes casus prosperos, & adversos tribuebant, qui homini accidere possent. Mirum tamen summoperè videri potest, quòd cùm omnes gentilium Dii à nobis proscripti, & relegati existant; illa tamen sola remanere potuerit. Licet quoque non ut Dea colatur, ac si tamen veritas aliqua sub nomine isto comprehenderetur, sæpius timetur & formidatur: nec de aliquo ita conqueri solitum, vel magis eventus aut tribulationes attribui, quàm fortunæ. Videamus ergò quid in hac materia nobis dicendum, si hæc fortuna verè sit, & si causa realis nostrorum malorum dici possit. Ut autem non videamur nos quoque casu aut fortunâ duci illamque inauditam condemnare; primò rationes ejus percipiamus.

Fortunæ consensu communi Dea.

5. Ab auctoritate igitur ejus exordientes, quis nescit quantus communis hominis consensus faciendus? hic non vulgaris, & humana vox, sed ipsius naturæ quæ omnibus communis est, videtur esse assensus. Quin imò vox Dei perhiberi potest, juxta commune proverbium; *Vox populi, vox Dei.* Aristoteles quoque in subtilissimis Philosophiæ quæstionibus magni illam facit. Si de gentilium auctoritate loquamur, ultra dicta adjungendum, non fuisse Deam vel potiùs dicamus diabolum, cui plura templa fabricata erant; Romæ decem obtinebat quæ variis titulis, & attributis inter se distincta erant. Fortunæ siquidem equestri unum, virili alterum, muliebri, primigeniæ, virginali,

privatæ, publicæ, bonæ, malæ, dubiæ, & exiguæ denique fortunæ templa erecta erant: judicantes teste Plutarcho, res grandes, & parvas, publicas & privatas, viriles, & muliebres, omnes denique & singulas à fortuna dependere.

Diversimodè depicta, & culta.

6. Nec nominibus quoque pauciores diversæque fuêre cęremoniæ & modi quibus hæc depicta, & culta erat, ut omnes ejus conditiones, & ritus exprimerentur. Ab aliquibus fingebatur cum cornucopia, id est, cornu pleno fructibus, & floribus, & cum gubernaculo quibus naves reguntur; ad demonstrandum agricolis nihil prodesse seminare terram, & frumenta serere, nisi à fortuna adjuti essent. Ut nautæ quoque scirent, quantumvis laborando, & remigando se nihil profecturos, nisi ab eo qui gubernaculum regit, directi essent. Ita nos quoque licèt omni conatu curemus negotia nostra ad bonum portum dirigere, totum frustra laboratum erit, nisi à fortuna prospera dirigamur.

Fortuna surda cæca, & instabilis mulier.

7. Alii non solùm formâ muliebri, verùm etiam cæcam pingebant, capite cælum tangente, surdis auribus, alatamque globo insistere. Ut mulier non solùm propter levitatem depicta erat, verùm etiam ob instabilitatem, & potentiam; sicut enim mulieres mundum non armis, aut fortitudine regunt, sed occultâ quadam vi, & virtute, ac suavi violentia, quâ corda rapiunt, & ad voluntatem suam disponunt. Sic fortuna, non aperta vi, nec armis, sed occultè voluntatem movendi & efficiendi ut ipsi quoque cooperentur, totum mundum gubernat. Cæca fingitur, quia sine respectu meritorum sua dona distribuit; vel etiam intellectum, & visum sapientioribus aufert. Capite cælum tangit, quia inferiora cuncta gubernat. Surda est, quia preces, aut lamentationes nihil apud ipsam proficiunt. Alas habet, quia instabilis est, licèt enim multi ipsam prosequantur, nullus tamen aut vix illam assecutus est. Globum rotundum pedibus calcat, sicut enim ille leviter attactus, se movet, & vertit; ita minima res sufficit ut quamvis magnam fortunam, evertat, & destruat. Licet quoq; Plutarchus asserat, quod depositis alis è volubili rota descendens, perpetuam sedem in Capitolio Romano fixerit; ita dixit, quia durabiles res Romanæ videbātur; si tamen longo tempore supervixisset, contrarium propriis oculis intuitus fuisset.

Velum expandens maris undis insistit.

8. Alii eam maris undis insistentem velumque supra caput expandentem finxerunt; nec bene resolvere possem, utrum per hoc significare vellent ipsam fluctuantibus hujus mundi varieta-

rietatibus, & opportunitatum ventis dominari; & suâ voluntate hæc omnia gubernare. Vel quia sublunarium rerum instabilitate ipsa quoque feratur, omnisque favoris, aut persecutionis ventus, ad evertendam sufficit. Fuerunt qui in alto monte omnibus ventorum turbinibus expositam finxerunt, in loco nempe ubi magis venti prævalent; vel quia in excellentibus personis per montes significatis, levitas, & inconstantia illius magis cognoscatur. Apud Scythas sine pedibus depicta videbatur, sed manibus, & pennis dotata; quasi numquam se firmare posset, sed manus & volatus illi pares essent, tribuere videlicet, & recedere. Ab his omnibus longissimè abesse videtur Apelles, à quo sedens depicta fuit, unde plurimi argumentabantur, illum putare fortunam jam quievisse; interrogatus tamen contrarium respondit, dixitque se illam sedentem depinxisse; *Quia numquam stetit*: numquam videlicet constans fuit. Aliqui ex vitro illam fingebant, cùm nil fragilius inveniatur, instabilitati tamen ejus non æquivalebat; cùm vitrum si à nullo tangatur, aut lædatur diu integrum permaneat: fortuna verò sine aliqua contradictione ex seipsa evanescit. Quidam lateri ejus parvulum adjungebant; Plutonem nempe divitiarum Deum, quasi hæ fortunæ sint proles, non verò virtutis, aut honoris præmia.

Apelles sedentem depinxit.

9. Ingeniosus fuit, qui equo insidentem depinxit, velocissimè currendo fatum sagittis insequentem, significans non solùm ut alii instabilitatem, & velocitatem de uno in alterum transeundo; verùm etiam fortunam ad domum nullius pedibus suis declinare: sed oportere illam particulari favoris equo, aut industriâ humanâ eò deferri. Sagittas illam habere indicabat, nec adeò cæcam esse, ut commune vulgus æstimat; quin sciret valde bene scopum collimare. Fatum autem insequentem ostendebat, cùm omninò à divina providentia dependeret.

Fortunæ equo velocissime insidens.

Nec illius inventio contemnenda; qui illi duas affinxit facies, sed inter se contrarias, unam albo alteram nigro colore obductam: quia per illam bona, per hanc mala intelligebat, cujus illa distributrix existit. Vel ut illam deceptricem exhiberet, sicut duarum facierum illos homines appellamus, qui aliud dicendo, aliud agendo duplices dicuntur. Pari modo fortuna agit, modò tibi bona omnia promittendo, faciem dealbatam monstrat: modò mala cuncta minando, & contraria inferendo, nigra facie subitò apparet. Dices has poëticas, & pictorum inventiones esse, quibus semper multa excogitare licuit somnia, juxta illud Horatii.

Cur duabus faciebus depicta?

Picto-

Horat. de art. Poetic.

Pictoribus atque Poëtis,
Qualibet audendi semper fuit æqua potestas.

Philosophi fortunam admittunt.

10. Sed ecce tibi veritatis amatores Philosophos adduco; inter quos principes fuerunt, Plato, & Aristoteles; amboque illam admiserunt, & definierunt licèt quoque hi Poetas impugnare solebant, in re tamen adeò certa, & clara, minimè ausi sunt, contradicere. Quid de Democrito, Anaxagora, & Epicuro summis æstimatis Philosophis referam? Qui ipsi non solùm gubernationem, verùm etiam mundi productionem, & dispositionem tribuebant; dicentes per varium atomorum concursum factum esse, & taliter conservari, & dependere omnia. Quid de Averroe, qui ignorans quomodo providentiam divinam cum fortuna reconciliaret, unam vel alteram negare statuit, & providentiam divinam quàm fortunam negare maluit. Dices, illi fortè se communi populo accommodare volebant, vel ut pusillamines se eò deduci sinebant, ut facillimè crederent hoc phantasma fortunæ existere.

Imperatores fortunam venerati.

11. Sed ecce adduco tibi, homines summè audaces, animosos, belligeros, & Imperatores. Julius Cæsar parvam naviculam incognitus ingressus, advertens nautas animo deficere, propter instantem tempestatem, animum adjecit dicens: non dubitate, Cæsar sum; Cæsarem vehis, & fortunam ejus. Successor ejus Augustus nepotibus suis ad bellum ituris, à Diis imprecari volebat fortitudinē Scipionis, benevolentiam Pompei, & propriam fortunam. Imperatores quoque sequentes tanti fortunam faciebant, ut effigiem ejus auro expressam, in cubiculis servarent; nec umquam inde levare sinebant; donec illis morientibus ab aulicis ad successorem deportaretur.

Statua fortunæ naves salvas adducit.

12. Si dicas nil mirum si illi fortunam coluerint, cùm gentiles essent; quin fide Christiana jam propagata, res miranda, & argumentum evidens in favorem fortunæ cessit. Zonara historicus refert in Constantinopoli navem fuisse æneam, in cujus medio statua fortunæ erat, à qua naves adjuvari se credebant, ut portum feliciter ingrederentur: experientia quoque idem probatum fuit; hac quippe statuâ dirutâ, vel divisâ in partes, nulla navis feliciter appellere potuit; ita ut denuò eam conficere coacti fuerint; in eodemq; remittere loco, quo facto feliciter ut ante naves appellere, & portum petere valuerunt. Dices vanas illas superstitiones fuisse, & reliquias gentilitatis. Sed in populo Hebræo idem accidisse indicabo, ille siquidem nec Junonem, nec Jovem, sed fortunam

nam venerabantur, teste Isaia
Isa. 65. 11. Propheta, dicente: *Qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam*: hunc locum explicans S. Jeronymus, dicit in singulis civitatibus, & præsertim Ægypto antiquam fuisse consuetudinem; quòd in ultimo mensis, & anni die mensam sternebant, omnibus cibis refertam, & vas dulci liquore plenum in ea ponebant, ut fertilitatem & abundantiam mensis vel anni sequentis augurarentur.

Iudæi fortunam colebant. 13. Dices hinc potiùs argumentum contra fortunam sumi, quandoquidem propterea à propheta redarguantur; unde Septuaginta Interpretes legunt;
Isai. 65. 11. *Qui paratis dæmoni mensam, & impletis fortunæ potionem.* Sed ecce alia multa loca apertè ipsi faventia; in veteri lege Deus multas castigationes & pœnas delinquentibus infligendas constituerat, voluit tamen illos advertere, si fortuna in illis locum habuerat, sic in libris Numeri legitur:
Num. 35. 22 *Quod si fortuitò*, quasi diceret, si per fortunam; *& absque odio, & inimicitiis quidquam horum fecerit*: si videlicet hominem occiderit; *liberabitur innocens ab ultoris manu*; Velles clariorem explicationem? Sapiens apertè illi favere videtur, & casum manifestum ejusdem exhibet. Quis enim umquam cursum velociorem alterius, fortunæ adscribet; & non potius majori levitati, & dexteritati in agendo? In prælio unum vincere, & alterum devictum cedere, cui adscribendum, nisi fortitudini, & valori excellentiori? *Scriptura sacra fortunæ favet.* Aliquem verò sua scire congregare, & rectè gubernare, cui debetur, nisi prudentiæ? Doctorem unum plus alio lucrari nónne doctrinæ, & industriæ attribuendum? Opera unius artificis magis aliis placere, dexteritati ejus nónne dicandum? Sed quid sacra scriptura de his sentit? Totum fortunæ attribuit: ita Sapientem audite: *Verti me ad aliud, & vidi nec velocium esse cursum, nec fortium bellum; nec sapientium panem, nec doctorum divitias; nec artificum gratiam*; quorum ergo erunt? *Sed tempus casumque in omnibus*: Quasi diceret, fortuna omnia suo tempore & modo distribuit. Eccles. 9. 11

14. Parum dixi, nec opera solùm humana; verùm etiam castigationes divinæ in sacra scriptura fortunæ attribuuntur. *Castigationes Dei fortunæ attribuuntur.* In libris Regum Deus castigationem & mortem Achab minatus fuerat. Sed quis horum executor? Casus; *Vir quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israel, inter pulmonem & stomachum.* 3. Reg. 22. 34. Quid ergò fortunæ & casu non tribuendum, si opera divina ipsi tribuantur? Dices fortè scripturam sacram in multis locis difficilem intellectu esse, multasque admittere expositiones, & unum

uno, alterum alio modo exponere, quæ fortunæ nullo modo favent. Quid ergò velles? Rationibus, aut experientiâ idem probari? Ecce rationes tibi adfero; quanta in hoc mundo fiunt, quæ alicui causæ attribui non possunt nisi soli fortunæ? Quod desperatus quispiam se trabi appendere vellet, ut vitam finiret; & mole corporis illam perfringeret, sicque thesaurus in ea absconditus appareret, quo dives effectus, non ampliùs mortem appeteret: quis causa istius fuit? An illi qui thesaurum posuerint? Ipsi tamen noluissent ab aliquo repertum fuisse? An qui eum reperit? Sed hic mortem quærebat, quid ergò illum hunc reperire fecit; nisi bona ejus fortuna?

Ratione fortuna probatur.

15. Philosophi causam alicujus rei invenire volentes, pulcherrimâ utuntur regulâ, & praxi; singula nimirum concurrentia separatim considerant, verâ siquidem causâ exhibitâ, sequetur effectus, licèt alia non adsint; & hac ablata, aliis præsentibus effectus nullo modo sequetur. v. g. multi simul vadunt cane sequente; scire non potes dum simul sunt quis canem illâ viâ incedere cogit. Pari modo si cognoscere cupias quis causa, & dominus sit prosperitatis, & adversitatis mundanæ? separa omnia quę illas tibi adferre possent; v. g. hic fodiendo thesaurum reperit, quam dices fuisse causam? Fossio illa? Alius tamen mille annis effodiet, nec reperiet quidquam. An instrumentum quo fodiebat? Illud tamẽ in manu alterius positum, illum ne vel minimum reperire efficiet. An industria fossoris? Si tamen aliàs ad thesauros effodiendos se accinget, frustra laborabit. Quid ergò hîc restat, nisi bona fortuna, quæ aliquem comitatur? Sive enim quis fodiat, sive non fodiat, vel hoc aut illo instrumento utatur, illâ comitante thesauros reperire, aut alio modo ditescere faciet. Si ad hoc intentum historias omnes pervolverimus, quot casus reperiemus quorum nulla causa assignari poterit, nisi sola fortuna, ut evidentius ergò hoc pateat, aliquot enarremus.

Qualiter causa cujusque rei inveniatur.

16. Caio Imperatore à militibus occiso, Claudius ejus nepos, vitæ insidias pertimescens, se abscondit; repertus à milite quodam humiliter eum rogare cœpit, ne eum neci traderet; at ille ut Imperatorem futurum salutavit, & pro tali ab omnibus receptus fuit, non minùs contra propriam expectationem, quàm etiam aliorum; non alio beneficio quàm fortunæ. Sed ecce aliud clarius exemplum; Phocas Constantinopolis Imperator, insignem contra Bulgaros victoriam obtinuerat, cùm lassus secedens ab equo descendit, at equus se solutum sentiens, ad stabulum accurrit, advertentes autem

Imperatores à fortuna constituti.

tem quidam equum Imperatoris solum currentem, argumentati sunt, Imperatorem occisum, perterriti omnes absq; ullo persequente fugam arripiunt, quod inimici videntes à tergo insequuntur, & ex victis, victores evaserunt. Sed quis illis hanc tribuit victoriam? Non alius, quàm casus, aut fortuna. David quoq; quomodo adamavit uxorem Uriæ? Casu superiorem domus partem ascenderat, ibique deambulans, vidit Bethsabee, ex adverso se lavantem, & statim amore ejus correptus fuit. Quæ causa fuit, quòd eo tempore ad deambulandum ascenderet, & mulier ex adverso staret? An Deus? Non, quia non est peccati auctor; an diabolus, non tantum efficere potest. Mala ergò ejus fortuna. Nullus denique reperiri poterit, qui à fortuna non recognoscet, multa bona accepta & mala perpessa. Unde meritò Plinius aiebat; *Toto mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omniumque vocibus fortuna invocatur, & una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & conviviis colitur, huic omnia feruntur accepta.* Quis igitur se communi opinioni opponere poterit?

Fortuna cuncta tribuit.

Plin. lib. 2. cap. 4.

Nulla fortuna Dea reperitur.

17. Dico tamen non unum solum sed plurimos se audere opponere; & in primis inter sapientiores M. Tullius Cicero, non minùs Philosophus, quàm Orator, optimè dixit: *Ignoratio rerum, atque causarum fortunæ nomen induxit*: & cũ ipso Poëta ait:

Nullum numen abest, si adsit prudentia, sed nos,
Te facimus fortuna Deam, cæloque locamus.

Quod verò magis refert est, omnes sanctos, & sacram scripturam, apertè contradicere. S. August. pulcherrimis rationibus vanitatem fortunæ probat, inter cætera inquit; quomodo Dea esse poterit, quæ nunc bona nunc mala dicitur? An Deus malus esse potest? vel dum mala dicitur, ex Dea fit diabolus, si tamen Dea est, quomodo non favet adorantibus, & observantibus? Si autem illis faveat, quomodo vocatur fortuna cæca respiciens preces, & merita? Si hoc non sufficiat, scriptura sacra multoties hanc impugnat, dum universa à Deo dependere ostendit. *Ego Dominus*, inquit per Isaiam, *faciens pacem, & creans malum*; quasi diceret, nulla est fortuna bona, aut mala, sed ita bonum, ac malum à me dependet. David quoque asserit: *Quoniam neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus, quoniam Deus judex est.* Quasi diceret, vertas te quocumque placuerit, non aliam boni, & mali causam reperies, quàm Deum justum judicem.

Isai. 45. 7.

Psal. 74. 7.

18. Si hoc quoque rationibus com-

Nullus effectus à fortuna.

comprobari cupis, ecce efficacissimas tibi adducam: in primis, effectus habens causam determinatam, non est casualis, aut fortuitus; nihil autem in mundo accidit, quod determinatam causam non habeat; nihil ergò fortunæ adscribendum. Omnium verò effectuum causam determinatam esse, probatur, quia videamus effectum quantumvis casualem semper tamen causam particularem habebit, quâ positâ necessariò sequetur. Exempli gratiâ, quid magis juxta opinionem communem à fortuna dependet, quàm thesaurum ab inopinatè fodiente reperiri? Hoc tamen causam determinatam habet, quoties enim aliquis fodiet ubi thesaurus latet illum reperiet. Ut autem rationem hanc fortiùs corroboremus, quis negare audebit, quòd si ille scivisset in campo quo fodiebat, thesaurum absconditum fuisse, non dicerent illum casu invenisse: sed nostrum scire mutátne statum, & naturam rerum? Certè, non, quia illud pendet ab objecto, & non objectum ab illo: si enim tu bonus sis, & ego te malum putem, non idcircò desines esse bonus, sed meum credere, falsum erit. Si quoque tu bonus sis, & ego te talem æstimo, tu tamen te mutes, & de bono fis malus, mea inscitia, aut scientia in hoc tibi non proderit; sed esse tuum efficiet scientiam

Scientia vel inscitia non facit casum.

meam falsam, ubi primò vera erat. Si ergò scivero aliquo in loco latere thesaurum, & fodiendo illum reperiam, non dicetur effectus ille casualis, aut fortunæ, nec igitur ignorando talis erit, cum à mea cognitione, vel ignorantia, naturæ rerum non dependeant.

Mundus nec à fortuna formatus, nec directus.

19. Si quoque à fortuna mundus gubernetur, ab eadem creatus erit, non siquidem credibile est Deum mundum creatum derelinquere voluisse, & in manus stolidæ, & insipientis, qualis fortuna describitur, illum tradere voluisse. Quæ enim mater filium insignem, & præcellentem, lactandum insensatæ nutrici tradere vellet? *Ego feci, & ego feram*; aiebat Deus populo Israel. Isa. 44.4. Philosophi autem gubernationem mundi fortunæ tribuentes, ut Democritus, Epicurus, & alii, pariter asserebant fortuitò, & casu, atomos concurrisse, indeque mundum formatum. Quis verò umquam stolidius quid percepit, aut magis risu dignum? Si advertens insignem librum litteris aureis scriptum, altissimis mysteriis plenum, & profundissimâ sapientiâ absque minimo errore refertum; quis tibi diceret, casu characteribus cadentibus, & litteris unitis formatum fuisse, & impressum; nónne supremam ejus inscitiam, & simplicitatem derideres? Si enim omni diligentia ab impressore,

&

& correctore adhibita, vix aliquis liber sine errore edi posset, quomodo casu litteræ cadentes, adeò perfectum, & insigne volumen, ac librum irreprehensibilem imprimere potuissent? nec unius anni infans, nec centum annorum vetula huic stoliditati fidem adhiberent.

Mundus insignis liber. 20. Quid autem mundus aliud quàm insignis liber est, de quo Isaias dicebat; *Complicabuntur sicut liber cæli*? (Isa. 34. 4.) An non maxima sapientia in illo contenta? *Cæli enarrant gloriam Dei,* aiebat Psaltes: (Psal. 18. 1.) *& opera manuum ejus annuntiat firmamentum*? An non divisus in varia folia, quæ diversæ sunt creaturæ seipsas continuò vertentes; quia, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*? (Ibid. 2.) An non characteres aurei resplendent; *Videbo cælos tuos, lunam, & stellas quæ tu fundasti*? (Psal. 8. 4.) An error aliquis aut imperfectio in eo reperiri potest; *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus*? (Psal. 110 2.) Et dices insigne hoc opus casu perfectum, ex atomis casualiter concurrentibus? ostendere possem, te usu rationis privatum, & casu ita loqui. (*Non casu perfectus.*) Quod si videres picturam opere musivo factam (exiguis nimirum diversi coloris lapillis simul compactam) & quis tibi diceret, lapillos illos casualiter ex alto decidendo, insignes illas figuras artificiosè composuisse, possésne risum tenere in stolida adeò responsione? Sed quæ excellentior pictura homine ad imaginem Dei facto? *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*? (Gen. 1. 26.) & credes illum ex atomis simul casu concurrentibus formatum?

Mundus non ex atomis casu confectus. 21. Si palatium reale altis columnis, ex porphido, variisque marmoribus fabricatum conspexeris, cubiculis magnificentissimis, & aulis amplissimis, omni commoditate, divitiis & ornatu instructis, diceretque tibi quispiam sine expensis, industriâ, aut architecto formatum, ex monte vicino magno terræmotu decidisse plurimos lapides, & casu hanc pulcherrimam fabricam erexisse; non te putares derisum, & fabulas ac somnia audire? Quomodo ergò dices hanc ingentem mundi machinam, in quo tantæ deliciæ, commoditates, & habitationes, hominibus accommodæ conspiciuntur, sine aliquo defectu aut inordinato modo, casu, ac fortuitò atomis concurrentibus formatum esse? Cessent hæ cunctæ fabulæ, somnia, & stultitiæ.

Cùm mundus non casu factus, nec casu gubernatus. 22. Si autem mundus casu formatus non sit, quomodo dicemus illum casu gubernatum? An minor sapientia in gubernatione, quàm in formatione requiritur? Unde, quæso, stationum varietas, quàm ab infinita sapientia derivatur, quæ tanto viventium beneficio, & mira-

bili ordine sibi invicem succedunt, succedentes contemplantur, & invicem communicantes, generationis, salutis, & vitæ cunctorum sunt causæ; unde elementorum discordia, inæqualibus viribus adeò æqualiter sibi contraposita, quòd licèt semper se mutuò oppugnent, numquam tamen se destruunt. Licèt quoque singula eorum modò vincant, modò occumbant, numquam tamen victor omninò triumphat, nec victus planè cedit; sed victus majori valore rursus insurgens, victor acriorem resistentiam in victo reperit. Sæpius quoque victor, & victus inter se coadunantur, & matrimonio inito, dignus partus utriusque exsurgit.

Animalia non fortunâ reguntur.

13. Quid de gubernatione animalium referam? An fortuna curam illorum gerit? Quis pullis Corvorum à patre, & matre derelictis, cibum providet? An à fortuna hirundines nidum formare didicerunt? Apésne ab ea mel conficere edoctæ? Et Aranea, tela contexere? An pecora amicum canem, ab inimico lupo discernere docuit? éstne fortuna quæ piscibus, & avibus cibum providet? Efficítne ut animalia debiliora, sagaciora, aut fœcundiora sint? An bombycibus sericum conficientibus moros crescere facit cujus folia necessarium ipsorum nutrimentum? Quis providet ne ulla illarum species deficiat? Si omnia hæc fortunæ sunt effectus, quis umquam prudentiorem & diligentiorem patrem familias conspexit? Quomodo ergò depingitur cæca & volubilis? Quomodo dicitur casualiter operari? Quomodo effectuum fortuitorum productrix putatur?

Nec humana solùm à fortuna reguntur?

24. Fortè dices illam in rebus humanis solummodo locum habere? Sed quid stolidius effutiri potest? Ergóne paternâ curâ fruentur animalia, & homines in prædam cæcæ fortunæ derelicti erunt? An pater cælestis vilissimorum animalium curam geret, & charissimorum filiorum obliviscetur? Ad quid curabit animalia, nisi propter hominum utilitatem? Nónne homo dominus mundi creatus? Nónne omnes creaturæ ipsius servitio destinatæ? Nónne solus inter omnia creata Deum cognoscit? Nónne pro cunctis solus Deo gratias agit? Nónne Deus ipsum tanto amore quæsivit, & sibi copulavit? Quomodo ergò dices aliarum rerum curam habere, non autem ipsius? Homo insuper occasio est, quòd Deus aliis universis rebus providet, cùm propter ipsum existant: fortè dices, quantum ad naturalia, Deum curare, non autem libero hominis arbitrio subjecta? Sed non advertis te hoc modo à gubernatione humana fortunam excludere? universa siquidem quæ

homini

homini accidunt, à causa naturali, vel libera dependent; fulgura, tempestates, pestilentiæ, fames, infirmitates, magna ex parte, aliaque id genus à causa naturali derivantur; bella autem, seditiones, traditiones, calumniæ, mortes, violentiæ, à causa libera: Quid ergò fortunæ restat? Nil aliud certè, quàm imaginariam suam revolvere rotam, & fabulosa vela vento expandere, absque ullo nocumento, vel auxilio.

Tribulatio non à fortuna causata.

25. De tribulatione verò in particulari illam dispensatricem non esse, nónne frequens tribulatio apertè probat? Philosophi dicunt, res casu evenientes rarissimas esse; etenim aliquem invenire thesaurum, fodiendo, rarum est; si enim ordinariè eveniret, non fortunæ aut casui adscriberetur. Sed quid magis nobis commune, quàm tribulatio? Quis illa non vexatur? Quinimò quæ dies aut hora, absque illa transigitur? Quomodo ergò effectum fortunæ, aut fortuiti casus appellabis? Dico insuper res prævisæ possúntne dici à fortuna provenire? Certè non, quod enim non in seipso prævidetur, in sua causa prævidetur; ut si ego prævidere hoc anno messem exiguam esse debere, oporteret me aliquam scire causam; vel magnam siccitatem, vel superabundantem pluviam, aut aliam similem. Quod autem causam habet determinatam, à fortuna non dependet; non ergò fortuitum illud dicendum, quod prædicitur, & prævidetur. Quoties tamen à Prophetis antiquis, à Christo redemptore, & sanctis omnibus gravissimæ, & inexpectatæ tribulationes prædictæ fuerunt? Nónne Noë diluvium universi prædixit? Nónne Joseph penuriam septem annorum sequentium manifestavit? Servitus Babylonica, nónne populo Hebræo à Jeremia, & aliis Prophetis prædicta? Nabuchodonosori nónne diversa regna, & desolationes eorum exhibita fuerunt? Nónne Balthasari Daniel captivitatem civitatis, & mortem prædixit? Destructio Jerosolymitanæ urbis, nónne à Salvatore diu ante defleta? nónne S. Paulus ab Agabo Propheta admonitus, illum Jerosolymis pati oportere? Totilę Gothorum regi nónne ante decennium S. Benedictus mortem prædixit? Persecutiones Arianorum, nónne à S. Antonio prævisæ? varii successus S. Ecclesiæ nónne à S. Joanne in Pathmos insula revelati fuerunt?

Tribulationes semper causam habent.

Nil à fortuna causari efficaciter probatur.

26. Sed quid Prophetias innumeras commemoro? Nónne videmus prudentes, & sagaces multos prævidere casus, & eventus? Nónne medici accidentia infirmitatum prædicunt? Agricolæ, Naucleri, Astrologi nónne sæpissime multa prædicunt?

Hæc

Hæc ergò dici non debent à fortuna dependere; si verò hæc non, nec alia similia multa, quæ non minùs quàm illa prędici poterant. Nónne insuper videtis, manifestam involvere contradictionem aliquid à fortuna causatum dicere? Hæc enim fortuna, vel est causa realis, vel non, si non, ergò nulla est, vel vox sine ullo fundamento est: si causa realis, & vera, ergò effectus non est fortuitus, quia determinatam habet causam à qua dependet. Hæc insuper fortuna vel esset causa libera, vel necessaria; si libera, ergò ex se determinata, non sine cognitione, & volitione, ad aliquem ergò finem, & non casu, quod est contra essentiam fortunæ. Si causa necessaria est, ergò ad unum effectum determinata, & hic ab illo sequens, & causatus, non erit casualis. Dices fortassis nec liberam, nec necessariam esse, sed contingentem; sed si talis est, ex seipsa determinari non poterit, sed ab altero determinanda erit. Ab altera igitur causa dependet, à qua determinabitur, sicque non fortuitò operabitur.

Quomodo fortuna effectum causare possit?

27. Dices forsan à Deo non determinatam esse, sed à casu, cùm Deus nostra non curet; cave talem blasphemiam Deo inferre; Deus siquidem qui summa sapientia est, nil fortuitò efficit. Magna est diversitas inter pictorem famosum, qui optimè penicillo uti novit, & inter eum qui casu illum movet sine ullo artificio. Ille si lineam ducit, rectam, æqualem, & insignem trahit, ita ut delectet intuentes; hic autem tortam, curvam, inæqualem, & imperfectam reddet. Ita Apelles se à Protogene cognosci fecit; lineam ducens ex omnibus partibus æqualem, perfectam, & subtilem, quam Protogenes considerans, argumentabatur illam non ab alio quàm ab insigni pictore duci potuisse, imò à famosissimo sui temporis pictore qui fuit Apelles effici illam debuisse. Sed qualia sunt Dei opera, & artificia? omnia directa, æqualia, & perfecta; & particulariter castigationes, ideò propheta regius ait: *Iustitiæ Domini rectæ*; licet quoque alicui curvæ videbantur, Deus tamen illos per Ezechielem reprehendit dicens; *Numquid via mea, non est æqua?* Sapiens quoque vias Domini, tribulationes nempe rectas vocat, de Jacob Patriarcha loquens ait: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*; explicans autem quales hæ viæ essent, dixit: *Honestavit illum in laboribus*; si ergò nos Deus affligendo ducit per vias rectas, dicamus hoc non casu, sed providentiâ Dei fieri. Non hoc meum argumentum est, sed Satraparum Philistiim; graviter hi percussi, & afflicti erant, dubitantes utrum hoc illis à fortuna, vel in pœnam quod

Perfectus pictor ex perfecta linea cognoscitur.

Dei opera omninò perfecta.

Psal. 18. 9.

Ezech. 18. 25.

Sap. 10. 10.

Ibid.

quod Arcam Dei retinuissent, accidisset. Quid effecerunt acceperunt duas vaccas juvenculas, inassuetas currum trahere, nec viarum expertes, ipsasque currũ, cui arcam Dei imposuerant, trahere permiserunt; dixeruntque, si hæ vaccæ rectâ viâ pergent, signum est hoc malum nobis à providentia divina infligi; si autem hinc, inde divagantes processerint, cognoscemus hoc
1.Reg.6.9. nobis à fortuna infligi. *Si*, inquiunt, *per viam finium suorum ascenderint contra Bethsames, ipse* (Deus nempe) *fecit nobis hoc malum grande. Sin minus, casu accidit.* Quid inde secutum? Inquit Scriptura; *Ibant autem in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethsames.* Concluserunt ergò, non à fortuna, aut casu hoc nobis malũ sed à vero Deo Israel provenire debuisse. Philistæi hi gentiles idololatræ erant, cognoverunt tamen Dei providentiam. Noli ergò tu Christiane pejor illis esse, dum vides per viam rectam Dei justitiam tendere; & Arcam Dei, Ecclesiam nempe per mille persecutiones, & pericula, feliciter transire. Omnia à potenti, & providenti manu Dei recognosce; & particulariter, Deus pauperes in hoc mundo constituisse, ut illis benefaciendo vitam æternam consequi possitis.

An fortuna sub aliquo titulo sit admittenda?

SECVNDA PARS.

28. Nullam in hoc mundo fortunam reperiri protut à gentilibus exhibitam, nec etiam ab omnibus illis, sed à communi plebe prædicatam, sole clarius est. Extra quippe fidem nostram id apertè docentem, efficacissimæ id probant rationes: sed numquid nos idcircò illam mundo interdicemus, fatebimurque esse nomen vanum & sine aliquo fundamento effictum? Hæc certè consequentia non rectè concludit, aliàs siquidem dicendum foret, nec Solem, nec Lunam, nec Stellas in mundo esse, cùm hæ à gentibus pro Diis honoratæ fuerint. Restat ergò videre, si non ut Dea, sub aliquo saltem titulo admitti possit, & cognosci ut causa ad tribulationes concurrens. Ad quod breviter respondeo, eo modo quo ab Aristotele aliisque prudentioribus Philosophis definita est, sine ullo periculo falsitatis aut erroris admitti posse.

Qualiter fortuna admittenda?

29. Quid ergò est fortuna juxta Aristotelem? Non aliud quàm concursus per accidens, plurium causarum ad effectum ab homine non prævisum producendum. v.g. fodiendo invenis thesaurum, duæ ad hoc causæ concurrunt; prima fuit absconsio illius; secunda, est fossio tua. Ut autem inventio hujus thesauri sit casualis, hæc non sufficiunt; si enim sciens thesaurum ibi absconditum, de industria foderis ut illum reperires; vocabitur

bitur hic non fortunæ, sed industriæ tuæ effectus; si verò nil sciens ibi foderis, & non scienter sed per accidens effoderis thesaurum, tunc effectus ille dicetur fuisse casualis sive fortunæ, duarum nempe causarum accidentaliter concurrentium. Hinc Aristoteles dixit; *Ubi plurimum est ingenii, ibi minimum est fortunæ*; non quòd ingeniosi minus sint felices, ut plurimi arbitrantur; sed excellens ingenium plurima prævidet, & bono ingenio præditus, magnâ prudentiâ procedit. Unde exigua sunt, & pauca numero, quæ non prævidet, aut præconcipiat; ideoque respectu ejus, pauca sunt casualia, & fortuita. Quia verò Deus universa & singula prævidet, & disponit, apud ipsum non est casus aut fortuna.

Quæ differentia inter casum & fortunam?

30. Si verò me interroges quæ sit differentia, inter casum & fortunam; respondeo juxta Aristotelem; casum complecti omnem concursum accidentalem, duarum causarum, fortunam verò illum solummodo complecti, qui pertinet ad homines. Si ergò equo plateam transeunti incideret lapis, & graviter læderet, diceretur casus; si verò homini id accidisset, vocaretur fortuna. Hoc modo ergò dici potest tribulationes sæpè à casu, & fortuna accidere respectu nostri, licèt non respectu Dei, cui omnis fortuna, & casus cognitus. Non solùm ergò stultitia, & hæresis est, fortunam agnoscere causam nostrorũ malorum, prout gentiles illam agnoscebant; verùm etiam de casu & fortuna sua, dolere, & conqueri, prout Philosophi agebant, & multi Christiani hodie faciunt. Nónne insipiens diceretur, qui figulum videret magnam volvendo rotam varia formare vasa in honorem, & contumeliam, parva, & magna, & culparet rotam, vel laudaret, pro tali dedecore, aut honore? Certè ita; rota quippe instrumentum est volubile, prout figulus desiderat, & concurrere debet ad formationem vasorum, prout dirigitur. Pariter fortuna propter volubilitatem suam cum rota depicta; Quid creditis illam esse instrumentum Dei ad ipsius nutum volubile, insipiens autem est qui ab ipsa, & non à Deo humanarum rerum vicissitudinem provenire agnoscit. Insipientiâ hac parumper Hebræi præditi erant, ideò Deus ut illos doceret, & eriperet, dixit quadam die Jeremiæ Prophetæ; *Descende in domum figuli: ibi audies verba mea?* sed nónne meliùs illi in templo loquereris, vel in solitudine, vel in domo alicujus Sacerdotis, aut alterius particularis personæ? Non, inquit Deus, in domo figuli me loqui oportet. Vadit Jeremias, & invenit rectè figulum volventem rotam, & formantem

Stultum est fortunam admittere.

Jerem. 18. 2.

tem

tem vas testaceum. Quid autem Deus Prophetæ ait: vides Jeremia quid figulus agat? *Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea.* Non à fortuna ergò aut casu provenit, quidquid nobis evenit; sed de manu omnipotentis Dei, quia sicut figulus ex luto format quod vult, ita Deus quoque.

Ibid. 6.

In vita, & morte, bona, & mala consistunt.

31. Qui sibi claves cubiculi alicujus reservat, ostendit se curam illarum rerum habere, quæ in eo asservantur, illasque distribuere, quibus placet. Omnia bona, & mala, omnes prosperitates & adversitates, in duobus cubiculis detinentur; Bonorum cubiculum vita vocatur, malorum verò mors. In his, inquam, omnia continentur, qui enim mortem asserit, omnes tribulationes comprehendit; ideò primis parentibus non aliud quàm mors inflicta fuit; *In quocumque die comederis, morte morieris:* omnibus tamen calamitatibus & miseriis subjecti fuerunt. Qui autem vitam profert, omnes voluptates, & delitias intendit: qui enim non contentus vivit, non verè potest dici vivere, sed sustinere vitam. Hinc Propheta David aiebat: *Quis est homo qui vult vitam? diligit dies videre bonos:* qui nimirum vivit felix dicendus est. Salvator quoque juveni cuidam ait: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Si velis esse felix observa mandata. De duobus his cubiculis quis claves retinet? An fortuna? Nequaquã; sed Deus, quia ut sapiens mulier aiebat: *Dominus mortificat & vivificat.* David quoque Prophera ait: *Domini, Domini exitus mortis;* à Domino nempe est introitus, & exitus mortis, vivere, nempe & mori. S. Joanni Apostolo apparens dixit: *Fui mortuus, & ecce sum vivens, & habeo claves mortis, & inferni:* & consequenter vitæ, & cælorum: quia juxta axioma Philosophorum, *Contrariorum eadem est ratio.*

Gen. 2, 17.

Psal. 33, 13.

Matt. 19. 17.

1. Reg. 2. 6.

Psal. 67, 21.

Apoc. 1. 18.

Cur Christus claves mortis, & inferni gerat.

32. Sed cur non dixit potiùs se habere claves cæli, & vitæ, quod nobilius officium, quàm mortis, & inferni? ut fortè demonstraret, se illas S. Petro tradidisse juxta promissionem; *Tibi dabo claves regni cælorum.* Vel quia cubiculorum clausorum claves defert, non verò apertorum: aperuerat siquidem portas cæli, & vitæ, ut unusquisque introire posset, ideoque non opus erat secùm claves deferre: sed illas solùm mortis & inferni: quas ante apertas clauserat. Conformius tamen meo proposito puto ego, ipsum clavium inferni, & mortis specialem fecisse mentionem, quia venerat tribulationes infligere, & minas intentare, ideoque cum clavibus mortis, & inferni, ubi hæ pœnæ conservabantur, apparet.

Matt. 16, 19

Deus rigore, & benignitate regit.

33 Taliter Zachariæ Prophetæ apparuit, sed cum duabus cla-

clavibus in similitudine virga-
Zach.11.7. rum, unde dixit: *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, alteram vocavi funiculum, & pavi gregem meum.* Volo, inquit Deus, officium pastoris in populo meo exequi; ad hunc quippe finem providi mihi duas virgas; *Unam vocavi decorem, alteram funiculum;* duobus nempe modis intendo gubernationem instituere, benignitate, & rigore: illam vocavi decorem; hunc funiculum. Illâ ad pinguia prata, consolatione abundantia conduco populum; hac verò in sepe tribulationis includo, & in stabulo stringo. Nec sine mysterio prima vocatur decor, sicut enim pulchra libenter apparent, & diliguntur, ita Deus libenter dulcedine & consolatione nobiscum agit. Aliam vocavit funiculum; sicut enim ille ex multis componitur filis; nec ab uno solo ad perfectionem reducitur, sed à duobus; quorum unus à manu dextera illum voluit; alius à manu sinistra, unde sequitur, ut quidam ait: *Idem per diversa;* ita multa peccata concurrere solent, ad inducendum Deum ad castigationem. Hic autem funiculus numquam efficeretur, nisi homo adjuvaret hunc funiculum contorquere, in contrarium quàm vult Deus; sic ergò Deus uno & altero modo procurat homines ad se vocare. Quia insuper nulla major vis corda ad se trahendi, quàm pulchritudo in corporibus quæ ut funis est: ideò decorem, & funiculum vocavit has suas virgas.

Qualiter Deus nos funiculo trahit?

Fortuna gentilium figmentum.

34. Quid verò dicitis vos omnes qui hoc modo putabatis felices evadere, quia fortunam defendebatis? An à veteribus ut Dea adorata erat? sed non scitis quid cæcis eveniat, qui unam rem quærentes, aliam apprehendunt, & credentes se hominem stringere, arborem complectuntur? Cæci erant gentiles, & palpando Deos quærebant; ut ait Apostolus: *Quærere Deum, si fortè attrectent eum:* quid ergò mirum Act.17.27. si inter cæteros errores, hunc quoque admittebant, adorantes fortunam ut Deam? Vel dicamus artificiosè gentiles hoc nomen invenisse, ut homines se afflictos conspicientes, non prorumperent contra Deum in blasphemias, vel maledictiones contra homines; sed omnem indignationem contra vanum illud figmentum, fortunam, inquam, effunderent; eo modo quo cani mordere volenti, os quoddam objicitur, ut in eo dentes immittens, & se occupans furorem suum coërceat, nosque liberos dimittat. Quid dicitis variè illam fuisse depictam? Hinc colligendum vanum quid fuisse, & fictum, cùm unicuique licebat suo modo figurare. Quid dicitis Philosophos illam approbasse? verum est, sed non eò modo

quo

quo vulgus eam intelligit; sed quo nos; vel si aliter eam exposuerint, ad communem loquendi modum se accommodantes, hoc egerunt.

Non fortunæ sed Dei providentiæ cuncta tribuenda.

35. An experientiis vos confirmare creditis? Sed hæ nihil vobis prosunt, effectus siquidem divinæ providentiæ sunt, quos vos casui aut fortunæ assignatis. In aliquibus quoque fortuna partem habere potuit, ut in statua illa, à Zonara relata, Deo sic permittente diabolum efficere. Creditis sacram scripturam vobis favere? Decepti estis, cùm illa ubique fortunæ adoratores reprehendat; si autem de fortuna aut casu loquatur, respectu nostri id est intelligendum, non verò respectu Dei. Videtúrne vobis plurimos effectus alię causæ attribui non posse, nisi fortunæ? aberratis; quid enim magis fortuitum, quàm sors? Hæc tamen à Deo ordinatur ut Sapiens clarè testatur dicens: *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* De hoc ergò certissimi esse debemus, omnia à Deo disponi & ordinari, juxta divinum suum beneplacitum, nec aliquid nos fortunæ, aut casui adscribere debere cùm hoc vanum sit & Christiano indignum, utpote qui à Deo in omnibus & singulis dependet & regitur. Colligamus modò documenta utilia juxta morem.

Prov. 16, 33

36. Primum ergò documentum magnæ consolationis debet esse afflictis, quòd non debeant à cæca Deitate dependere in actionibus suis; quæ non percipit & considerat necessitates eorum, nec à surda, non audiente illorum preces & gemitus; sed à sapientissimo & prudentissimo Deo, qui omnes perquirit, & investigat occasiones quibus ipsis prodesse, & benefacere possit. Nunc ut filios respicit; *Filius honorabilis mihi Ephraim*; nunc ut filias majori custodiâ dignas; *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam*; nunc ut sorores; *Aperi mihi soror mea.* Modò officium patris exercet; *Ego ero illi in patrem*; modò matris; *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos*; modò tutoris; *Ego quasi nutricius Ephraim*: modò nutricis; *Ad ubera portabimini; super genua blandientur vobis*; modò in manibus defert; *In manibus meis descripsi te*; modò in humeris; *Assumpsit eum, atque portavit in humeris suis*; modò supra caput; *Eris corona gloriæ, in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui*: modò in oculis: *Circumduxit eum & docuit, & custodivit quasi pupillam oculi sui*: semper quoque in corde nos retinet: sicut summus Sacerdos Hebræorum, in pectore suo nomina duodecim filiorum Israel in lapidibus pretiosis sculpta portabat.

Nobis lætandum quia à Deo, non à fortuna regimur.

Jerem. 31. 20.
Psal. 44. 11.
Cant. 5. 2.
2 Reg. 7. 14
Isa. 66. 13.
Osee 11. 3.
Isa. 66. 12.
Isa. 49. 16.
Deut. 32. 11
Isa. 32. 3.
Deut. 32. 10

Totaliter in manus Dei nos resignare debemus.

37. Cùm ergò amabilem adeò, & benignum habeamus dominum;

minum; quomodo non totaliter nosipsos in manibus ejus resignabimus? Quomodo non omnes cogitationes, curas, & tribulationes nostras illi adscribemus? Cujus causa, in manibus benignissimi judicis est, magnam habet fiduciam, & consolationem expectat. Quem judicem amabiliorem, magisque benevolum Deo nostro habere poterimus? De hoc se consolabatur Propheta David lætusque dice-

Psal. 30. 16. bat: *In manibus tuis sortes meæ*: in manibus tuis Domine, non in manibus fortunæ cæcæ, omnia mea disposita sunt, idque sufficit mihi ut securè quiescam. Cùm Alcibiades à civibus suis Atheniensibus in judicium vocatus esset, ire noluit; & quodam ei dicente, ergóne Alcibiades patriæ tuæ non fidis? Respondit; ubi de vita agitur, nec matri meæ fiderem; quid enim scio si quis fortè volens globulum candidum in vase ponere, ut me absolveret, erraret, nigrumque incautè poneret, meque damnaret? In Deo autem hoc periculum esse non potest, quia non tantum sui globuli Dominus est; verùm etiam aliorum, quos juxta voluntatem suam dirigit, te-

Prov. 16. 33 ste Sapiente: *Sortes mittuntur in sinum, & à Domino temperantur.* Hoc rectè intellexit Propheta Job, qui in summa sua calami-

Job 1. 21. tate dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit ita factum est.*

Nihil firmum aut stabile hîc reperitur.

38. Nolo tamen nos illud relinquere documentum, quod ex inconstantia, & instabilitate fortunæ morales Philosophi colligere solent; quantumvis enim nos omnia à manu Dei, & divina ejus providentia provenire cognoscamus; quia tamen se naturis rerum accommodat, ac omnia sublunaria instabilitati, & vicissitudini subjecta sint; hinc nihil firmum aut stabile reperiri potest, sed omnia à fortunæ rota quasi agitata, in perpetuo motu sunt. Quid ergo ex hoc colligitur? non debere nos in prosperitate nimiùm extolli, aut securitatem capere; nec in adversitate nimiùm dejici; in illo considerando, quantò altiori fortunæ gradu erigimur, tantò viciniores ruinæ esse, quotidieque illam timendo avertere: in hoc autem eadem volvente rotâ, nos citò posse cum illa evehi, & ad statum meliorem reduci. Hinc optimè gentilis aiebat.

Nec in prosperitate lætandum, nec adversitate dolendum.

Nemo confidat nimiùm secundis;
Nemo desperet meliora lapsis.

Ad hunc finem rectè ait S. Gregor. Nazianzenus; *Deus ita res temporales disposuit; ne adversitas solatio, vel prosperitas fræno careat.* Ex hac consideratione persona quædam insignis ad magnas calamitates redacta, se maximè consolabatur.

Insigne exemplum rerum humanarum.

39. Ut magis igitur hanc doctrinam consolationis in adversis cordi imprimamus, adducam vobis

vobis exemplum vivum Ægyptiorum regis Sesostri qui multorum regum victor, non ei sufficiebat, regno eos privare, & libertatem adimere, sed Barbarico fastu, quatuor ex illis currum suum trahere curabat. Hoc modo die quadam per civitatem invectus, advertit unum ex quatuor regibus continuò caput reflectere, & rotam contiguam aspicere; unde curiositate actus scire voluit, cur sapiens ille Rex continuò rotam inspiceret, at ille respondit: in tanta sua calamitate rotam illam consolationi sibi esse. Tantò majori ergò curiositate incensus, Sesostrus Rex, omninò scire voluit, quid mysterii in eo lateret, de quo sibi complaceret; qui respondit intueor, quomodo in rota illa, citò mutantur omnes partes, altiores infra descendunt, & inferiores ascendunt supra: quod mihi imaginem rerum mundanarum exhibet, considerans sicut ego ex summitate rotæ ad inferiores partes descendi, sic contingere posset, ut die quadam ex inferiori ad summitatem ascenderem. Placuit hæc inventio Sesostro, & instabilitatem rerum humanarum recognoscens, Regem illum solvere jussit, & imposterum mitiùs cum illis processit; ac in prosperitate sua non adeò arroganter se extulit.

1. Cor. 7. 29. 40. Idem nos Apostolus docet, dicens: *Reliquum est, fratres, ut qui flent, tamquam non flentes sint; & qui gaudent tamquam non gaudentes*; Quare hoc? *Præterit enim figura hujus mundi.* Cur non dicit præterit mundus, sed figura mundi? An quia nullam habet mundus substantiam, sed figuram tantùm, & apparentiam? Rectè quidem; sed fortè quoque ad figuram circularem respexit, quasi diceret; nonne videtis, mundanam hanc figuram instar globi rotundam, vel ut rotam nullam habere stabilitatem. Sed in momento volvi, & transire? non ergò affectus noster in eo ponendus; sed ita lætari, absque ullo affectu, & dolere sine doloris perceptione. Hinc Solon Regi Crœso respondit, nullum beatum in vita vocandum, quia fortunæ casibus, nimiùm vita exposita. Dictum hoc cùm illi in prosperitate nil profuisset, in majori calamitate illi vitam servavit. Cùm enim ex ordinatione Cyri Regis eminenti lignorum strui impositus jaceret, ut vivus cremaretur; altâ voce exclamavit, ô Solon, Solon, nunc cognosco te mihi verum dixisse; volensque Cyrus intelligere quid hoc esset; sententiâ Solonis perceptâ, obtentâ victoriâ benigniùs uti voluit; solvensq; Crœsum, & à morte liberans, honoratiori loco secum semper conservabat.

Non in hoc mundo lætandum aut fidendum.

41. Nonne stultus arbitraretur, qui insuperbiret, dum se regem

Mundana dignitates somnia.

gem esse,& coronam capite gerere somniasset? Sed mundanæ excellentię quid aliud sunt quàm somnia? quinimò non diu continuata sed brevissima in momento transeuntia? Optimè de
Psal.72.20. illis Psalmista ait: *Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem illorum ad nihilum rediges.* Ut somnium, inquit, è lecto surgentium; nónne melius diceret, ut somnium in lecto dormientium? Post dormitionem surgunt homines, & non dormiendo, aut somniando; ideoque ut de re impossibili S. Pau-
Ad Ephes. 5.14. lus aiebat: *Surge qui dormis*; finias nempe somnum, & surge. Verum est ordinariè sic contingere, quandoque tamen accidit, ut quidam surgentes parum obdormiant, & oculos claudentes, dum se vestiunt, paulisper dormitent, statim verò ad se denuò revertuntur. Ex istis ergò somnis exiguis, sunt mundanæ deliciæ, & excellentiæ, ideoque stolidissimus qui in se confidit, & exaltatur.

Deo gratiæ pro beneficiis reddendæ.

42. Pro ultimo documento addiscemus immensas Deo gratias referre, pro tantis beneficiis, & favoribus ab ipso receptis. Si enim gentiles Diis suis adeò grati existebant, & fortunam ipsis adeò beneficam fuisse Deam putabant, ut tot templa ipsi extruerent, & tot sacrificiis honorarent, ita ut pro exiguis rebus obtentis altaria ipsi extruerent, parvamque fortunam appellarent; nónne conveniens erit ut idem Deo nostro præstemus, à quo quotidie tot dona, & beneficia ingentia consequimur? Gentes Numini quod sibi favere putabant casu, & fortuitò, nec stabilitatem umquam in favore conservabat, fuisseťque non minus malorum quàm bonorum occasio, tanta exhibebant. Quantò magis Deo nostro grati esse debemus, qui summâ prudentiâ, & benignitate nobis tot dona, & gratias exhibet nec umquam beneficiis lassatur, nec ullum infert malum, nisi ad majus nostrum bonum.

Beneficia ut sal recipi debent.

43. Magna est differentia inter sal, & cibum, minima pars salis sufficit, ut os nostrum inficiat, & cibos condiat: cibus verò in magna quantitate esse debet ut nos satiet. Beneficium quomodo recipiendum? Non ut cibus, qui dum palatum, & guttur transivit nil saporis relinquit, sed ut sal, ita ut de minimo beneficio exhibito, grata nobis restet memoria; & affectus noster sitibundus remanere debet, ut benefactoris sui recordetur. Tales aliqui erant, qui ut gratum animum, erga Artaxerxem regem exhiberent; scribebant:
Nos autem memores salis, quod in 1. Esdræ 4. 14.
Palatio comedimus. Cur non dixerunt, *memores panis*, vel vini quod bibimus? Quis umquam audivit, sal comedi? Totum quod in

Palatio

palatio regio comederant, videbatur sal, quia illis palatum infecerat, & gratam memoriam reliquerat beneficiorum receptorum unde sitibundi gratam memoriam exhibebant. Quia insuper gratitudo nova parturit beneficia; notandum quàm liberalem, & benignum se Artaxerxes Esdrę exhibuerit & sociis, in tribuendo sale; aliis quippe rebus mensuram apponens, sal absque mensura tribuit, sic enim scribit Esdræ: *Frumenti coros centum, vini batos centum; sal absque mensura.* Quasi diceret, quantumvis sal reputetur sterile ab aliis, video tamen in animis illorum adeò fœcundum, & tantos producere fructus gratitudinis, & benevolentiæ, ut non opus sit terminum ponere in tribuendo, sed tantum tribuatur, quantum capacitas exigit.

1. Esdræ. 7. 22.

Ignis cuncta consumit cineribus exceptis.

44. Nos verò quomodo cum Deo agimus? Ingratitudine, cùm bonitate ejus contendimus. Magnum quid videtur, quod nihil igni resistat, nisi quod ab eo fortè producitur, & continuò cum illo vivit. Scitis quale sit? Cinis, hic ab igne producitur, non enim cinis reperiretur, nisi ignis ligna in cinerem redigeret: & cum igne semper manens; numquam tamen accenditur. Lapides ignescunt, metalla liquescunt, carbones accenduntur, omnia alia igni cedunt, cinis tantum illi resistit; nec se inflammando, paulatim consumitur. Tales dicite nos esse, & omnes erga Deum ingratos. Divinus amor ignis est beneficia ab ipso continuò recepta, dici possunt undiq; igne cincta: *In medio lapidum ignitorum ambulasti:* sed cùm ingrati sumus, ut cinis manemus, nec amore ejus accendimur. Ut lapides sunt obstinati, quandoque tamen igne amoris liquefiunt. Ut fumus sunt superbi, ab hoc tamen igne sæpe inflammantur; in metalla quæ amant, convertuntur avari, hoc igne tamen emolliuntur. Sed ingratus beneficiis divinis continuò cinctus, ut cinis pejor evadit. Hunc quoque titulum cineris Sapiens ingratis dedit dicens: *Cinis est enim cor ejus, quoniā ignoravit qui se finxit.* Cur cinis? quia factorem suum ignoravit. Seneca inquit, beneficia non cognoscere, maxima ingratitudo; eandem ingratitudinem respexit Isaias Propheta dicens: *Et erunt populi quasi de incendio cinis.* Confundamur ergò nos gentilibus pejores esse, imò ipsis animalibus & rebus creatis, ut facillimè probare possem, si tempus permitteret. Deo omnia beneficia accepta referamus, ipsi gratias pro bonis omnibus exhibentes; ab ipso remedia contra mala nos affligentia requiramus; spem nostram in ipso reponamus, ab ipso expectemus quod nobis deest, non enim vana erit spes nostra, nec inefficaces preces nostræ, prout erant gentilium, quas fabulosis Diis offerebant, fortunæ & aliis; sicque salui erimus in perpetuum. Amen.

Nos omnes ut cineres sumus.

Ezech. 28 14.

Sap. 15. 10.

Isa. 33. 12.

DISCVRSVS XXII.

An tribulatio nostra à corporibus cælestibus derivetur; res futuræ non curiosè investigandæ; sed in Deo confidendum, & ad ipsum in tribulatione recurrendum.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Cælum pulchritudine, & admirabili dispositione cunctos rapit. num. 1. 2.

Tribulationes nostras ab astris provenire probare conatur. à num. 3. usque ad 12.

Id tamen falsum esse verificatur. à num. 13. usque ad 19.

Futura libera nec diabolus, nec ullus hominum prædicere potest. à num. 20. usque ad 29.

Argumentis contrariis respondetur. à num. 30. usque ad 38.

Futura non curiosè indaganda. nu. 39. 40. 41.

Lætandum quia Deus in tribulatione se benignum exhibet. nu. 42.

Cælum pulchritudine admirandum.

1. Dmirando sanè modo pulchritudine, excellentiâ, & varietate suâ, intuentium oculos rapiunt, corpora cælestia: & quasi tot linguis quot stellis fulgentia; tot sermonibus, quot motibus aguntur; totque argumentis, quot influentiis sunt prædita; juxta encomium Prophetæ regii; *Cæli enarrant gloriam Dei.* Nobis potentiam pulchritudinem, & sapientiam factoris eorum annunciant, & prædicant. Nónne illa fixè intuentibus, videtur regalis quædam aula, fulgentibus ornata gemmis, & saphyris pretiosis undique contexta? vel magnificum theatrũ cujus cortinæ, hyacinthinæ, splendentibus facibus universa illustrant? Vel ditissimum Ærarium, in quo gemmæ pretiosissimæ, & aurum fulgidissimum splendet: vel jucundissimum pratum cæleste, quod primo vere tot interlucentibus smaragdis, quasi tot aureis floribus effulget? Vel instrumentum musicum cælestis Orphei, cui cælum cithara, & orbes cælestes cordæ, suavi motu personant. O theatrum gloriosum, ubi dulci sono concentu cælestium orbium, nunc sol decurrens, nunc luna se volvens, nunc se intermiscentes stellæ, quasi tot cælestibus choreis mundo spectabiles se exhibent: vel denique exercitus insigni ordine dispositus; in

in quo ſupremus dux ſol, duces inferiores planetæ, directores luna, & ſtellæ, tentoria orbes, vexilla duodecim zodiaci ſigna, conductores Angeli, auro argentoque ut milites armati ſtellæ. Idcircò rectè inquit liber Geneſis; *Perfecti ſunt cæli, & omnis ornatus eorum*: textus Hebræus propoſito noſtro congruentiùs habet: *Et omnis exercitus eorum*.

Gen. 2.1.

Quæ ſubſtantia, & natura cælorum?

2. Quòd ſi oculo intellectus noſtri altiùs eſſentiam, & ſubſtantiam illorum perſcrutemur, quàm mirabilia reperiemus? vel quod ſint corpora ſimplicia, ſine materiæ & formæ compoſitione, ut placet Averroi: vel materiâ & formâ compoſita, ſed nobiliſſimâ, & inſeparabili; ab alia quoque ſublunari materia eſſentialiter, aut ad minus per diſpoſitionem accidentaliter diverſa. Pro forma nobiliſſimam habent intelligentiam Angelum nuncupatam, qui motu ritè diſpoſito, illa pulcherrimo modo revolvit. Cælum quoque in varia diſtinctum climata, variaſque zonas, & plurimos circulos, minores & majores, quidam obliqui ut Zodiacus, alii recti, ut tropici; poli ſunt firmi, & ſtabiles; diverſæ inſuper figuræ, mirabiles influentiæ, aſpectuum varietates, interpoſitiones corporum, obſcurationes luminum; aliaque innumera mirabilia, & diſpoſitiones extraneæ. ô quàm inſolitum oculis humanis objectum, & quàm delectabile illud contemplantibus, & elevatâ mēte intuentibus.

Varii Philoſophorum errores.

3. Verum quidem eſt homines ingratos, loco quod factorem ſuum laudarent, & tantam bonitatem admirantes variis encomiis extollerent, falſiſſima inde traxerunt documenta, & ex cibo ſuaviſſimo, & dulciſſimo, qui ad ſalutem eis prodeſſe debuiſſet, venenum peſtiferum hauſerunt. Alii cælum æternum dixerunt abſque ullo principio, & fine, ut Ariſtoteles ejuſque ſequaces. Alii principium habuiſſe, ſed fine cariturum, ut Plato. Alii multoties generatum, & corruptum ut Stoici. Alii caſu factum ut Democritus, & Epicurus. Alii illud ut ſupremum patrem, & Deum omnium adorabant, ut Gentiles. Alii ab ipſo fatum cognoſcebant, neceſſitatem nempe omnium rerum futurarum: illi non homines ſolum ſed Deos ſubjectos affirmabant; illud de ſublunaribus omnibus pro libitu diſponere; ab eoque omnem operationem, & motum dependere, non tantùm corporum, verùm etiam animorum noſtrorum, illi tamen errores cum tēmpore perierunt. Quod autem hodie in mentibus hominum viget, eſt, quòd licèt ab ipſo non dependeant actus noſtri interni voluntatis, & intellectus, cùm ſint potentiæ ſpirituales; ab ipſo tamen omnia

An mala noſtra à ſtellis deriventur?

bona & mala, quæ à natura, & fortuna dicuntur evenire derivantur. Hinc nativitates conscribuntur; ſigna aſcendentia & deſcendentia notantur; aſpectus ſtellarum, & planetarum obſervantur; ut inde judicium formari poſſit, quid alicui in toto vitæ ſuæ decurſu, accidere queat. Cùm ergò nos inquiſitionem omnium cauſarum tribulationis noſtræ inſtituerimus, non hæc omittenda. Hoc igitur præſenti diſcurſu diſſeremus, quid de opinionibus Aſtrologorum judiciariorum dicendum ſit: & ſi ſtellæ, ac corpora cæleſtia inter cauſas noſtrarum miſeriarum cognoſci debeant, aut ad minus ut certa & infallibilia earũ ſigna.

Aſtra tribulationes noſtras cauſare videntur.

4. Infallibilia igitur ſigna eſſe, negari non poſſe videtur: commune quippe Philoſophorum eſt axioma, primam cauſam, nempe Deum, per cauſas ſecundas operari, quæ ſunt creaturæ. Non quòd illis indigeat, ut artifex inſtrumento, ſed ut eas honore afficiat, & potentiam ſuam clariorem reddat; non ſolùm etenim virtutem habet operandi quidquid voluntati ſuæ placuerit; verùm hanc poteſtatem alteri delegare poterit. Ita in creatione mundi dixit: *Producat terra animam viventem.* (Gen. 1. 24.) Sed inter cauſas quæ principaliores, & quibus plus utitur Deus? Reſpectu animarum quæ ſpirituales ſunt, eſt Angelorum miniſterium: qui ſunt ſpiritus, de quibus dixit Apoſtolus; *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* (ad Hebr. 1. 14.) Reſpectu autem corporum noſtrorum, ſunt cæli, qui nobiliores, majores, & efficaciores ſunt. Ex ipſis ergò quidquid boni, aut mali habemus deſcendit. Quod experientiâ clariſſimè patet, ſtationes quippe totius anni, ver, æſtas, autumnus, hiems, à quo niſi à cælo dependent? Generationis & corruptionis rerum, quæ cauſa eſt niſi Zodiacus in cælo inquit Ariſtoteles? Tempeſtates maris, diverſitates temporum, pluviæ, grandines, ſterilitates, abundantiæ, unde procedunt niſi à cælis? Dices in naturalibus, & neceſſariis hoc verum eſſe, non tamen in humanis, & liberis, multò minus in ſupernaturalibus, & iis quæ Deus quandoque liberaliter diſtribuit: imò de his quoque cauſa eſſe poteſt. Quid enim immediatius inter Deum, & animam agitur, quàm oratio, & gratia quæ per illam impetratur? & tamen ſicut Angeli deferunt orationes noſtras ad Deum; ita per cælos gratiæ obtentæ ad nos deſcendunt. Ita Deus per Oſeam Prophetam teſtatur dicens: *Exaudiam cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet Iezraelem.* (Oſee 2. 21.) An cæli orent quia Deus exaudiet illos? Certè non, ſed quaſi diceret, exaudiam oratio-

Ex cælis cuncta nobis defluunt.

Deus per ſtellas operatur.

orationem populi mei, per cælos. Precatur Deum Ezechiel ut vitam prolonget, utque ostendat illum exauditum esse, efficit cælum retrocedere per multos gradus. Obsecrat Josue ut victoriam inimicorum prosequi possit: & Deus illum exaudiens, sistit solem donec compleverit. Orat Deum Delbora, ut inimicos suos, in fugam convertat; & Deus facit stellas contra illos insurgere, & pugnare: *Stellæ manentes in ordine suo, pugnaverunt contra Sisaram.* Si ergò inimicorum victoria, in qua vires, & ingenium humanum maximè prævalent, stellis tribuitur, quid ipsis de aliis rebus tribuere non debebimus?

Judic. 5. 20.

Cur Iob maledixit diei nativitatis?

5. Optimè hoc S. Job intellexisse videtur, qui perceptis infaustis nuntiis, perditionis bonorum, & mortis filiorum, maledixit diei nativitatis suæ dicens: *Pereat dies in qua natus sum.* Sed cur sancte Propheta, non maledicis potiùs diei in qua omnia tibi perierunt? Nónne insuper dies nativitatis tuæ jam dudum præcessit: quomodo ergò perire potest, cùm nullum habeat esse, nec amplius in rerum natura reperiatur? Difficilis hic videtur locus, concedendo tamen Astrologiam judiciariam, omnia rectè intelligentur. Quid hæc nobis exhibet? A die nativitatis totum vitæ nostræ decursum dependere ait. Meritò ergò Job illi maledixit, cùm origo omnium malorum exstiterit. Licèt quoque dies illa transacta sit, nec ampliùs reperiatur, influentiæ tamen ejus quotidie remanent, & operantur, nec desinunt vitæ cursum dirigere. Meritò ergò Job desiderat diem illum perire, omnes nempe ejus vires & influentias deperdi, ut nullum amplius malum inferre possit.

Job 3. 2.

Astra sunt signa prognostica tribulationis.

6. Licèt tamen stellis concedere nollemus, illas malorum nostrorum causas esse; ad minus negare non possumus, signa prognostica esse? Prudens, & callidus, ex facie humana facilè interiorem hominis animum colliget? Si rubicunda fuerit, colliget verecundiam, si pallida timorem, si bene disposita, bonam complexionem, & similia; juxta regulas Phisionomiæ, quæ ex natura, conditione, figura, facie, & lineamentis hominis, perfectissimum format judicium. Unde dixit Sapiens: *Sapientia hominis, lucet in vultu ejus,* &, *ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Sicut igitur, ex facie hominis qui parvus mundus dicitur cognoscitur ejus qualitas, sic ex facie mundi qui homo magnus dici potest, cognosceretur qualis fuerit; & quid efficiet. Sed quæ mundi facies nisi cælum pars nobilior, excelsior, & pulchrior; in quo velut duo oculi sol,

Eccles. 8. 1.

Eccli. 19. 26.

sol, & luna; frons firmamentum; Genæ, Zodiacus; Supercilia, Saturnus, & Mars; nasus Jupiter; os Venus; mentum, Mercurius? Hanc ergò faciem intuendo, de universo orbe judicium formare poterimus, quid illi umquam succedet. Non mea hæc excogitatio, sed Salvatoris nostri, in Evangelio populum Judaicum reprehendentis quòd hanc Phi-
Matt.16.4. losophiam didicerant: *Faciem Cæli dijudicare nostis, signa autem temporum nō potestis scire?* Si enim rubedo vultus dum quis peccavit, est signum salutis; *Erubescit, salva res est*; aiebat Poeta: dum cælum sole occidente rubescit,
Ibid. signum est sereni temporis; *Serenum erit*, inquit Salvator; *rubicundum est enim cælum.* S. Lucas
Luc.12,54. insuper adjungit, quod, *Ita fit.* Econtrà malum est signum, dum quis bene agendo erubescit, unde dicebat Salvator. *Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua.* Dum cælum quoque manè oriente sole rutilat, signum est tempestatis futuræ; dicente pariter Sal-
Matt.16.3. vatore; *Et mane; hodie tempestas, rutilat enim triste cælum.* S. Aug. apertè hanc similitudinem de-
S.August. lib. 2. contra Manich.c. 21. clarat dicens: *Sicut nonnulli motus animorum apparent in vultu & maximè in oculis, sic in illa perspicuitate, & simplicitate cælestium corporum, omnes omninò motus animi latere non arbitror.*

7. Parum dixi, inter omnia signa nullum clarius, distinctius, *Cæli ut tot libri aperti.* & certius est, quàm scripturæ sacræ, & librorum; sed quid sunt cæli? Non aliud quàm ingens volumen & liber, in quo descriptum, quidquid in mundo successurum est; ideoque dicebat Joannes; *Cælum recessit sicut liber.* Apoc.6.14.
Dicet fortè quispiam, quandoque fiunt libri, lapidei, aut depicti, non ut in iis legatur, sed propter ornatum; non ut intellectus per illos instruatur, & addiscat, sed ut oculus oblectetur, talis ergò fortè cælum erit. Id tamen dici non potest, quia fictus liber aut semper patet, aut semper clausus est; liber autem qui clauditur, aperitur, & revolvitur, verus esse debet. Talis liber cælum est, si enim apertum desideras; *Aperti sunt cæli?* Matt.3.16.
Si clausum cupis; *Si clausum fuerit cælum?* 3.Reg.8.35
Si plicatum velis, aut extensum, ita erit; *Extendens cælum sicut pellem*; Psal.103.2.
complicabuntur sicut liber cæli, folia quoque diversa invertuntur, quorum alia alba, alia nigra:
Dies diei eructat verbum, & nox no- Isa.34.4.
cti indicat scientiam; ô quàm ad- Psal.18.3.
mirabilis liber, fortè lingua extranea, aut imperceptibili scriptus; *Non sunt loquelæ neque ser-* Ibid. 4.
mones quorum non audiantur voces eorum, an pretium emendi desideratur? Publicus est, omnibus patet; *In omnem terram exi-* Ibid. 5.
vit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Fortè ab ignorante descriptus? Ipsius Dei digito scriptus

Psal. 8. 4. ſcriptus eſt litteris aureis: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.* Cur autem cæli dicuntur opera digitorum Dei, non verò manuum ejus, quia digi-
Joan. 8. 6. tis ſcribere ſolemus; *Digito ſcribebat in terra*: prout digito ſcripſerat legem in tabulis lapideis.

Orig. ſuper Geneſ. *Aſtra tot littera cæleſtes.*

8. In hoc libro, inquit Origenes, reſpiciens Patriarcha Jacob, cognovit quid filiis ſuis eventurum erat; citat quoque librum antiquum apud aliquos magnæ auctoritatis, cui titulus; *Narratio Ioſeph*, in quo Jacob introducitur filiis ſuis loquens; *Legi in tabulis cæli, quæcumque contingent vobis, & filiis veſtris.* Nec hæc opinio, inquit Origenes, tollit liberum arbitrium, prout eidem non repugnant Prophetarum oracula. Plotinus diſcipulus Origenis, & Philoſophus Platonicus valde celebris, ejuſdem opinionis eſt, in libro ſuo, *de Fato*; quia aſtra omnia affirmat tantos characteres eſſe, quos qui legere novit, rerum futurarum cognitionem adipiſci poteſt. Porphyrius inſuper aſſerit, in ſeipſo expertum fuiſſe, cùm humore melancholico victus ſeipſum occidere volebat; & Plotinus per aſpectum cælorum illud cognoviſſet, impedire venit.

9. Sed numquid apertè ſatis abſque metaphora Deus idem revelavit, quando creans ſolem,
Gen. 1. 14. lunam, & ſtellas dixit: *Vt ſint in ſigna?* Dices verum eſſe conſti- *Aſtra ſunt ſigna temporum.*
tuta fuiſſe in ſigna, ſed in quæ ſigna? non alia quàm temporum, anni, menſis, & dierum; ſic teſtatur Deus dicens: *In tempora, & dies, & annos.* Rectè quidem dicis ſed, quomodo intelligis, aſtra cæleſtia eſſe ſigna annorum, dierum, & menſium, ut demonſtrent initium illorum, & finem? hoc parum eſſet, voloque probare non ita intelligendum. Cauſa ſiquidem non ſignum effectus dicitur quem producit, ſed potius effectus ſignum cauſæ dicitur; non enim ignis ſignum eſt fumi, ſed fumus ſignum eſt ignis. Ut autem à propoſito non diſcedamus, nemo dicet, ſol videtur ergò dies eſt, ſed dicet dies eſt ergò ſol lucet; ſignum quippe magis debet eſſe notum, quàm res ſignificata; ſol autem ignotior eſt die; ſæpius enim non videtur, ſed cognoſcitur terram illuminare, quia dies eſt: nec umquam ſol videtur, niſi certum ſit diem eſſe, quia dies à præſentia ſolis cauſatur; ideoque ut effectus, notior eſt ſuâ causâ, & ſignum ejus vocatur. Solem ergò lunam, & ſtellas eſſe ſigna anni, dierum, & menſium, non de fine & principio illorum intelligendum; ſed de qualitate, ſi nimirum clari aut obſcuri, ſereni, fœcundi, ſteriles, felices, aut infelices erunt.

10. Præcedens opinio magis *Cælum rerum naturalium index.*
confirmatur, quia Deus qui omnia

nia suaviter disponit & regit; per cælum mysteria supranaturalia revelavit, quantò magis naturalia per illud cognoscere poterimus, cum his siquidem majorem habet connexionem? Dum nascitur, vult cælum hoc novâ stellâ annuntiare, quando baptizatur vult cælum aperiendo se declarare Dominum suum, & in morte ejus se obscurando. Quando veniet judicare mundum, plura signa emittet. Quid mirum ergo rerum naturalium, magis cælo convenientium, eum esse signum? Dices tamen anima cùm spiritualis sit nullam dependentiam, aut connexionem cum illo habet; respondeo distinguendo, immediatè concedo, mediatè nego; sequitur quippe complexionem & dispositionem corpoream, & hæc non minùs quàm alia corpora, cæli influentiis obnoxia. Quam verò clariorem probationem ipsâ experientiâ desideramus? Hanc autem quoties testimoniis approbarunt Astrologi, libros integros componere liceret: duas tamen vel tres nos adferemus. Spurina celebris Astrologus, prædixit Julio Cæsari, quod sibi à 15. die Martii caveret, illo siquidem die, vitæ periculum incurreret. Advenit prædictus dies & obvians Astrologo dixit ridendo, ecce 15. Martii dies adest, respondit Astrologus, sed nondum transivit, ipsoque die multis vulneribus confossus, in senatu occubuit.

Multi eventus ab Astrologis prædicti.

11. Domitiano Imperatori prædixit Astrologus illum post paucum temporis determinato die occidendum; unde indignatus, ut ipsum mendacem ostenderet, & adeò triste nuntium ipsi retribueret, dixit: tu verò quâ morte interibis? Post pauca à canibus lacerandus sum, inquit Astrologus; ego inquit Imperator te mendacem reddam, præcepitque ut statim occideretur, & corpus ejus combureretur. Sed ecce mirabile quid, vix corpus incendio traditum, quin subitâ exortâ pluviâ, extinctum fuit, & canes concurrentes, juxta prædictionem illud dilacerarunt. Tiberio Cæsari in Rhodis insula exulanti, prædixit Astrologus, illum Imperatorem futurum; ille verò se derisum arbitratus, voluit Astrologi scientiam experiri; & ambulando eum ad mare deducens animo præcipitandi in illud; petit ab Astrologo, quantum se à morte abesse cogitaret? Considerans verò Astrologus figuram nativitatis suæ, pallescere, & tremere cœpit, rogatus autem quid ita, respondit, hoc puncto video à stellis mihi maximum vitæ periculum minari: de quo Tiberius subridens, cognovit illum verum dixisse, eumque benignè recipiens, & amplectens, fidemque prædictioni adhibens,

Impe-

Imperium postmodùm effectu acquisivit. Eudoxia Theodosii secundi Constantinopolitani uxor, filia fuit privati civis non adeò divitis, qui moriens, hæreditatem suam inter filios divisit, nihil filiæ relinquens, rationem autem ejus facti reddens, dixit; illi sufficere ingentia bona à stellis promissa. Nec vana promissio fuit, quia è patria discedens, Athenis nempe, Constantinopolim pergens, licèt peregrina & pauper, ab Imperatore in uxorem adoptatur. Similibus experientiis antiquæ & modernæ historiæ plenæ sunt; si enim non vera prædicerent, hæc scientia non ita foret æstimata, & tam diu in mundo honorata, ut quasi prima omnium esse credatur.

Astrologia antiquissima.

12. Apud Ægyptios hæc dudum dominata, à Chaldæis exercitata, Hebræis plurimùm nota. Ante Moysen quoq; dicitur de Isaac, quòd inventus fuerit à Rebecca, dum reverteretur de Mesopotamia, exivisse in campum *Ad meditandum*, prout nempe exponunt Hebræi, ad contemplandum stellas, & in magno cœli libro studendum Astrologiæ. In eadem dicitur Balaam excelluisse, qui sub metaphora stellæ, Salvatoris prædixit adventum: *Orietur stella ex Iacob*. Ab ipso quoque posteri ejus didicerunt, quibus Deus novam stellam in nativitate Salvatoris fulgentem revelavit & ostendit, quâ duce ad eum adorandum cōducti sunt. Scientiæ quoque hujus antiquitatem indicant nomina stellis imposita, juxta illarum influentias, & dispositiones, ac inclinationem earum, quam pariter imprimunt iis quibus dominantur. Mars siquidem bellicosus fuit, Venus lasciva, Mercurius eloquens, & ita de aliis. Hæc autem nomina antiquissima esse, ex libro Job colligere possumus, qui diu ante Moysen vixit, in quo multa eorum nomina referuntur, ut Hyades, Oriona, & Serpens, aliaque, quod non exiguum antiquitatis argumētum & approbatio hujus veridicæ scientiæ. Et hoc in favorem Astrologorum dixisse sufficiat, nec credo illos conqueri posse me parum protulisse.

Genes. 24. 63.

Num. 24. 17.

Cœlum nihil contra nos potest.

13. Audiamus modò partem contrariam, videamusque quid Theologus contra eos adferre posset, rectè sequendo viam ab illis nobis exhibitam. Si per Astrologiam judiciariam futura prævideri possent, id esset, quia stellæ causæ illorum sunt vel signa. Sed neutrum dici potest, ergò verum non est, posse illa prævideri. Non esse causas probatur; si enim de rebus ab humano arbitrio pendentibus, sermo fiat, à quibus præcipuæ tribulationes nostræ

ortum habent, clarum est, stellas nihil circa has efficere posse, aliàs non esset homo liber, quod est contra experientiam, Philosophiam, & quod magis refert, contra fidem nostram. Si autem cœlum nullam vim habeat supra nostrum liberum arbitrium, quid ab ipso dependebit? pax, bellum, dignitates, honores, præmia, punitiones, comites, mores, vivendi modus, habitatio, quicquid denique homini accidere potest, maximâ ex parte à libero arbitrio dependet, vel nostrâ, vel alterius voluntate; nil ergò remanebit, quod cœlum sibi assumere poterit, ut virtutem suam in eo dirigat.

Quomodo cœlum tam varios effectus producet.

14. Licèt tamen aliquid posset, quomodo à corpore simplicissimo, à motu uniformi, & unâ solâ qualitate activâ, lumine nempe, tanta effectuum varietas, tamque extraordinaria accidentia, qualia in mundo fieri videmus, possemus recognoscere? Scio Astrologos dicere, omnes elementorum qualitates in stellis reperiri, & aliquas illarum esse frigidas, aliquas humidas, aliquas siccas, & aliquas calidas, si non actualiter, ad minus virtualiter; nimirum, si qualitates ipsas in se non habeant, ad minus virtutes illarum habebunt, & vim tales effectus in aliis producendi, Saturnus frigidus dicitur, Mars siccus, Luna humida. Hoc tamen vix esse potest, nónne omnes stellæ lucidæ, & lux illarum etiam juxta Astrologos non derivatur à sole? omnisque lux, maximè solis, nónne est causa caloris? quomodo ergò aliquæ stellæ dicuntur frigidæ? fortè dicent, ultra lucem aliquam aliam influentiam habere, quâ humiditatem & frigus causare possint? sed quo argumento hanc influentiam, omnibus sensibus absconditam, probare poterunt? si quoque Saturnus & Luna per lucem calefaciunt, quomodo aliis influentiis frigefacient? an idem simplex motus poterit tot contrarios causare effectus, quales sunt frigus & calor? quis umquam vidit ab eadem causa, eodem tempore effectus contrarios procedere? nónne insuper videmus, lunam tunc magis effectus producere, cùm luce abundantiori repleta est: non ergò influentias luci contrarias habet; si enim ita esset, sequeretur, quòd quò minori lumine abundat, validior fuisset, quia uno contrario deficiente, alterum majores acquirit vires.

Quomodo stellæ in nos qualitates exercent.

15. Si insuper stellæ tantas vires in nos exercere possunt, ut Astrologi inquiunt, cur potiùs punctus nativitatis, quàm quivis alius in tota vita considerandus? nónne ridiculum esset dicere, debere illum semper pati

pati frigus, qui hieme natus esset, & semper calidum fore qui æstate? certè ita, quia causæ præsentes potentiores sunt quàm præteritæ, & frigus quod Petrus in hieme natus, patiebatur, à calore superveniente alio tempore, fugatum fuit. Hoc rectè Astrologi de omnibus asserunt, si enim quis stellâ infelice in cœlo regnante, nascatur, infelix erit toto vitæ tempore; si verò felice dominãte, toto vitæ tempore felix erit. Si quoque infelix illa constellatio jam præteriit; & alia felicior supervenit in cœlo, quomodo hæc non majorem habebit vim quàm illa? quomodo etiam felicitas hujus non destruet infelicitatem alterius transactæ? hoc certè idem est ac dicere, quòd quis patiatur frigus, quia mediâ hieme natus. Si verò dicatur, respicere nos debere ad constellationem præsentem, infero ego nil referre, aliquem sub hoc aut sub illo aspectu nasci, de quo tamen Astrologi totũ dependere dicunt; sed sufficiet videre qualis constellatio in cœlo reperiatur, illo momento. Si quoque concedere velimus, primam illam impressionem aliquid posse infanti causare dum nascitur, quid non faciet illa quæ in puncto conceptionis oritur? hanc tamen nullo modo reputant, cùm illud momentum conceptionis divinare nequeant.

16. Cœli insuper & stellæ causæ universales sunt, easdem ergò influentias omnibus immittunt; sicut quoque stellæ non efficiunt ut pluat, aut sol oriatur, & una arbor irrigetur, non verò alia ejusdem regionis, ita supra omnes homines ejusdem regionis, saltem easdem universaliter influentias immittent. Nec dici poterit, has illos felices reddere, hos verò infelices, alioquin cur idem de spicis grani in eodem campo dici non poterit? videmus tamen omnes eâdem fortunâ dirigi, omnesque eodem tempore maturescere & demeti. Nec hoc semini eodem tempore jacto attribui potest, cùm ager in una parte primò seminatur quàm in aliâ, Astrologi quoque dicunt omne exiguum intervallum temporis maximi momenti esse. Ratio ergò tantæ diversitatis humanæ miseriæ non à stellis, sed à libero hominis arbitrio derivanda est. Causæ insuper universales sæpiùs modificantur & impediuntur à particularibus, à materia & subjecto, sicut ab instrumento modificatur actio artificis, & sicut cythara inordinata non poterit aptum aut suavem sonũ reddere, licèt à perito sonatore pulsetur; nec semen in terra sterili conjectum fructum producere poterit. Cœlorum ergò

Cœli causæ universales nil particulariter agunt.

ergò influentiæ quæ sunt causæ universales, à causis particularibus modificatæ erunt, à materia nempe hominis, unde illas solas considerando, in certam cognitionem particularium effectuum devenire non poterimus.

An stellæ signa naturalia.

17. Si verò mihi dicatur, illa verè signa esse, rursus petam, an naturalia, vel arbitraria sint? naturalia signa illa vocantur, quę per naturalem connexionem quam cum aliis rebus habent, nos in cognitionem earum ducunt. Ita signum naturale ignis est fumus, & flores fructuum, gemitus doloris. Hæc autem connexio triplex esse potest; prima est effectus cum sua causa, sic risus est signum lætitiæ, & fletus doloris seu tristitiæ; secunda connexio est causæ cum suo effectu, hoc modo nubes signum sunt pluviæ, & ventus turbationis maris; tertia connexio est unius effectûs cum alio, quando ambo ab eadem causa dependent, ita lux illa quæ in tempestate resplendet, & Castor & Pollux dicitur, est signum serenitatis; non quia illa causa vel effectus sit, sed quia cessationis venti, & separationis nubium illa indicium est, unde serenitas ordinariè sequi solet, sicque ex uno aliud infertur.

An sint signa arbitraria.

18. Voluntaria sive arbitraria signa illa dicuntur, quæ non ex propria natura, sed ex humana impositione aut voluntate aliquid significant. Talia sunt verba respectu cōceptuum internorum, quæ apud varias gentes ideò sunt diversa; tale est hædera appensa signum venalis vini, aliaque similia. Stellæ ergò quomodo erunt signa futurorum? naturalia an voluntaria? non naturalia, sic enim necessariam connexionem causæ & effectus secum adducerent; sed non sunt causæ ut probavimus, multò minus effectus; futura quippe cùm nullum adhuc in se esse habeant, multò minus alteri tribuere possunt, maximè autem rebus cœlestibus. Dices, fore co-effectus ejusdem causę, Dei nempe; benè quidem, hoc tamen non sufficit, ut unum sit signum alterius, sed oportet illa talem connexionem inter se habere, ut unum sine alio non producatur, sicut flores arboris, sunt signa fructuum ejusdem arboris, hæc enim non illos producit, nisi fructus sequantur. Stellæ verò quam connexionem cum rebus futuris habent? an Deus illas creare non poterat, nisi simul hominem crearet, cujus vitam ipsæ apertè exhibent? si verò cum hominis vita connexionem habent, quomodo aliarum rerum inter se minimè convenientium aut dependentium connexionem

Quomodo Deus cum causis secundis concurrat.

nexionem habebunt? Quid insuper à Deo non est productum? quis effectus ab eo non dependet? si autem omnes æqualiter ab ipso dependent, quomodo inferemus unum potiùs à stellis dependere quàm alterum? Dico insuper, quòd licèt Deus omnia per se producere possit, causas tamen secundas agere sinit, & cum ipsis concurrit, juxta naturam & modum illarum operandi, ita ut non à Deo tantùm, sed à creaturis quoque multi effectus dependeant. Cùm juxta commune Philosophorum axioma: *Res ita se habeant ad esse sicut ad cognosci?* unde sequitur, sicut esse non tantùm à Deo habent, verùm etiam à creaturis concurrentibus, ita ut cognoscantur, non sufficit scire quòd à Deo dependeant, sed aliæ causæ particulares pariter cognosci debent.

Non possunt esse signa voluntaria.

19. An ergò dices signa arbitraria esse? sed à cujus arbitrio dependent? non ab hominis, quia à sua voluntate non dependet motus aut aspectus stellarum. Nec à Diaboli voluntate, cùm tantam virtutem non habeat, consequens ergò est à voluntate divina pendere. Deus autem nil frustrà operatur, ad quem ergò finem illas produxisset? propter bonum certè finem; sed nónne videmus homines inde multa mala colligere? unde in omni republica rectè ordinata semper Astrologia judiciaria prohibita fuit; non hæc ergò Dei intentio. Quando etiam Deus hæc signa in cœlo minimè posuisset, pariter modum illa cognoscēdi docuisset, & Prophetæ cuidam illorum scientiam revelâsset. Dum scripturam quādam difficilem in pariete cubiculi Balthasaris Regis delineâsset, Danieli mysterium revelavit. Quando Pharaoni futura revelavit per somnium, Josephum interpretem ejus constituit. Si ergò Deus talia signa in cœlo posuisset, alicui illa exhibuisset, aut ad minus ad scientiam illarum instigâsset. Sed cuncta contrariè accidunt, reprehenduntur quippe illa investigantes, prout in Jeremia: *Vias Gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere.* Propheta quoque Isaias ait: *Ego sum Dominus irrita faciens signa divinorum, & ariolos in furorem vertens, convertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens.* Reprehendit quoque Babylonios, quia hisce prædictionibus dediti erant: *Stent* (inquit) *& salvent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, ut ex eis annuntiarent futura tibi.* Quid clarius dici posset, *stent*, inquit ironicè.

Jerem. 10. 2.

Isai. 44. 25.

Isai. 47. 13.

20. Salomon quoque omnium scientiarum peritissimus,

cognovit aliquem futura prædicere non posse: *Homo* (inquit) *ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio.* De præteritis se nihil scire inquit, non tamen quòd illa per historias aut seniores ipso scire non possit; futura verò asserit à nemine percipi posse, quod verum non esset, si Astrologus quispiam, prout fatetur, illa annuntiare posset. Auctoritate quoque sacræ Scripturæ confirmatur, quomodo Ecclesia jure meritò condemnavit & reprobavit Astrologicas prædictiones, eorumque auctores. Multa contra illos decreta legi possunt in secunda parte Decretalium, primis quinque quæstionibus, & Concilium Bracharense cap. 9. Toletanum in expressione contra Priscillianistas. De Alexandro Tertio refertur, per integrum annum ab executione Ordinum, suspendisse Presbyterum, qui semel tantùm occasione furti cujusdam consuluisset Astrologum. Postremò Sixtus Quintus & Urbanus Octavus, bullis contra illos fulminatis omninò condemnârunt. Patres quoque ac sacri Doctores illos certatim impugnant. Inter alios SS. Basilius, Joannes Chrysostomus, Gregorius, Augustinus, Eusebius Cæsariensis cap. 9. lib. 6. de Præparat. Evangelica.

Ecclesʃ. 8. 7.

Nullus futura prædicere potest.

21. Concedamus quoque, astra cœlestia signa futurorum esse, quis gloriabitur se illa cognoscere? Dæmon cujus intellectus subtilissimus, omnium naturalium cognitionem possidens, cùm maximam earum praxim ac experiētiam habeat; licèt se jactet quandoque futura cognoscere, illa tamen à libero arbitrio nostro dependentia, cognoscere minimè potest; si autem prædicere velit, ordinariè errat. Quis verò jactabit, se meliùs percipere aut cognoscere futura, & signa cœlorum quàm Diabolus? illum futura ignorare probatur; primò, quia in sacra Scriptura hæc scientia soli Deo attribuitur, sic Isaias ait: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos.* Diabolus insuper multa præsentia ignorat, qualia sunt cogitationes & secreta cordium, juxta dictum Sapientis: *Pravum & inscrutabile est cor omnium, quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans cor., & probans renes.* Si quoque futura cognosceret, numquam tentaret illos qui non consentient, sic enim sibi majus tormentum, & illis majus acquirit meritum. Si ergò exitum pugnæ suæ ignorat, quomodo aliarum eventum cognoscet? si sibi rectè consulere nescit, quomodo aliis bonum consilium tribuet? Prædicta quoq; corroborari

Nec Diabolus futura libera cognoscere valet.

Isai. 41, 23.

Jerem. 17. 10.

borari possent, particulares prædictiones falsas aut ambiguas referendo, quarum libri integri componi possent, ut apud Græcos fecit OEnomanus, qui cùm ab Oraculo Delphico sæpiùs delusus esset, exquisitâ curiositate falsas prædictiones recolligens, librum composuit; cujus mentionem facit Eusebius Cæsariensis lib. 5. de Præparat. Evang.

22. Duces quoque tam Græcorum quàm Latinorum id ipsum non ignorabant, ideoq; prudentiores contra prædictiones Oraculorum, militibus persuadebant, victoriam illis fuisse prædictam, ut hac fiduciâ armati, animosius inimicum aggrederentur, accidebatq; quandoque astutam prædictionem humanam fallibili sapientiæ Diabolicæ prævalere. Si Dæmones ergò scientiâ Astrologicâ futura prædicere non valent, quomodo illa scire jactabunt se homines? nònne videmus quanta diversitas, incertitudò, & contrarietas sit inter Astrologos circa res cœlestes? Tempore Platonis & Aristotelis octo numerabantur cœli, postea ad decem usque creverunt, nec defuit qui undecim esse diceret. Modò verò illa opinio communior, quæ unicum asserit, penetrabile tamen instar aëris. Iidem volebant Solem immediatè supra lunam esse, posteriores in medio esse, supra nimirum Lunam, Mercurium, & Venerem; & sub Marte, Jove, & Saturno. Plurimi moderni sequentes Tichonem Brahe, putant plures Planetas modò supra, modò sub sole esse. Quid de Planetarum motibus & cœlo stellato referam, quæ necdum à cunctis comprehenduntur? quid de pluribus stellis noviter repertis, de quibus ignorant Astrologi quale ferent judicium? quid de aliis quas obscurè tubo optico intuentes, vix asserere nôrunt utrum existant, vel non? quid de aliis nobis ignotis?

Quanta Astrologorum diversitas.

23. Licèt quoque omnia ista perfectè scirentur, nullum tamen argumentum pro futuris annuntiandis inde colligi posset; ratio hujus est, quia tota Astrologica scientia in experientia fundata est. Observârunt nimirum, aliquos Jovem pro ascendente habentes, dignitates acquirere, unde argumentabantur cunctis hoc evenire debere, qui sub astro illo ascendente nati essent. Clarum tamen est, non sufficere unius Planetæ observationem, sed aspectum aliarum stellarum observari debere, cùm una alterius influxum impedire vel mitigare possit. Quod ergò uni accidere viderunt qui sub tali constellatione natus esset, argumentantur idem alteri successurum,

Nihil certò annunciare possunt.

cessurum, qui sub tali cœlorum dispositione cum eodem stellarum situ & respectu natus esset. Hoc autem impossibile est umquam accidere posse, loquendo siquidem de stella Saturni, post revolutionem primam cœlorum, numquam in eodem situ & loco bis fuit, quod Astrologi negare nequeunt, quia asserunt 36000. annorum opus esse ut stella illa cursum suum finiat, unamque cœli revolutionem compleat. Cùm ergò necdum semel hanc revolutionem compleverit, clarum est, dici non posse ad locum illum rediisse, ubi aliàs fuit. Idem judicium de firmamento formari potest, quòd tardiùs Saturno movetur. Nullam ergò Astrologi habebunt experientiam supra quam certum ac firmum fundamentum erigere possint.

Singulis applicari nequeunt.

24. Licèt autem hæc vera essent, quis nescit quàm difficile sit applicare singulis? Duo uno partu prodeunt, ut Esau & Jacob, quid de his Astrologi judicabunt? ambos eâdem fortunâ fruituros, iisdem adversitatibus & accidentibus afficiendos, ambos eâdem morte & tempore morituros? Experientia illos falsitatis arguet, & diversitatem constellationis ostendet. Sed quomodo in exiguo adeò tempore id cognosci poterit? si verò exiguum spatium prius vel posterius, tantæ diversitatis occasio, ergò unius infantis diversa membra successivè de ventre matris prodeuntia, diversas constellationes & sortes obtinebunt. Si horologium igitur paulò tardiùs aut velociùs moveatur, totum Astrologiæ fundamentum corruet. Non sufficiet ergò dicere Astrologo tali die, tali horâ natus sum, sed adjungere oportebit, tali minuto, tali puncto. Cùm autem conceptio nativitate potior sit, idem de conceptione cognoscendum. Sed quis illam scire punctualiter poterit? Punctum nativitatis aliqui verificari dicunt, alio nobili accidente in vita occurso, cum quo punctus in cœlo, aut tali constellatione, necessariam habet connexionem. Sed quomodo replicabo ego, sciri poterit, tale accidens potiùs connexionem habere cum illo constellationis puncto, quàm cum aliquo altero? ita ut prima difficultas hîc redeat.

Quomodo iidem eventus diversis accidunt.

25. Dico insuper, ubi gemelli eodem partu editi diversos acquirunt eventus, plurimi tamen diversissimis temporibus & constellationibus in lucem editis, iisdem accidentibus & adversitatibus subjacent: cur quandoque naves submerguntur hominibus diversæ ætatis, conditionis, & regionis repletis. Vide qualiter eâdem morte pereunt, qui tot diversa habue-

habuêre natalitia? idem in bello accidit ubi plurimi occiduntur, in expoliationibus civitatum, in ruinis ædificiorum, aliiſque ſimilibus caſibus. Idem probatur ex moribus & conſuetudine, in ſingulis differentes, nec tamen omnes civitatis unius cives eandem habebunt conſtellationem, vel diverſam qui variis in locis, & moribus differunt. Hoc argumento maximè utitur, & fuſiùs explicat Bardeſanes Syrus ab Euſebio Cæſarienſi citatus; inter varia autem exempla ab eo adducta, illud Perſarum eſt, quibus licitum erat ſororibus aut matri matrimonio conjungi; quod non tantùm in patria illorum, verùm etiam in aliis regionibus ubi filios procreabant, obſervabant; quibus eoſdem mores tribuebant. Nec hoc ſtellis adſcribendum, cùm impoſſibile fuerit omnes naſci exiſtente ſtellâ Venere in domo Saturni, cum aſpectu Martis. De Amazonibus pariter refertur maritos non habere, ſed primo vere finibus ſuis egredientes, Gentibus vicinis conjungi, unde univerſæ eodem tempore pariunt. Occiſis ergò filiis maſculis, femellas reſervant; quæ omnes bellicoſæ ſunt, & diligenter armorum exercitio attendunt. Quis verò adeò erit inſipiens, ut dicat, omnes hos ſub eâdem conſtellatione natos?

Mores populorum aſtris non adſcribendi.

26. Eidem intento exemplum Judæorum ſervit, qui licèt per varias regiones diſperſi, ubique eoſdem obtinent mores, ſabbathum inviolabiliter obſervant, filios octavo die circumcidunt, carnem porcinam nullibi comedunt, nec ideò dicendum ſub eâdem conſtellatione omnes natos eſſe. Sed quid de Chriſtianis dicam, qui innumerabiles per omnes orbis partes exiſtentes, eundem vivendi modum obſervant? an omnes ſub eodem aſtro natos dicemus? Creſcit inſuper argumenti hujus vis, quòd qui primò Gentiles, poſtmodum Chriſtiani effecti, omninò contrariè vivunt quàm antè, & mores vitioſos deſerentes, laudabiles aſſumunt, & Chriſti legem amplectuntur. Non ampliùs fratres ſororibus junguntur; non ampliùs Ægyptii bovem, capram, canem, aut felem adorant; non quia ſub diverſa cõſtellatione quàm anteà nati ſint, ſed quia jam ſub lege Chriſti ſunt. Eodem argumento S. Gregorius Papa utitur, notat quoque in Getulia nullum piſcatorem naſci, non tamen credibile eſt aliquos illorum non naſci ſub ſigno Aquario, à quo dicunt Aſtrologi homines ad piſcationem deſignari.

27. Quid tandem de falſis Aſtro-

Prædictiones

Astrologicæ sunt plerumque falsæ.

Astrologorum prædictionibus referam? una falsa sufficeret ad fidem omnibus aliis adimendam; sicut enim una inventa est mendax, sic alia quævis esse potuit. S. Augustinus inquit, si mendacium unum in sacra Scriptura reperiretur, nulla in ipsa remaneret veritas; quid tandem erit ubi infinita reperiuntur? Cui aulico non prædicunt Astrologi multa bona? cui Cardinali non promittunt Pontificatum? & tamen adeò pauci ad illum perveniunt; Cicero inquit, se mirari quomodo *Aruspex aruspicem videns, non rideret*; cùm vanitatis & falsitatis mutuæ conscii, non deriderent stolidum vulgus illis credens, quod de Astrologis nostris asserere possumus. S. Augustinus in libris Confessionum, de duobus Astrologis refert in quorum ædibus eodem tempore nascebatur filius, & servus, qui juxta Astrologiæ regulas eandem habere debebant fortunam, sed contrarium evenit; filius in dignitate & divitiis continuò profecit; servus verò in summâ calamitate permansit. De Ægyptiorum Regibus refert Cælius Rodiginus, quòd Astrologos alebant, qui nativitatem cunctorum infantium referebant, quibus verò stellæ juxta illorum prædictionem magnas promittebant dignitates & honores, zelotypiâ regni promoti, illos occidebant; quibus verò mala futura erant, vivere sinebant; contrà tamen sæpissimè eveniebat, & plurimi in illa regione insignes erant. Pompejo, Cæsari, & Crasso plurimæ prosperitates prædictæ fuerunt; inter cæteras autem, quòd senectutem non admitterent nisi voluissent, & magno contingeret honore mori; contrarium tamen illis evenit, Pompejus siquidem in littore Ægypti à vilibus personis interfectus fuit; Cæsar ut patriæ tyrannus vulneribus confossus; Crassus à Parthis magno dedecore & illusione vitâ privatus. Concludit ergò Cicero hoc modo: *Ut mirum videatur quemquam extare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re, & eventis refelli.*

S. August. lib. 7. confess. cap. 6.

Cæl. Rodig. lib. 8. cap. 5.

Cicer. lib. 2. de divinatione.

Probatur variis exemplis.

28. Seneca in libello cui titulus: *Ludus in mortem Claudii Cæsaris*, introducit Mercurium Parcas deprecantem, ut stramen vitæ Claudii Cæsaris præscindant. Inter alias verò rationes assignat, ut unâ vice Astrologorum dicta verificentur, quia ab initio Imperii omni mense & die illum moriturum prædicebant. Albumasar Astrologorum judiciariorum facilè Princeps, affirmabat Christianam religionem non durare debere, quàm mille quater centum & septuaginta annis, ul-

nis, ultra quos jam ducentis ferè annis duravit, & perdurabit usque in finem mundi. Petrus Aliacensis magnus Astrologorum fautor, Cōcilio Constantiensi celebrato, scriptum reliquit Astrologos illius temporis prædixisse, Ecclesiam Catholicam non ampliùs pace frui debere, sed cum maximo religionis detrimento, magnis dissensionibus, & discordiis subjectam esse debere, cujus contrarium experientiâ patuit. Quandoquidem per Concilium, schismate sublato, magnâ tranquillitate & concordiâ postmodùm usus fuerit. Joanni Galeazzo Mediolanensium Duci Astrologus prædixit, illum citò moriturum, seque diu victurum; sed Dux volens propriâ morte falsitatem doctrinæ suæ comprobare, illum occidi curavit. Constantino Irenæ filio, Constantinopolis Imperatori, cum Bulgaris bellum gerenti, promiserunt Astrologi, illum victorem futurum, unde negligentior evadens, turpiter cæsus fuit. Hoc tamen bonum fuit, etiam Astrologum interfectum fuisse.

Aliis prædicentes sibi imminentia ignorant.

29. Ita ordinariè iis evenit, qui profitentur se velle prædicere quæ aliis eventura; nec propria mala sibi imminentia præcavere nôrunt. Simile quid aviculæ accidit, de quâ Josephus in libro contra Appionem mentionem facit; incedebat, inquit, cum multis aliis Hebræus quidam, Mosollamus nomine, illi avem arbori insidentem conspexerunt, ex cujus volatu, quodam vate augurium captante, quâ viâ incedendum foret, & si prosperum iis futurum iter colligebant; Hebræus hoc attendens, arcum tetendit, sagittamque intentis in avem oculis, tam dextrè emisit, ut primâ vice avem percussam intermerit; indignantibus verò vate & quibusdam aliis, eique maledicentibus, & postulantibus, quare auguria itineris impediret? sapienter respondit subridens; quomodo potuit hæc avis viam vestram dirigere, quæ mortem sibi imminentem prævidere non potuit? si præscire futura valuisset, ad arborem ubi mortem recepit non advolâsset; si non potuit prævidere sibi futura, quare ab ipsa itineris nostri expectamus directionem? sic plurimis Astrologis, se futura prædicere posse jactantibus, responderi posset, se aliis multa prædicere, & sibi ipsi mala ventura non posse prescire. Simile quid Alciatus de venatore quodam dixit, quòd sagittam ad volucres emittens, ad suos pedes non respexit, sicque à serpente morsus, occisus fuit. Icarus quoque nimium ascendere volens, in mare præceps ruit. Audiamus potiùs ve-

rissimam ac utilem prædictionem Prophetæ Davidis, qui nimirum largiter pauperibus tribuet, beatus erit: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus; Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra.* Hæc auditores verissima est prædictio à nemine impedienda, quæ non à stellis, sed à Creatore illarum causabitur; si ergò cupitis eam vobis applicari, (quis enim non cupit esse beatus) largam facite eleemosynam.

Psalm. 40. 1.

PARS SECUNDA.

Astrologi cœlestes mutationes prædicere possunt.

30. Nolo me adeò Astrologis adversarium æstimari, quin aliquid ipsis concedere velim; sed quid? cujus causa sit cœlum, quodque à stellis cognosci possit; mutationes nempe temporum, pluviæ, tempestates, & consequenter terræ fertilitas, aliaque plura ad sanitatem corporum, ad agriculturam, ac navigationem pertinentia. Verum est, Astrologos dicere solere hæc difficiliora esse in prædicendo; scitis verò quare? non quia difficiliùs prædicuntur, sed quia in iis illorum fallacia magis detegitur, ut rectè ex Calendariis colligi licet, quæ singulis annis prodeunt, quæ si casu fierent, meliùs quandoque veritatem prædicerent. Sed quantum ad ea quæ ab humana voluntate dependent, nec veritas stellis inest, nec ex earum aspectibus licitum est aliquid certi aut probabilis proferre.

Argumentis contrariis respondetur.

31. Sed quid dicebatur in favorem Astrologorum esse, Deum causis secundis uti, inter quas cæli sunt principales causæ? verum est, sed sicut supremus Princeps ministros inferiores per superiores ejusdem ordinis gubernat. Verbi gratiâ, milites per suos Duces, & hos per Generales Magistros; Consiliarios per alios Consiliarios. Ita Deus res naturales per alias res naturales, & liberas per alias liberas dirigit. Cùm ergò cœlum præcipua causa naturalis sit, per illud omnes res naturales dirigi libenter concedimus; sed liber homo ab alia causa naturali non libera, dependere non potest, sed ab alia causa libera, quales sunt Principes & Prælati Ecclesiæ, à Deo ad hominum directionem constituti, Angeli quoque ejus custodes, &c.

32. Quid dicebatur cœlos canales & mediatores esse per quos Deus gratiam suam nobis desuper immittit, etiam quam per orationem impetramus? Respondeo verum esse, dum à Deo naturalia impetramus, quæ ab ipsis derivari solent.

lent. Sicut dum Princeps rogatus ut litteras commendatitias pro aliquo ſcribat, Secretario ſuo committit ut illas ſcribat, non quòd epiſtolam requirens, in omnibus à Secretario dependere debeat, ſed quia requiritur aliquid quod ab officio ejus dependet. Sic ergò dum à Deo abundantiam rerum deſideras, quia hæc à benigno cœlorum influxu dependeat, præcipit cœlo ut tibi obediat. Hinc tamen non ſequitur, te in aliis rebus, maximè in actionibus liberis, ab ipſo dependere debere; ita ergò effecit, ut ſol reverteretur in infirmitate Ezechiæ Regis, fuit hoc ſignum ab ipſo petitum, non tamen cauſa prolongationis vitæ ejus. Si quoque ſol tempore Joſuę firmatus fuit, non propter ea fortitudinem inimicum ſuperandi illi adjunxit, ſed lucem tribuit ut victoriam proſequi poſſet inimicum occidendo. Si verò contra Siſaram dicuntur ſtellæ pugnâſſe, loquutio eſt metaphorica poëtis ſolita, quia poëtiſſa rectè illam protulit, ut divinum auxilium indicaret; ſic Deus in cœlis exiſtens deſcendere dicitur, vel miniſterium Angelicum dimittere. Si verò concedere velimus ſtellas pugnâſſe, intelligi debebit, per fulgura & tonitrua id accidiſſe. Quid dicebatur Job maledixiſſe diei nativitatis ſuæ? verum eſt, ſed hoc non egit, quia illum principium & cauſam cunctarum afflictionum cognoſcebat, cùm antè dixiſſet: *Dominus dedit, Dominus abſtulit*; ſed ad vitæ infelicitatem monſtrandam, quæ ab illa die exordium ſumpſit. Pariter Jeremias maledixit annuntiantibus nativitatem ſuam, non quòd ab iis aliquid mali recepiſſet, ſed ad magnitudinem calamitatum ſuarum indicandam, propter quas non merebatur, ut boni nuntii bajulus, mercedem recipere, qui diem nativitatis ejus annunciaverat, ſed potiùs maledictionem.

Cur Iob maledixerit diei nativitatis.

Job 1. 21.

Qualiter cœlum dicitur facies hominis.

33. Quid dicebatur cœlum ut faciem hominis eſſe, per quam interni illius affectus cognoſcuntur? Approbo ſimilitudinem, ſed inde argumentor, ſicut ex vultu operationes liberæ hominis cognoſci nequeunt, ſed certi tantùm naturales effectus, ſic à cœlo argumentari non poſſumus quid in mundo eventurum, à libero hominis arbitrio dependens; ſed naturalia ſolùm, de quibus in hac ſecunda parte agimus. Sicut quoque Salvator prohibuit, ne ex facie hominis judicaremus: *Nolite judicare ſecundùm faciem*; ita quoque intelligi debet, prohibitum eſſe à mundo judicari quod in cœleſti facie videmus. Nec S. Auguſtinus in verbis ad-

Joann. 7. 24.

ductis de corporibus cœlestibus loquebatur, ſed de corporibus beatorum glorioſis in cœlo. Id apertè ex verbis ſequentibus colligitur, quibus dicit beatam illam ſocietatem, in qua nulla cogitatio abſcondita: *Itaque* (inquit) *illi merebuntur habitationem illam & commutationem in angelicam formam, qui etiam in hac vita cùm poſſent, ſub tunicis pelliceis occultare mendacia, oderunt tamen ea, & calent flagrantiſſimo amore veritatis.*

S. Auguſt. ubi ſuprà.

Quomodo dicatur liber involutus.

34. Quid dicebatur cœlum eſſe librum digito Dei ſcriptum? liber vocatur cœlum, inquit S. Juſtinus martyr, eo modo quo vocatur pellis & cubiculum, nimirum propter ſimilitudinem formæ; cùm antiquitùs libri non multa haberent folia, ſed unum ſolum folium quod circa longum lignum volvebatur. Simili ergò libro propter amplitudinem & facilitatem quâ formati ſunt à Deo, & extenſi, aſſimulantur cœli; in fine quoque mundi dicuntur inſtar libri plicandi, quia ſole & ſtellis obſcuratis, videbuntur complicari & cooperiri, eo modo quo litteræ cooperiuntur, dum liber plicatur vel clauditur. S. Thomas & Liranus dicunt, quòd reſpectu Aſtrologorum etiam plicabuntur quaſi liber cœli, quia omnis poteſtas contemplandi aſtra, & futura prædicendi ipſis auferetur. Cum S. Jeronymo tamen libenter admitto, cœlos libros ſcriptos eſſe; ſed quid creditis in eis ſcriptum eſſe? illud quod faciendum aut patiendum tibi eſt? credíſne certè vitam tuam dignam eſſe ut litteris aureis in cœlo deſcribatur? non hæc ergò ſcripta, ſed potentia, excellentia, ſapientia, aliaque divina attributa, unde David dicebat: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Non verò dixit enarrare opera hominum. Quis etiam vidit in uno libro tot diverſa ſcripta eſſe, prout diverſis locis & temporibus, & in variis diſtantiis ab Aſtrologis videtur? Pſalm. 18.

Quomodo cœli ſunt ſigna.

35. Quid dicebatur Deum ipſum affirmare cœlos ab eo factos, ut ſint in ſigna & tempora, & hoc non poſſe intelligi de principio & fine horum, cùm ſint effectus causâ ſuâ notiores? Confirmatur objectio, quia non dicitur: *Vt ſint in ſigna temporum, annorum, menſium, & dierum*; ſed, *ut ſint in ſigna & tempora*; horum ergò ſunt cauſa, non ſigna. Sed quorum ſigna erunt? feſtorum quæ in nova luna, aut plena celebrantur inquiunt Judæi. Sunt ſigna componentes quadraginta octo figuras octavæ ſphæræ, quæ nominibus animalium exprimũtur, unde dicimus ſignum Leonis, Capricorni, Aquarii, &c. ut

Geneſ. 1. 14.

&c. ut dicunt alii. Alii quoque affirmant, signa esse effectuum miraculosorum, ut tempore Josuæ cùm sol se sisteret, tempore Ezechiæ quando sol revertebatur, tempore passionis Christi quando obscurabatur, & ante finale judicium dum nigrescet; sunt denique signa serenitatis, tempestatis, pluviæ, & similium. Sed horum nónne pariter sunt causę? Respondeo horum prout futurorum, cœlum signum est, in quantum verò præsentium causa est. Dicamus quoque Planetas & stellas positas esse in signa temporum distinctiva; ut distinguant annum, menses, dies, ac noctes, prout petra magna in medio camporum, est signum divisionis illorum, & pariter causa.

36. Quid dicebatur Deum ad res supra-naturales significandas, signis cœlestibus sæpè usum fuisse? verum quidem est, sed in illis tunc aliquam alterationem novam contra ordinem naturæ creando. Quod signum est, illas naturâ suâ ad significandum futura non esse determinata; sed quandoque ex singulari Dei privilegio ad hoc assumi. Quod non cœlis solùm concessum est, cùm Deus etiam animalia loqui permiserit, & scripturam in pariete exhibuerit, aliaque similia signa in aëre ostenderit. Quid dicebatur multas Astrologorum *Nil mirum* prædictiones verificatas esse? *si Astrologi vera quandoque prædicant.* verum est, sed quot econtrà falsæ repertæ? ut miraculum ęstimatur dum Astrologus quispiam verum prædixerit, quod signum est illos sæpissimè errare debere, alioquin non adeò esset mirandum dum verum dicerent. Si verò ab aliquibus veris prædictionibus ad universas prædictiones Astrologicas argumentari vellemus, approbare similiter deberemus plurimas Gentilium superstitiones, quibus ad futura indaganda utebantur antiqui; ut intestina animalium inspicere, volatum avium observare, comestionem gallinarum, &c. cùm per illa in historiis multa prædicta reperiamus, scimus autem hæc vanissima esse. Dicamus ergò Astrologos & divinatores casu plerumque veritatem dicere; cùm enim toto die isti negotio incumbant, quid mirum si quandoque veritatem attingunt? qui enim continuò alearum lusui intendit, quid mirum si quandoque juxta mentem aleas projectas reperiat. De Alexandro Severo legitur, dum juvenis sine ulla spe Imperii, per Virgilii versus inquireret quid sibi futurum esset, contigit illi versus occurrere Imperium prædicentes:

Tu regere Imperii populos Romane memento,

Hæ tibi

Hæ tibi erunt artes, pacisq; imponere morem;
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Hæc prædictio verificata fuit, dum talis Imperator evasit, qualis his versibus expressus fuerat. Non hoc tamen virtuti versuum, aut sorti alicui, sed casui adscribendum, vel divinæ providentiæ, quæ per judicia sua inscrutabilia quandoque futura indicare novit.

Diabolus Astrologos vera prædicere curat.

37. Aliis quoque vicibus Diabolus operatur, etenim ut artem illam sibi perutilem promoveat, omne ingenium & vires applicat, sicque prædicere jubet, quod exequi intendit, aut evenire facit, quod Astrologi prædixerunt. In Evangelio pulcherrimum hujus rei habemus exemplum; refertur siquidem fuisse quemdam à Dæmone obsessum, qui certis lunæ temporibus graviter à Dæmone affligebatur, unde pater rogavit Salvatorem: *Miserere filio meo quia lunaticus est.* S. Petrus Chrysologus inquit, non fuisse verè lunaticum; sed Dæmon artificiosè in certis lunæ punctis illum plurimùm vexabat: *Vt esse lunæ crederent, quod erat diabolici criminis & furoris.* Pariter Diabolus nobiscum agit, cùm pro peccatis nostris afflicti, Astrologos hæc mala prædicere curat, ut à stellis, & non à Deo nobis immitti credamus.

Matth. 17. 14.

Chrysolog. serm. de Lunatic.

Quando verò illi quidpiam prædixerunt, tantùm efficit, ut tandem eveniat, ne divinæ providentiæ confidamus, sed in vanitate sensûs nostri stellis tribuamus. Quandoque etiam prædictiones multæ, humanæ prudentiæ & scientiæ sunt effectus, ut de Agrippo qui videns Astrologum remuneratum, quia eclypsim prædicere potuerat; ego quoque, inquit, aliquid magni prædicendum habeo, quòd nimirum Dionysius & Plato non multo tempore simul convenire poterunt, uti postea accidit.

Ex prædictione sæpè eventus verificatur.

38. Prædictio tandem sæpiùs occasio est futuri eventûs, unde belli Duces variis modis militibus persuadere studebant, victoriam illis certissimè prędictam, ut alacriter pugnando illam adipiscerentur. Medici semper animum infirmis addere student, & mortem ulli prædicere cavent, ne hoc timore illam veraciter causent. Pariter aulicus cui Astrologus multa bona promisit, alacriter servit & perseveranter ac patienter quęlibet sustinet, ut faciliùs desideratum finem consequatur Ille verò cui mala cuncta prædicta, in vanum se sudare, & sine fructu tempus expendere credit, animo languet, aulam deserit, aut negligenter inservit, eoque modo quandoque Astrologorum prædicta verificantur.

Astrologia judiciaria semper falsa.

tur. Quid dicebatur hanc professionem antiquissimam esse? Respondeo quantum ad cognitionem stellarum, & eam partem quam Astronomicam vocant, verum esse; non tamen quoad judiciariam; si quoque antiquitatem sibi vendicare cupit, tantò magis à principio à pluribus impugnata, & falsa æstimata fuit; ideoque de illis rectè sensit Tacitus, dicens: *Genus hominum quod semper prohibebitur & retinebitur.* Sapientiores quoque qui regulas investigandi & divinandi tradiderunt, incertitudinem eventuum hoc dicto approbârunt: *Sapiens dominabitur astris.*

De futuris non curiosè investigandum.

39. Hanc ergò materiam duobus documentis concludamus. Primò nos curiosos non esse debere, ut futura cognoscamus. Nónne magna esset temeritas & præsumptio servi illius qui armaria & litteras secretas Principis aperire vellet? æstimaretur hoc *crimen læsæ Majestatis*; idem operatur, qui inquirit quid futuris temporibus eventurum? Apostoli adhuc rudes & imperfecti, curiositate stimulati, à Domino quâdam vice petiêrunt: *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?* sed quid audiêrunt? *Non est vestrûm nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Sed ô Salvator nónne hi Apostoli fidem vestram prædicare debent, & esse mundi magistri, quibus tot, tantaque mysteria revelâsti, ut meritò postmodùm dicere potueris: *Iam nõ dicam vos servos sed amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis?* Quomodo ergò non revelas illis quod desiderant? Hæc petitio de futuris erat quæ Deo reservata sunt: *Quæ Pater posuit in sua potestate.* Sed nónne Dei potestati subjecta? verum est, sed horum ipse clavem retinet, ideoque particulariter sub ejus potestate esse dicuntur. Stellæ quoque ut litteræ ab ipso signatæ sunt, ita ut nullus possit eas intelligere: *Qui claudit stellas quasi sub signaculo*, inquit Propheta Job. Dici tamen posset Deum plures prophetias in principio mundi revelâsse; verum est, sed scitis qualiter Deus egerit? ut Princeps, qui Ducem aut Legatum mittens, illi sigillatas quasdam tradit litteras, dicens: cùm ad talem locum perveneris, litteras illas aperies, indeque intentionem meam cognosces; tales sunt prophetiæ continentes secreta divina quæ Deus futura disposuit, sed sigillatæ, ut intelligi non possint, nisi eo tempore quo adimpletæ sunt; talis fuit liber à S. Joanne visus, signatus *Sigillis septem*; tales prophetiæ antiquæ, ideoq; cùm in adventu Salvatoris omnes verificatæ essent: *Aperuit*

Actor. 1. 5. — Joann. 15. 15. — Job 9. 7. — Apoc. 5. 1. — Luc. 24. 45.

ruit illis sensum ut intelligerent Scripturas.

Deus nimis curiosos punit. 40. Deus insuper severè illos punire solet qui futuris indagandis curiosi sunt; sicut enim te eunte ad aliquod negotium, quidam occurrens diceret, scio quò vadis, ad talem locum pro tali negotio vadis; licèt verum fuisset, mentem quandoque mutares, & aliò pergeres. Pariter cùm Astrologi inquirunt quid Deus facturus sit, ipse indignatus, totum agit contrarium. Ita per Isai. 44.24 Isaiam docet, dicens: *Ego Dominus faciens omnia, extendens cœlum solus, & irrita faciens signa divinorum.* Sed nónne ex se ipsis vana sunt? quomodo ergò tanti illa æstimas, sicut cœlorum creationem? Vana sunt, si tamen casu vera prædicerent, placet mihi illos confundere, nec permittere ut prædicta eveniant; quod pejus quoque, malum pro bono idcircò inducit, quod aliàs non evenisset. Sic Ochoziæ accidit, qui eò quòd infirmus, nuntios ad Beelsebub Deum Accaron misisset, ut sciret, si ab infirmitate convalesceret, Eliæ Prophetæ occurrerunt, qui ex parte Dei illis ait; quò itis? responderunt, in Accaron ut sciamus si Rex noster sanabitur, an non; hoc ergò modo agitis, inquit, quasi non esset Deus in Israël, ad Dæmones pergitis? revertimini, & Regi vestro dicite ex parte Dei; quia hoc egisti non surges à lecto tuo: *De lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* 4.Reg.1.4. Quasi diceret, naturaliter sanitatem recuperâsses, sed quia ad Diabolum consulendum misisti, ideò non descendes de lecto, sed ibi morieris.

Deus secreta sua detegi non vult. 41. Memini me legisse de Metello, qui de cogitatione sua interrogatus, respondit; si scirem hanc cogitationem indusium meum cognoscere, statim comburerem. Antigonus quoque filio suo petenti quando pugnandum foret, respondit; timésne quòd tubicines auditurus non sis quos alii omnes percipient? si ergò cives & Principes nolunt secreta sua detegi, quomodo curiosè secreta Dei investigare cupis? nónne vides illum pro majori tuo bono id agere? si enim malum tibi prædictum fuerit, nónne ab illo tempore pati incipis? quandoque etiam pejor est expectatio mali quàm malum præsens. Si bonum tibi prædicitur, spe ejusdem continuò affligeris, quia *Spes quæ differtur affligit animam,* Proverb. 13.12. hoc quoque expectando tepescis & otiaris.

Lætandum quia non à stellis, sed à Deo regimur. 42. Aliud documentum est, lætari & consolari nos oportere vitam nostram non à stellis, sed à Deo dependere. Pessimum est à cœco & surdo torqueri,

queri, nulla siquidem spes illum ad misericordiam flectendum, vel precibus aut gemitibus movendum. Cœlum nec audit, nec videt, si tribulationes nostræ ab illo infligerentur, malè nobis succederet. Crudelis fuit Perilli inventio, taurum æneum fabricare, in quo malefici torquerentur, ne viderentur vel audirentur eorum cruciatus vel lamenta. A Dæmone quoque infernali inventum fuit, quòd Hebræi proprios filios sacrificantes intra statuam ignitam concludebant, eodemque tempore tympana ærea sonabant, ne audirentur gemitus infantum, & patres ad compassionem moverentur. Sed omninò contrarium nobis accidit, Deum siquidem adeò benignum habemus, ut totus oculus & auris videatur, quia *Super lapidem unum septem oculi sunt*, innumerabiles nempe, totus auris est, ideò locus ille Davidis à S. Paulo citatur: *Hostiam & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.* S. Paulus tamen loco aures posuit: *Corpus autem aptâsti mihi.* Sed aures súntne totum corpus? si maritus uxori suæ inaures dedisset, diceretúrne totum corpus ornâsse? certè non, in nobis non valet consequentia de auribus ad corpus, sed in Deo valere potest, quía totus est auris ut preces nostras audire possit, ideoque tam valet de aure quàm de toto corpore. Consolamini ergò tribulati, non enim cum Deo inexorabili vobis agendum ut erat Fatum apud Gentiles, sed cum Deo misericorde, qui vestras afflictiones considerat, vestras preces exaudiat, vestris calamitatibus compatitur; ad ipsum ergò recurrite, ipsum invocate, invenietis secura remedia, & consolationes superabundantes in cunctis adversitatibus & tribulationibus vestris. Quod Deus nobis concedat, Amen.

Deus nobis omninò benignus.

Zachar. 3. 9.

Hebr. 10. 5.



DISCVRSVS XXIII.

Vtrum homo homini tribulationis causa, ubi de incredibili crudelitate humana agitur, quòdq; Deus propter homines non derelinquendus, qualiterq; ab his cavendum.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Vita nostra labyrinthus est miseriis plena. num. 1. 2.
Humana crudelitas pejor quàm ira divina. à num. 3. usque ad 8.
Homo crudelior Diabolo, ejusq; officium exercet. à num. 9. usque ad 18.
Homo ipsâ naturâ & feris immanior. num. 19. 20. 21.
Homo peccato deterior. num. 22. 23. 24.
Homo ipsâ fortunâ & astris iniquior. num. 25. 26.
Homo muliere malignior. num. 27. 28. 29.
Homo inferno pejor. num. 30.
Homo plura mala quàm beneficia confert. num. 31. 32. 33.
Deus magis quàm homo æstimandus & sequendus. num. 34. 35. 36.
Homo securior in deserto quàm in consortio. num. 37. 38. 39. 40.
Mansuetudo & humilitas amplectenda. num. 41. 42.

Homo pulcher aspectu, miseriis plenus.

1. ÆC nostra miserabilis vita, tantis miseriis plena, ut si calamitatum labyrinthum quis appellare velit, ne in minimo à veritate deficeret. Etenim si labyrinthus aliud exteriùs non apparebat quàm deliciarum hortus? & hęc nostra fallax vita exteriùs conspecta, aliud quàm flores & delicias cõtinere non videtur, unde de homine dicitur: *Qui quasi flos egreditur.* Si innumeris fallacibus viis & inextricabilibus semitis labyrinthus refertus, doloribus & afflictionibus, quæ viæ sunt ad mortem, vita repleta; tortuosæ sunt etiam vitæ semitæ, & non invenibiles ut labyrinthi, quia contra voluntatem nostram tendentes, ab illis expediri nequimus. Si in labyrintho una via sola esse dici potest,

Job 14. 2.

Vt labyrinthus hæc vita.

potest, quia numquam interrupta; & plurimæ dici possunt, quia variè contortæ. Una, & plurimæ tribulationes nostræ dici possunt; una, quia tota vita continuata, unde dixit S. Pro-
Job 7. 1. pheta Job: *Militia est vita hominis super terram.* Multæ, quia ex variis miseriis contextæ, ut idem patientissimus retulit:
Job 14. 1. *Repletur multis miseriis.* Idem mundani quoque cognoverunt, qui primò dixerunt:
Sap. 5. 7. *Lassati sumus in via iniquitatis.* Unam hîc vocabant, postea autem dicunt: *Ambulavimus vias difficiles*, plures numerando. Si in labyrintho semper procedendo, nullo modo porta exitûs vel introitûs reperiri queat; qui semel viam hujus vitæ ingressus est, ad portam nativi-
Joann. 3. 4. tatis redire nequit: *Numquid potest in ventrem matris introire & renasci?* Si in labyrintho casu quandoque eundo ad principium redeas, subitò reverteris unde venisti. In vita humana homo se emendare sperans, & fortunam meliorem acquirere cogitans, sæpiùs illum pœnitet facti, & inceptum deserens iter, aliud relictum arripit, & ab hoc ad aliud regreditur; meritò ergò Sapiens dicere po-
Eccles. 1. 9. terat: *Quid est quod fuit, ipsum quod futurum est? quid est quod factum est, ipsum quod faciendum est?* Si è labyrintho exire cupiens, ex fallaci via in pejorem incurrit; in vita quoque unam tribulationem effugere cupiens, in pejorem incidit: *Qui* (enim) Job 6. 16.
timent pruinam, irruet super eos nix. Paupertatem fugis? laborem metuis? in morbum incidis. Viæ labyrinthi in seipsis contortę, & revolutæ sunt? opera nostra in se ipsis, ratione amoris proprii, revoluta sunt: *Omnes enim quæ* Ad Philip. 2. 21.
sua sunt, quærunt. Job Propheta illa quasi describens, ait: *In-* Job 6. 18.
volutæ sunt semitæ eorum, ambulabunt in vacuum. Sine ullo fructu tandem per hujus vitæ semitas oberrantes, ad centrum mortis devenient, & miserè interibunt.

2. Nec tantùm in hoc labyrintho oberrando deficient, sed quod pejus est, à Minotauro, quem Poëtæ in eo degere fingebant, crudelissimè devorabuntur. Quis autem in hac vita mortali Minotaurus nos devorat? an mors quæ omnes exterrens tandem interficit? hæc tamen potiùs extra, quàm intra labyrinthum dici potest; & humanis calamitatibus finem potiùs imponit, quàm tormenta adjungit. Quis ergò hic erit, qui plus omnibus nos affligit & cruciat, nec quietè vivere sinit? non alium profectò esse arbitror, quàm unum hominem respectu alterius; sicut enim Minotaurus, & homo devorandus in uno erant labyrintho; sic persequens & afflictus

Vnus homo alteri Minotaurus.

ctus in eodem mundo vivunt. Minotaurus ex duobus compositus, ex tauro, nimirum, & homine; inimicus autem persequens homo est, & taurus propter immanitatem, & ferinos mores; homo propter astutiam, taurus propter fortitudinem, & ferocitatem, juxta dictum Prophetæ regii: *Tauri pingues obsederunt me.* Quinimò si veram inspiciamus historiam, Minotaurus aliud non est, quàm homo ferox, taurus appellatus. Sicut ergò antiquum est dictum: *Homo homini lupus*; sic dicere possemus: *Homo homini taurus.* Cùm ergò plurimis Discursibus varias labyrinthi hujus semitas transeundo, causam malorum nostrorum inquisiverimus, consideremus hodie Minotaurum hunc crudelem & ferocem, puto enim illum maximam nobis esse miseriarum causam.

Psal. 21. 13.

3. Quis verò nobis exhibere poterit omnes calamitates, afflictiones, & persequutiones, quas homo homini inferre solet? Dicere auderem, omnes alias prædictas occasiones simul collatas, non tantùm damni, nec tribulationis adferre posse, quantùm homo homini causare solet; quod ut clarè constet, probandum erit. Primam tribulationum nostrarum causam Deum esse diximus, ut judex nos puniendo, vel ut pater corrigendo. Sed quid tribulationibus à Deo immissis, cum illis ab hominibus causatis? magna est differentia, virgulâ excutere pulverem à vestibus, & baculo aliquid percutere ut comminuatur. Qui pulverem excutit, modestè ac dulciter percutit, nullam vim adhibens, imò ictus retinens, si nimis fortè sint vehementes, advertens ne frangat, aut lædat quidpiam; qui verò pistat, aut comminuendo percutit, malleum summâ vi erigit & dimittit, nec percutere cessat, donec omnia cõminuta videat. Hanc differentiam dicere possemus inter tribulationes Dei & hominum esse, Deus leviter percutit, ut pulverem excutiat; homo econtrà comminuit & confringit, ad nihil respiciens, donec in partes redegerit. Hanc differentiam auctoritate sacræ Scripturæ approbemus, tribulationem à Deo immissam virgam tantùm omnis Scriptura commemorat: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus*, inquit Jeremias. In libris Regum habetur: *Arguam eum in virga virorum.* In Zacharia: *Assumpsi mihi duas virgas.* In Isaia sub metaphora seminis: *Non in ferreis triturabitur Gith, nec rota plaustri super cyminum circuibit, sed in virga excutietur Gith, & cyminum in baculo.* Quòd virgâ ad nobis superbiæ pulverem

Homo nos pejùs excipit quàm Deus.

Jerem. 3. 1.

2. Reg. 7. 14.

Zach. 11. 7.

Isai. 28. 27.

pulverem & amorem proprium excutiendum adoperetur, probatur; tribulati siquidem vocantur excussi: *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.* Afflictæ quoque Jerosolymæ dicebat Isaias: *Excutere de pulvere filia Sion*; quia pulvis etiam ventilabro excutitur, ideò S. Joannes vidit Deum cum ventilabro in manu: *Cujus ventilabrum in manu ejus.*

Psal. 126. 4.

Isai. 52. 2.

Luc. 3. 17

Homo affligens malleus vocatur.

4. Homo hominem affligens quomodo vocatur? non virga, aut baculus, sed malleus: *Confractus est & contritus malleus universæ terræ.* Babyloniæ Rex omnia ad pulverem redigere voluit: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Clariùs tamen omnia explicavit Isaias: *Assur virga furoris mei, & baculus ipse est.* Ita ut Deo omninò indignato & furioso, dici tamen potest virgâ percutere; sed Assur quomodo perget? prosequitur Isaias, dicens: *Ipse autem non sic arbitrabatur, sed ad conterendum erit cor ejus, & ad internecionem gentium non paucarum.* Ipse, inquit Deus, non conformabit se voluntati meæ, sed ubi ego illum virgam esse vellem, vellet esse malleus; & putans me leviter percussurum, ipse omnia comminuere, & in pulverem redigere conabitur. Talis mihi videtur fuisse Anacreon Cypri Tyrannus, in cujus manus cùm incidisset Anaxarchus Philosophus, certorumque verborum contra illum dictorum reminiscens, illum mortario impositum, ferro contundere, & in minutissimas redigere partes curavit. Quid mirum si tyrannus Gentilis hoc egerit, cùm simile quid, & pejus fortè David effecerit? cùm enim Ammonitas superâsset, inquit Scriptura sacra, quòd *Traduxit eos in typo laterum, & circumduxit supra eos ferrata carpenta*; inclusit eos in formis laterum, & ferreis curribus contundere curavit. Ecce qualis mansueti hominis effectus! *Memento* (inquit) *Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Quid ergò crudeles efficient? benè ait S. Jeronymus: *Homo ad hoc punit, ut perdat; Deus ad hoc corrigit, ut emendet.*

Jerem. 50. 23.

Psal. 136. 7.

Isai. 10. 5.

Ibid. 7.

2. Reg. 12. 31.

Psal. 131. 1.

5. Aliam insigniorem differentiam inter castigationem divinam & humanam agnoscere cupitis? primum caput Prophetæ Jeremiæ evolvite, ubi mirabilem visionem conspexit, nam Deus duabus similitudinibus mala populo Hebræo superventura ostendit; prima similitudo, ut à Deo mittenda; secunda, ut ab homine exequenda. Prima virga fuit: *Quid vides?* ait Deus Prophetæ: *Virgam vigilantem ego video*, ait. Ecce castigatio divina, ideò ait: *Benè vidisti, quia vigilabo ego*

Insignis differentia inter virgam & ollam.

Jerem. 1. 11.

ego super verbo meo. Postmodùm Deus interrogat: *Quid vides?* respondit: *Ollam succensam, & faciem ejus à facie Aquilonis.* Benè vidisti, ait Deus, quia *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Ecce humani furoris effectus, diversus à voluntate Dei. Advertite modò diversitatem inter has similitudines, ipsarumq; significata. Virga naturale suum esse in arbore habet, ejus proprius effectus sunt flores & fructus, juxta illud dictum: *Egredietur virga de radice Iessæ, & flos de radice ejus ascendet.* Ut autem inserviat ad percutiendum, oportet illam à naturali suo esse avellere, & ab arbore disjungere, & contrà naturam illi vili servitio implicare, ita ut si sensu prędita esset, plurimùm doleret. Olla verò accensa ex natura sua ad ignem & coctionem destinata est, unde si hoc cognosceret, lætaretur, cùm operationes naturales sint gratissimæ. Deus ergò virgâ percutit, quia illibenter & contra propriam, ut ita dicam, inclinationem. Homo ut olla accensa torquet, non solùm quia crudeliùs Deo ipso, verùm etiam quia libentiùs, quasi hæc ejus esset inclinatio.

Ibid. 13.

Isai. 11. 1.

Virga justitiæ, ignis indignationis symbolum.

Psal. 44. 7.

6. Virga insuper recta est symbolum justitiæ, juxta illud Davidicum: *Virga directionis, virga regni tui;* pariter Deus summâ æquitate & justitiâ punit. Ignis verò symbolum indignationis & tribulationis: *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit.* Pariter homo irâ & indignatione accensus, hominem torquet. Virgâ percutiens, vires perdit, plicatur, aut confringitur; ignis verò quantò magis acenditur, fortior evadit: *Numquam dicit sufficit.* Deus in punitione faciliter lassatur, & ad commiserationem flectitur; homo inexorabilis, numquam movetur. Virga ex seipsa ad percutiendum non movetur, sed ab alio movenda est; ignis non tantùm à seipso movetur, sed ne ullus quidem illi resistere potest. Ita Deus numquam ex seipso ad castigandum movetur, sed à peccatis nostris, vel à majori emendationis spe; homo autem à seipso commovetur, nec aliquid illum retinere potest. Percutit, sed fumum non excitat virga; ignis comburit & denigrat. Deus puniendo exaltat; homini non sufficit torquere, verùm etiam injuriâ & dedecore afficit. Virga Jeremiæ vigilanti oculo conjuncta, quia symbolum pietatis & discretionis erat, quæ conditiones punitioni divinæ conveniunt. Ignis & olla à naturâ formata ut igni in functionibus deserviat, ambo insensata sine pietate aut discretione existunt. Virga apertè omnibus videntibus percutit; in olla non videmus

Proverb. 30. 16.

demus quid lateat. Deus ante punitionem minatur, & iratum se monstrat; homo indignationem sæpissimè tegens, clàm persequitur. Sine indignatione aut commotione percutit virga; olla verò bullit & alteratur, unde sæpè liquor effunditur.

Plurima differentia inter ollam & virgam. 7. Deus mansueto animo pacificè castigat; homo crudeliter & furiosè, unde sæpiùs ebullit, & limites discretionis transgreditur; imò hoc ita homini proprium, ut proprietas ejus inseparabilis videatur. Sicut enim te aliquem interrogando, cur non in altum avolas, aut sub aquis natas? responderet, quia nec avis, nec piscis sum; ita Deum interrogate, cur non furiosè castiget, non responderet, quia leo aut tigris non sum, sed quia homo non sum. Ita per Oseam Prophe-
Oseæ 11.9. tam inquit: *Non faciam furorem iræ meæ, quoniam Deus ego, & non homo.* Dum Deus insignem inimicorum vindictam capere desiderat, hominis officium adhibet, qui ad hoc aptissimum est instrumentum. Peccatum filiorum Heli maximum erat, de eo siquidem Deus aiebat:
1. Reg. 2. 17. *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* Non tantùm magnum, sed nimis coram Deo magnum, cui omnis magnitudo parva videri solet. Maximum malum fuit peccatum Sodomorum, sed de eo quid dicebatur? Deum velle de cœlis descendere: *Descen-* Genes. 18. 21.
dam & videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint. Non adeò ergò magnum *Pejus est ab homine, quàm à Deo puniri.*
apparebat, ut nubes transcenderet, & Dei conspectui exhiberetur. De alio autem non dicitur illum de cœlo descendere voluisse ut videret, adeò quippe magnum erat, ut ad Deum usque pertingeret: *Erat* Ubi suprà.
grande nimis coram Domino; unde Deus resolvit illos insigniter castigare, ut homines audiendo stuperent, dixit ergò Samueli: *Faciam verbum in Israël, quod* 1. Reg. 3. 11.
quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus. Qualis fuit illa punitio? quòd eum traderet in manus hominum, Philistæis nimirum, ad occidendum. Heli quoque dici præcepit: *Pars* 1. Reg. 2. 33.
magna domûs tuæ morietur cùm ad virilem ætatem venerit. Septuaginta Interpretes clariùs idem expresserunt, dicentes: *Qui superent domûs tuæ decident in gladio virorum.* Quasi diceret; non ego vos castigabo, qui misericordiâ vindictam tempero, sed ab inimicis affligemini, qui feroces ac crudeles, inhumaniter vos excipient sine ulla pietate.

8. Cives Bethuliæ Dei misericordiam & pietatem optimè cognoscentes, illum precabantur, dicentes: *Tu quia pius es mise-* *Confirmatur exemplis.* Judith 7. 20.

es miserere nostri, in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te, populo qui ignorat te. Hîc notandum, tantò terribilius esse castigationem à manu hominum procedentem punitione divinâ, quòd hæc vocetur pietas & misericordia respectu alterius. Gens insuper infidelis, Deum ignorans, crudelior & ferocior præsupponitur, cùm feritatem naturalem secum habeat, nullâ Dei benignitate mitigatam; quæ tanta est, ut hac solâ cognitâ, humanam crudelitatem temperet. Tanta denique est diversitas inter afflictionem à Deo, vel homine inflictam, ut minus sit malum à Deo interfici, quàm ab homine affligi. Illud optimè intellexerat Propheta David, cùm enim illi data esset optio eligendi persecutionem inimicorum, vel pestem suorum, quod Gad

2. Reg. 24. 13. Propheta illi offerebat, dicens: *Aut fugies adversarios tuos, & illi te persequentur; aut erit pestilentia in terra tua;* non dicit occideris, sed fugies tantùm.

Ibid. 14. Quam autem punitionem David elegit? respondit: *Melius est ut incidam in manus Domini, quàm in manus hominum.* Sufficienter ergò probatum remanet tribulationum nostrarum nullam potiorem causam esse quàm Deum.

Homo crudelior Diabolo.

9. Quid de Angelis secunda tribulationum nostrarum causa referemus? si de bonis loquamur, ministri Dei sunt, voluntatem illius non prætergredientes; quod ergò de Deo diximus, ipsis applicari potest. De malis verò Angelis quod judicium feremus? qui Diabolum nominat, videtur pejus dicere non posse, his ergò homo assimulari nequibit; fallimini omnes, audeo quippe dicere, pejus esse cum homine quàm cum Diabolo agere. Hanc opinionem approbans auctor operis imperfecti supra Matthæum, dicit: *Homo malus pejor est quàm ipse Diabolus;* & rectè ait, hic enim faciliùs fugandus & placandus. In Saule clarissimam probationem adducam; spiritus malignus exagitabat Saul, sed subitò remedium adest, David juvenis insignis suaviter cytharam pulsans, spiritũ malignum cohibere noverat; Saul econtrà persequitur Davidem, numquam potuit adhiberi remedium; aulici omni modo eum placare student, Jonathas intimè rogat & à se abigit, filia se benignam & humilem exhibet, crudelior tamen quàm antè; David illum occidere valens, ignoscit, suamque innocentiam exhibet, obstinatior multò quàm primò; David denique dum sonando Diabolum placaret, Saul majori irâ quàm antè exarsit, ita

ut lanceâ

ut lanceâ eum transfigere putaret. Aliud non minùs evidens exemplum desideratis? nullo majori in aliquem exarsit odio Diabolus quàm in Salvatorem nostrum; in passione tamen illum satis afflixisse videbatur, & Pilato ab uxore dici curabat: *Nil tibi & justo illi*; cur verò idem non intimavit Judæis? vel fecit, & non successit; vel si non fecerit, desperabat corda illa adamantina commovere posse, adeò nempe illos in Salvatorem exarsisse videbat.

Matth. 27. 19.

Confirmatur exemplis.

10. Dæmon insuper Salvatori nostro obedientissimus, numquam terminos sibi impositos transgreditur; sicque Job affligere volens, permissionem petiit, terminum quoque ei Deus imposuit, dicens: *Verumtamen animam illius serva*; nec transgressus fuit. Econtrà posuit Deus signum in Cain ne occideretur; quid inde? occisus tamen fuit; à quo? à Diabolo fortè? nequaquam, sed ab homine; vagabatur per sylvas & deserta, nec aliquod animal illum attingere audebat; homo tamen absque ullo respectu sagittam emittens, illum occidit. Dæmon animam cujusdam obtinens, non affliget corpus, imò delicias & voluptates illi procurabit; homo autem animæ & corpori insidias tendet, & damna inferet. Ita inimici David procurabant à Saule illum occidi quantum ad corpus, ut Deos alienos adoraret, perderetque animam; ita testatur ipse multos illi dixisse: *Vade servi Diis alienis.* Dæmones quoque non sibi nocent, hinc enim argumentabatur Salvator, se in virtute Dæmonis non ejicere Dæmonia, quia, *Si Sathanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?* homines verò se mutuò persequuntur & occidunt. Dæmones non sunt inter se fratres & amici, imò secundùm Angelicum doctorem, sunt naturâ & specie diversi; inter homines verò nec natura, nec cognatio sanguinis sufficit ne se invicem persequantur & devorent, unde meritò Isaias dicebat: *Unusquisque carnem brachii sui vorabit, Manasses Ephraim, & Ephraim Manassem.* Unusquisque videlicet contra proximum suum consurget, & amicum, qui ut caro brachii sui est, unde auxilium expectare poterat, persequetur.

Job 2. 6.

2. Reg. 26. 19.

Luc. 11. 18.

Isai. 9. 20.

Homo homini lupus.

11. Ampliùs dico homines quosdam reperiri generis humani inimicos, non aliud quàm sanguinem humanum sitientes, non aliud quàm carnem humanam esurientes, non aliam voluptatem quàm in malo alterius, non aliud desiderium quàm ruinæ & interitûs hominum

num habentes. Talis fuit Timon Atheniensis, qui omnes abhorrens homines, Alcibiadi soli, adhuc infanti, blandiebatur; interrogatus, cur extra modum infanti blandiretur? respondit, quia video illum plurima mala Atheniensibus allaturum. Talis fuit Annibal Carthaginensis, qui se sanguine undique conspersum videns, in eoque crudelitatem suam agnoscens, dicere ausus fuit: *O pulchrum spectaculum.* Talis Vitellius Imperator, qui per campum, corporibus occisorum plenum incedens, ex horrendo illo conspectu tantam hausit voluptatem, ut pestilens ille odor ipsi suavissimus videretur; unde dicere ausus, optimum sibi hunc esse odorem ex cadaveribus occisorum exhalantem. Tale crudelitatis monstrum fuit Nero, numquam stragibus aut interfectionibus hominum satiatus; beatum dixit Priamum, qui propriæ civitatis incendium conspicere meruit, desiderans totum mundum conflagrare dum viveret; unde fertur, maximum civitatis Romanæ incendium ab ipso excitatum, hilariter ex alta turri intuitum fuisse. Talis fuit Cajus Caligula, qui temporum suorum deplorabat miseriam, quia tunc nulla strages hominum, aut patriæ devastatio successisset, non cognoscens se Imperatorem esse, maximam esse civitatis Romanæ ruinam. Talis Herodes, qui nobiliores Judæorum adolescentes captivos tenens, præcepit, ut ipso moriente, omnes interficerentur, ut luctus & dolor ubique sentiretur. Tales denique plures alii fuerunt, hodieque existunt, quorum seriem texere nimiùm foret.

Crudelitatis amatores.

12. Dæmon insuper est inimicus apertus, palàm persequitur hominem, si ergò ab eo malum patiatur, conqueri non debet, nisi sibi ipsi imputare, quòd se conservare nequiverit, nec minùs de inexpectato vulnere indignari; homo verò etiam ut amicus offendit, unde difficillimè ab eo nobis cavendum, ejusque vulnera potiùs sentiuntur; cùm ut occultus inimicus crudeliùs sæviat, dum nobis ab illo inferri malum conspicimus, quem fautorem nostrum & auxiliatorem sperabamus; & hoc maximum inter homines scelus, quò omnem malitiam Diaboli, & animalium quoq; excedunt. Hoc suis temporibus etiam dominari lamentabatur David, qui illud omnium flagitiosissimum reputabat, dicens: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus.* Psal. 54.13.

Dæmon inimicus apertus.

Homo amicus fictus.

13. Non abutitur Dæmon officiis hominum, non enim visibiliter

Homo officium Diaboli exercet.

sibiliter bellum infert, non furatur, non falsum testimonium dicit in judicio, non adulteratur, non injustam fert sententiam; homo verò non contentus aliis inferre damnum, Diaboli quoque officium exercet; officium Diaboli est tentare: *Accedens tentator*, dixit Evangelista; ita homo alium hominem tentat & exagitat, quod in Salvatore nostro clarè patet, legimus siquidem in Evangelio: *Alii tentantes signum de cœlo quærebant*, unde querebatur Salvator, dicens: *Quid me tentatis hypocritæ?* Quinimò quid homines totâ die peragunt quàm se invicem vexare? inferiores superiores adulatione de superbiâ tentant; potentes partialitate suâ, subditi invidiâ, litigantes cum muneribus judices de injustitiâ; judices protractione processûs litigantes desperatione exagitant; æquales se invicem impatientiâ, offensione, voluptatibus, & deliciis ad intemperantiam perducunt; mercatores peregrinis mercibus, novisque inventionibus vanitatem curiosorum & superfluas expensas solicitant; hi autem avaritiâ & deceptione solutionis, ac perjurio mercatores afficiunt; divites superfluis expensis & prodigalitate murmurationes excitant; pauperes importunitate ad indignationem & contemptum divites cōcitant: omnes deniq; maligni suis exemplis, illusionibus, & vanis persuasionibus ad malè operādum perducunt; meritò ergò S. Bernard. aiebat: *Vtinam soli nos impugnarent maligni spiritus cum suggestionibus suis, & nihil nocerent homines perniciosis exemplis, & persuasionibus importunis, atque aliis modis.* Homines verò his in rebus adeò excellunt, ut ubi plures homines simul degunt, Dæmon vix ad illos tentandos procedat, quia se mutuò sufficienter exagitant.

Matth. 4. 3.
Ibid. 11. 16.
Ibid. 22. 18.
S. Bernard. serm. in Pent.

14. Hinc fortè legimus Salvatorem in desertum adductum fuisse: *Vt tentaretur à Diabolo.* Nónne poterat illum in civitate tentare, ubi objecta ad malum provocantia numquam desunt? Poterat quidem, sed in civitatibus hoc officium Diabolus hominibus relinquere solebat, ipse autem desertum ut proprium locum arripit, cùm nullus ibi sit qui molestet. Isaias prædicendo magnam Babyloniæ civitatem ab hominibus deserendam & in desertum redigendam, pro signo dat, quòd *Pilosi saltabunt ibi.* Per hos pilosos S. Jeronymus Diabolos intelligit, valet ergò consequentia, ubi Dæmones plurimi saltant, ibi est desertum; ubi siquidem frequentes sunt homines, non oportet Diabolum laborare ut tentet, cùm inter se officium illud meliùs exerceant.

Matth. 4. 2.
Homines se mutuò maximè vexant.
Isai. 13. 21.

erceant. In parabola zyzaniorum legimus, post seminationem Diaboli, qui zyzania super frumentum seminaverat, illum abivisse, quasi illic opus non fuisset suâ præsentiâ, & permitteret tentationem aliis meliùs scientibus.

Matth. 13. 25.

Cur Christus in desertum secesserit.

15. Ad desertum quoque Salvator tendit ut suo exemplo nos erudiat; ut si Diabolum superare velimus, si pœnitentiam agere, si in altissimam contemplationem evehi, hominum conversationem nobis fugiendam; benè ad hoc intentum notanda sunt verba S. Marci, dicentis: *Eratq; cum bestiis, & Angeli ministrabant ei.* O miraculum ingens, Rex cœlorum, Dominus Cherubim & Seraphim, Creator universi, cum feris habitationem instituit, ut jam Nabuchodonosori dictum fuit: *Cum bestiis, ferisq; erit habitatio tua.* Crescit admiratio, quòd ibi existens, Angeli ministrabant ei; quis ergò adeò excelsus, cui cœlestes spiritus inserviunt? ita humilis, ut consortium admittat animalium? adeò sublimis, ut pro summo favore reputent Angeli illi ministrare? adeò humilis, ut non dedignetur animalium societatem? tantâ majestate fulgens, ut summâ reverentiâ & timore nobilissimi cœlorum aulici accedere vix præsumant? adeò benignus, ut ferociora deserti animalia ad illum adveniant?

Marc. 1. 13.

Dan. 4. 22.

16. Accidit quandoque ut supremus Princeps amore cujusdam pulcherrimæ adolescentulæ, sed inferioris sortis, capiatur; ipse verò nec divitiis, aut nobilitate indigens, illam in uxorem sibi asciscere cogitat, unde affinitatem cum vilibus personis contrahere cogitur, ac nuptias celebrando, illos mensæ suæ admittere non dedignatur; mensæ tamen ejus nobiliores aulici inservire solent, quibusdam verò admirantibus, & dicentibus, quomodo viles illæ personæ mensæ assident, & nobiliores inserviunt? respondetur, Principem propter sponsalia inita affinem illorum evasisse, ideoque talem illis exhibere honorem. Pari modo in casu nostro dicendum videtur; cœlorum Rex naturæ humanæ, rusticæ, & simplicis amore capitur, non respiciens vilitatem aut abjectionem ejusdem, vult sibi in uxorem assumere, ut per sanctissimam incarnationem suam effecit; contraxit ergò affinitatem cum amicis sponsæ suæ, filiis ejusdem matris, qui sunt bestiæ & animalia eodem die cum homine de terra creata. Ut sciremus ergò adeò immensum Dei amorem erga homines fuisse, ut nullo modo dedignetur illam in sponsam assumere; licet

Deus præ amore hominem sibi copulavit.

licèt certo quodam modo animalibus conjungi videretur, vult illa quasi domestica in societatem suam admittere, dum cœlestes aulici reverenter illi ministrant; ideoque dictum; Marc. 1.13. *Eratq; cum bestiis, & Angeli ministrabant ei.*

Homo medius inter Angelum & bestias.

17. Considerandum quoque est, hominem medium esse inter Angelos & animalia, ratione quippe sensuum brutis assimulatus, & respectu intellectûs, Angelis similis. Quid ergò sibi vult, Salvatorem in consortio suo admittere extrema, & medium derelinquere? Ut nobis fortè exhibeat, aliquem non posse in medio consistere, sed necessariò se alicui extremo adjungi oportere, vel sanctum esse debere, vel malignum, Angelis, vel bestiis sociandum? Hoc ita quoque intellexisse videtur Aristoteles in principio suæ Politicæ, dicens; solitarium, aut Deum, aut brutum esse debere. Vel hoc agebat ut hominem zelosum redderet, & quasi confunderet si illum relinqueret, dicens; non te excusare potes ô homo quòd mecum esse non possis, si enim corporis molestias & gravitatem alleges, ecce animalia corpora terrestria ut tu habentia, mecum manent; si vivacitatem spiritûs aut intellectûs culpes, ecce Angeli purissimi spiritûs, & nobilissimæ intelligentiæ me numquam relinquunt. Cùm etiam deliciæ ejus essent cum homine conversari, illo absente, præ amore sufferre non poterat; quin similitudinem illius secum haberet; hanc autem non magis naturalem habere poterat quàm Angelorum & animalium, quandoquidem in homine hæc duo conveniant, ut bestia est corpus, ut anima est Angelus. Mysticè quoque in animalibus pœnitentes peccatores, in Angelis justi repræsentati sunt. Hi omnes ad Salvatorem currere debent, maximè cùm peccatores adeò benignè ab illo recipiantur, ut mensæ ejus accumbant, nec dedignetur illos in consortium Angelorum admittere. Hæ aliæque rationes adduci possent.

Deum relinquere non debet.

Quantum fugienda humana consortia.

18. Proposito nostro magis inservire videtur, Salvatorem nostrum demonstrare voluisse, quanti æstimet, ipsique cordi sit, hac occasione & exemplo suo nos docere, ut hominum societatem fugiamus; sicut enim in Apocalypsi Deus ostendens quantum sibi tepiditas displicebat, dixit: Apoc 3.16. *Vtinam frigidus esses aut calidus*; sic Redemptor noster docet, ut homines fugiamus, in quodlibet potiùs extremum deveniendum, vel cum Angelis, homines longè excedentibus; vel cum feris, multùm inferioribus, potiùs agendum.

gendum. Nec ſine myſterio legimus, Angelos illi non miniſtrâſſe, aut in conſortio illius permanſiſſe, dum cum hominibus verſabatur, ut in deſerto accidiſſe legimus, dum cum feris agebat, quaſi illi quoque potiùs inter feras, quàm inter homines eſſe gauderent. Diabolus denique aquâ benedictâ fugari poteſt, ut autem te ab homine defendas, nec bombardæ, nec arma ſufficiunt; ſicut etiam homo (ut auctor operis imperfecti in Matthæum) non poteſt inimicum abſque armis lædere, ſic Dæmon ſine hominum adjutorio: *Sicut homo ſine armis non poteſt aliquid facere contra hoſtem, ſic Diabolus etiam ſine homine non valet aliquid contra ſanctos.*

Homo naturâ pejor.

19. Quis ergò cum homine de feritate & crudelitate contendere poterit? an natura, cùm illa humana ſit? quæ certè damna ab hac non recipimus? tot infirmitates, miſerias, & afflictiones, & quod omnes in mundo tribulationes excedit, mortem ipſam omnium terribilium terribiliſſimam. His tamen malis longè à damnis & calamitatibus, per hominem homini cauſatis, abeſſe cernitur. Dum ſiquidem mortem infert, quantâ providentiâ & benignitate id ipſum peragit? ne quippe genus humanum ſimul pereat, paulatim nunc hunc, nunc illum arripit, non ſimul omnes crudeliter abripiendo, ſed alios ſubinducendo, alios ſuaviter deſinere efficit. Homo verò adeò ferox & immanis, ut milliaria unicâ vice interficiat. Sylla viginti quatuor millibus in villa ſua redactis, omnibus ſimul mortem intulit. Lucius Lucullus Conſul, viginti millia ſibi ex fœdere redacta, ſimul neci tradidit. Valerius Meſſala, non contentus ſe trecentos in Aſia, ubi Proconſul degebat, per carnificum manus interemiſſe; ſed per mortuorum cadavera tranſiens, ſibique applaudens, dixit; ô factum regium! Theodoſius, alioquin benignus, ſeptem millia Theſſalonicenſium à ſe ad ludos & ſpectacula invitatos, à militibus crudeliter mortem inferre præcepit. Antoninus Caracalla totam Alexandriæ civitatem militibus in prædam dedit, & quaſi hominibus vacuam effecit. Metriades unicâ epiſtolâ octoginta Romanorum millia in regno ſuo innocenter degentium, crudeliter enecare curavit. Cajus Caligula dolebat populum Romanum non unâ cervice præditum, ut uno ictu præſcindi poſſet. Ezelinus à Romano temporibus noſtris vicino, duodecim hominum millia unâ die interfici curavit. Temporum noſtrorum ſtrages, bella, crudeli-

Quanta humana crudelitas.

Variorum crudelium exempla.

crudelitates, civitatum direptiones, aliaque crudelia acta silenti calamo prætereo, nec enim finem his imponendum reperire valerem. Natura insuper mortem adducit, ut finem tantis miseriis & calamitatibus imponat, semper quippe miserè vivere, nimia esset afflictio; idque tantâ perficit benignitate, ut piæ instar matris sensus omnes consopire faciat, ne dolorem aut tormenta sentiat. Hominis verò immanitatem quis recensere audebit? non enim benigniori modo mortem asciscere alicui solet, sed ferinâ, non humanâ rabie actus, omnes crudelitatis explorat latebras quò hominum neci deserviat. Ita asserebat impius ille Tiberius cuidam morienti: *Sentiat se mori*; hinc omnia tormentorum excogitata supplicia; tauri æneï, pectines ferrei, craticulæ ignitæ, ollæ, ac sartagines succensæ, rotæ aduncis præparatæ hamis, serræ, forcipes, equulei, ferrei compedes, aliæq; id genus infernalium tormentorum inventiones, ut miseris hominibus immanissimè vitam eriperent.

Homo feris immanior.

20. Naturæ universali attribui possunt animalium productiones, leonum, tygrum, ursorum, serpentum, aliorumque in hominem crudeliter sævientium; multò tamen ipsis immanior est homini homo. Testentur hoc martyres qui bestiarum humanitatem experti, ipsarum feritatem hominem induisse conspexerunt. Miracula tamen & supernaturalia deserentes, quæ in his adversarii arguere possent, cùm tamen major bestiarum quàm hominum erga Deum obedientia hinc reluceat, videbimus homines bestiis sæviores esse. Primò feræ omnem rabiem unicâ effundunt vice, & citiùs vitam adimunt; sed homo violentâ morte, acerbissimis pœnis paulatim enecat. Bestiæ cicurantur, hominibusque inserviunt; homines verò quò magis domestici, eò pejores: *Inimici hominis domestici ejus.* Matth.7.6. Diogenes cuidam interroganti quod animal crudelissimum, ex indomitis (inquit) draco est; ex domesticis verò adulator. Meritò quoque S. Cyprianus exclamabat, dicens: *O humanæ malitiæ detestanda crudelitas, feræ parcunt, aves pascunt, homines insidiantur & sæviunt.* S. Cyprian. serm. de Orat. Domin. Feræ, inquit, ignoscunt, alludens ad Danielem Prophetam à famelicis leonibus intactum, ad mortem autem à Darii aulicis conductum. Aves pascunt, Eliam nempe Prophetam à corvo cibatum, & à Jesabele ad mortem quæsitum asserens.

Confirmatur ulteriùs.

21. Animalia ut semel rabidæ indulsêre gulositati, non

plus sæviunt; homo verò non ut famem expleat, sed ut furori indulgeat, damna & tormenta infert, unde immanis crudelitatis fames nunquam satiata remanet. In bellua illa Danieli repræsentata homo monstrari potest, quæ ferreos habens dentes, quidquid illis comminuere aut devorare nequibat, pedibus conculcabat. Feræ armis naturalibus solummodò præditæ, quæ natura variis variè distribuit, his caput armavit, illis pedes ungulis exacuit, aliis ori & dentibus vires contulit, aliis venenum, aliis agilitatem, aliis astutiam dedit. Homo licèt à natura inermis productus, non tantùm à capite ad pedes armandi reperit modum, verùm etiam membra universa in arma convertit; in gladium ancipitem linguam, manus in uncinos ferreos, oculorum intuitus in sagittas ignitas, in catenas retortas brachia, in malleos ferreos pedes. Quæ insuper instrumenta & media lædendi, ac damna inferendi non adinvenit? ut à longè, propè, palàm, occultè, vi, ac fraude manibus concutiat, pedibus atterat, oculis conficiat, linguâ inficiat, corde insidias machinetur; in bonis, honore, famâ, & vitâ damna inferat, ut penitùs deleat, ac conculcet. Meritò ergò auctor operis imperfecti dixit: *Vnaquæque bestia unum habet & proprium malum, homo autem omnia habet in se.* Quæ ergò bellua vel aliqua nocendi causa homini comparari poterit?

Homo omnibus membris armatus.

22. Dicet tamen quispiam, peccatum à nobis inter causas tribulationis relatum, quo nihil pejus reperiri posse videtur; immanitate suâ homini præferendum. Apertè id casta Susanna edocuit, cui cùm hæc duo proposita essent pericula; vel in manus inimicorum incidere, vel peccatum adulterii committere, prudenter se resolvit, dicens: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Optimè etiam dixit, respectu mali culpæ; sed quantum ad tribulationes, majores sunt hominis quàm peccati; hoc siquidem personam delinquentem offendit: *Anima quæ peccaverit ipsa morietur*; homo neminem reveretur. Ut Bethsabee Davidi Regi persuaderet, ut Salomonem filium suum successorem eligeret, pro ratione adduxit, quòd ipsa & filius alioquin peccatoribus traditi fuissent: *Erimus ego & Salomon peccatores.* De ipsa hoc non fuisset admirandum, peccans quippe cum Davide, hoc promeruerat. Salomon autem nónne innocens erat? certè ita, cur ergò ut peccator excipi debebat? homo hæc non respicit,

Homo peccato deterior.

Dan. 13. 23.

Ezech. 18. 4.

1. Reg. 1. 21.

spicit; sed odiendo aliquem sive peccatorem, sive innocentem, pessimè ut potest excipit.

Confirmatur ulteriùs. 23. Peccatum si tribulationis occasio, etiam afflictum consolatur, & patientiam persuadet; instar medici medicinam amaram porrigentis, & consolando dicentis: *Cordi est charum quod ori est amarum*; hanc siquidem infirmitati ejus congruere. Experientiâ quoque patet, aliquem gravissimum scelus committentem, ratione cujus ad mortem sit condemnatus, patienter illam sustinere in remissionem peccatorum, dicens; illam mihi promerui. Ita latro cum Christo cruci affixus, aiebat: *Nos quidem digna factis recipimus.* (Luc. 23. 41.) Quasi diceret, occasionem conquerendi non habemus, cùm hanc mortem factis nostris ascivimus. Homo verò non tantùm non consolatur, sed vulnera vulneribus infligens, dolorem dolori addit, juxta illud Psalmistæ; super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Peccatum denique contritione & cõfessione deletur: *Peccavi Domino*, inquit David Nathan; & subitò audivit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* (2. Reg. 12. 13.) Ut verò ab hominis persequutione te eripias, nullum superest quandoque remedium; unde meritò dicebat pius ille rex Israël, illos ut serpentes esse, qui cohiberi non possent: *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* (Psal. 57. 5.)

Homo major tribulationis occasio quàm virtus. 24. Si homo peccato non cedat, virtuti cedet forsitan ipsi contrariæ, & causis tribulationum à nobis annumeratæ? non hoc cogitetis; in quo enim illam non superat? virtus ut dicebamus, occasio tantùm tribulationis erat, sed homo est vera causa. Summus denique favor & honor est pro virtute pati; quinimò beatum est, dicente Salvatore: *Beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam*; (Matth. 5. 10.) homini verò non sufficit bonis & vitâ spoliari, honore quoque privare cupit. Naturalistæ dicunt leonem os fœtens habere; unde animal ab ipso occisum, eundem fœtorem retinet; ut nemo ex carnibus illis vesci audeat. Talis est homo, ideò David ad Dominum clamabat, dicens: *Salva me ex ore leonis*; (Psal. 21. 22.) non enim illi occidere sufficit, vult quoque me infami odore inficere, quasi promeritus fuissem. Achab & Jezabel videntes Naboth vineam insignem possidere, illam sibi arripere cupiunt; nec eâ contenti, vitam quoque auferre cogitant; nec vitam solùm, sed & honorem, ideoq; ut blasphemum & infamem lapidare curant.

rant; ô quale os leonis!

Homo fortunâ iniquior. 25. Ad fortuam ergò transeamus tribulationis etiam causam, juxta opinionem plurium, sed illa quoque facilè campum cedet. Primò siquidem, fortuna nomen fictum est, aut causa tribulationis per accidens; homo autem vera & realis est causa, & delectationem ex tribulatione & malo alterius accipit; Exod. 15. 9. unde crudelis ille dicebat: *Persequar, & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea.* Homo insuper malum fortunæ attributum retinet, nec tamen bonitatis illius participat; quodnam est verò bonum ejus? quòd in malo infligendo instabilis sit; unde ab illa tribulationem suam recognoscens, se consolatur certâ fiduciâ citò in melius commutandi, & rotam vertendam. Qui lusum amittit, sperat non semper perdendum; qui clade bellicâ dejicitur, non semper jacebit; quia 2. Reg. 11. 25. *Varius est eventus belli.* Quod malum fortunæ? inconstantia in bono; hodie siquidem tibi favet, cras te persequitur. Homo verò qualis est? in bono instabilis, & in malo nimis obstinatus; si hodie faveat, cras te non cognoscit; si semel inimicus evadat, numquam te persequi sinet. Ad Saul dum juvenis David adduceretur, subitò amore ejus captus fuit; sed quàm diu duravit? parvo tempore, quia illum denuò conspiciens, non cognovit, sed quis esset, petiit. Ubi amor prior quô illum prosequebatur? fuit amor humanus fortunâ instabilior. Postmodùm verò metuens ne potentior evaderet, ipsum odiô persequi cœpit; quàm diu id duravit? donec vixit; si fortè quoque in perpetuum vixisset, tam diu durâsset. Sapiens igitur obstinationem humanam cognoscens, dixit: *Non credas inimico tuo in æternum, & si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, & custodi te ab illo.* Eccli. 12. 10. Si verò amicus mihi erit, poteróne semper de illo me confidere? verbum asperum aut non præmeditatum, vel servitium ipsi negatum, subitò amicitiam dirimit. Idem testatur Sapiens, dicens: *Mittens lapidem in volatilia dejicit illa; sic & qui convitiatur amico dissolvit amicitiam.* Eccli. 22. 25.

Humanæ persequutiones pejores cœlestibus. 26. Ultima tribulationis nostræ causa de quâ hactenus discurrimus, est cœlum cum suis astris, de quibus probavimus nullas tribulationes esse cognoscendas; quàm tempestates, fulgura, & ventos. His verò quis nesciat hominum persequutiones pejores esse; cœlum omnes minatur & exterret, fulmine, tonitru, & tempestate; postmodùm verò vix quandoque unum interficit. Homo rectè contrarius, plura

factis

factis quàm minis intentans; quinimò cœlo sereno & facie ridente sagittas ignitas mittit, ut testatur Propheta regius:

Psal. 54. 22. *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Ne verò in ullo cœlo cedat, instrumentum illud diabolicum bombardam reperit, quâ etiam fulgura & tonitrua emittere potest. Illa tamen est differentia, quòd ubi cœlum primò tonat, admonens quasi ut interim latibula quæras, aut avertas malum. Homo econtrà repentè absque monitione prævià ignitum ejiciens globum, primò te percutit antequam sonus ad aures tuas perveniat.

Crudelitas viri deterior mulieris.

27. Quid ergò crudelius homine homini? an mulier cui Sapiens epithetum crudelis tribuit, dicens: *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.* (Prov. 5. 9.) Ne videlicet mulieri extraneæ honorem tuum committas, & ætatem tuam crudeli & implacabili instar feræ sylvestris divendas. Hoc conforme est illi quod S. Joannes Chrysostomus ait: *Scio ego & aspides blandimentis incantantium mitigari, & leones, ac tigres, & pardos domitâ feritate mansuescere; at mulier mala non ita.* (S. Chrysost. hom. 15. ex variis in Mat.) De crudelitate muliebri respectu viri in sequentibus discurremus; modò verò dicendum videtur, quòd licèt quantumvis fera sit mulier, respectu viri tamen clemens & misericors dici posset.

Quàm potens clementia muliebris.

28. Quoties per mulierem furor viri mitigatus fuit? Abigail placavit Davidem, qui indignatus contra Nabal Carmeli, omnia properabat destruere. Esther Assuerum Hebræis benignum reddidit, & ne omnes interficerentur impedivit. Livia inimicis ignoscere edocebat, & amicum Cæsarem reconciliare. Vetturia Martium Coriolanum retinuit, ne patriam suam Romam destrueret. Placida furorem Theodorici Romam destruere volentis mitigavit. Quid de obstetricibus Hebræis referam, quæ populum Hebræum salvababant à crudelitate Pharaonis. Quid de filia Pharaonis Moysen ex aquis educente, & ut filium proprium enutriente dicam? Quid Raab exploratores Israëlitarum abscondentem commemorem? Michol David de manu patris sui liberavit? Quid de mulieribus Sabinorum proferam, quæ proprio vitæ periculo in medio bellantium constitutæ, feroces Sabinorum & Romanorum animos sedabant.

Mulierum benignitas erga Christum.

29. Ut finem denique imponamus, mulieres & non viri Salvatorem nostrum suis facultatibus alebant, eique ministrabant. Mulieres in propriis ædibus illum recipiebant. Unica mulier vocem elevando

Pharisæos confudit, miracula ejus Diabolo tribuentes, dicens: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti*; cùm nullus virorum loqui auderet. Mulieres plangentes & lamentantes ad montem Calvariæ Christum sequebantur; ubi unicum virum vi quasi adducere debuerunt, ut crucem Christo ferre juvaret. Mulieres pietate motæ, sanguineum sudorem afflicti vultûs Salvatoris abstergebant, uti Veronica fecit. Mulieres, fugientibus Apostolis, cruci ejus astiterunt, & sepulturæ interfuerunt, ac primæ in monumento illum quæsiêrunt. Una Gentilis mulier Pilato proposuit liberationem Christi, cùm omnes viri in mortem ejus conjurâssent. Pectus denique muliebre adeò est misericors, ut Scriptura volens Dei benignitatem & charitatem exprimere, pectori & uberibus mulieris attribuit: *Meliora sunt ubera tua vino*. Isaias quoque dicit: *Ad ubera portabimini*. In Apocalypsi: *Præcinctum ad mamillas*. Inter nomina Hebraica Deum significantia, unum est *Saddai*, quod propriè significat, *Deus uberum*; quasi mulieris instar parturientis ubera habeat lacte plena; & alio modo mirabilem ejus pietatem & clementiam exprimere nequiret. Clarum ergò est nihil crudelitati viri æquiparari posse.

Luc. 11. 27.

Cant. 1. 2.

Isai. 66. 12.

Apoc. 1. 13.

30. Quam ergò comparationem crudelitatis humanæ instituere poterimus? ego dicere non aliud valerem, quàm infernalem esse; nec hæc comparatio noviter excogitata, Sapiens quippe verba iniquorum referens, dicit seipsos inferno assimulare: *Deglutiamus eum sicut infernus viventem*. Sed quomodo *infernus viventem*? Ad infernum post mortem descenditur, quomodo ergò illi dicunt deglutire viventem ut infernum? volunt se inferno crudeliores exhibere; sicut enim infernus quantumvis impium & sceleratum, ipsiusque devorationi destinatum, non priùs arripit nisi mortuum videat; iniqui tali patientiâ abutentes, mortem expectare recusant, sed vivum deglutiunt & excruciant. Dico insuper infernum neminem persequi, sed os solùm aperire donec impii in illud spontè incurrant; dicente Isaiâ Prophetâ: *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino; & descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes gloriosiq; ejus ad eum*. Non illos persequitur, sed spontè se præcipitant. Homines verò quos offendere volunt, etiam sub terra quærent donec inveniant; ideoq; piscatoribus & venatoribus assimulati: *Ecce ego mittam eis venatores, & venabuntur eos; & piscatores, &*

Humana crudelitas inferno pejor.

Prov. 1. 12.

Isai. 5. 14.

Isai. 16. 16.

pisca-

piscabuntur eos. Infernus impios solùm castigat, homo sæpiùs in justiores insurgit; ille terminos à Deo sibi impositos non transgreditur, hic nullum ferocitatis terminum agnoscit; ille mortuos suos ad Dei præceptum tradet in judicio universali, hic quantumvis Deus inimicis præcipit ignosci, non tamen hoc exequi cupit. In horum tamen numero nollem auditores meos esse; ideoque contrarium exhibere inimicis ignoscendo, nec tenaciores sitis vestræ pecuniæ, quàm infernus suorum incarceratorum; cùm enim Deus præcipiat ut pauperibus dividatis, liberaliter, libenter idipsum exequimini.

PARS SECUNDA.

Cur rationes contrariæ non adductæ. 31. Mirum fortassis vobis videbitur me solitum disputandi modum transgressum, nec rationes pro unâ & alterâ parte adduxisse, sed inauditâ parte & ratione defensivâ, hominem per omnia condemnatum dimisisse. Ut verum tamen fatear, adeò clarè hac vice veritas patet, ut nullam defensionem assumere ausus fuerim, nec contrariam partem in medium adducere. Quid enim adferre potuissem, inimicos utiles, multorumque bonorum causas existere? unde Oraculum istud: *Major serviet minori,* (Gen. 25.23.) exponit S. Augustinus, dicens: *Non obsequendo, sed persequendo.* Verum quidem est, sed si offensiones utiles, beneficia nociva erunt, ut notat S. Gregorius Nazianzenus scribens Sophronio hoc modo: *Usque modò læserunt nos osores nostri, ut optarem nos aliâ hujusmodi injuriâ affici. fit enim sæpenumerò, ut qui lædi videntur, beneficio afficiantur; & qui putantur beneficiis affici lædantur.* (Nazianz. Epist. 114. inter Basil.) Adjungamus insuper si inimici nobis benefaciant; hoc est, quia tribulatio per se est utilis, non ex beneficio hominis; Si enim hæc ratio valeret, nequidem Diabolus malorum causa dici posset, cùm ipse quoque suo damno nobis sit utilis. (*Rationes contrariæ diluuntur.*)

32. Quid dici poterat, hominem homini plurima præstare beneficia; unde natum proverbium: *Homo homini Deus?* Verum est, sed hoc non impedit, quin plura exhibeat mala, juxta Philosophorum regulam: *Corruptio optimi est pessima.* Quantò magis homo amicus prodest, tantò magis inimicus nocet. (*Homo plura mala quàm beneficia confert.*) Fortè dices inimicis carentem timere non debere? sed quis dico inimicus privatus existit? quando liberum te credis ab omnibus, amici tui evadent inimici. Hoc benè intelligens Onimadius Chio, post victoriam contrariæ factionis in civitate sua obtentam, noluit adver-

adversarios ejici, dicens, ut refert Alexander ab Alexandro, inter illos modò amicos inimicitiam exoriendam. Idem Romanis accidit, qui externis inimicis deficientibus, internis odiis ac dissentionibus perierunt. Quod pejus insuper est, sub fictâ amicorum gratiâ plura quandoque sentimus illata damna, quàm ab inimicis apertis. De eo summoperè conquerebatur David dicens: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.* Psal. 54. 13.

Homo propriam naturam corrumpit.

33. Quid dici poterat hominem natura benignum ac mansuetum esse? verum est, cùm tamen liber sit, propriam corrumpit naturam, & tantò magis sylvescit, quantò naturâ placabilior fuit; sicuti quantò magis aliquod animal domesticum est, ut canis, tantò majora rabidum & ferox evadens, damna infert. Quid dici poterat, fortè in persequendo illum Dei aut Diaboli instrumentum esse, & illo pro bono nostro uti, hoc verò ad malum inferendum; unde Patriarcha Jacob de Simeone & Levi filiis suis loquens, qui multos Sichimitas occiderant, ait: *Vasa iniquitatis bellantia*; instrumenta bellica eos appellans? verum est, sed instrumenta libera sunt à principali agente non coacta; unde malâ intentione sæpiùs pejùs operatur, quàm vellet ille qui dirigit ea; instar carnificis crudelis. Jacob etiam qui instrumenta bellica eos appellavit, non omisit dicere: *Maledictus furor eorum quia pertinax, & in consilium eorum non veniat anima mea.* Concludamus ergò, maximam tribulationis causam unum hominem alteri præbere; unde juxta dictum Salvatoris, ab homine cavendum: *Cavete autem ab hominibus.* Juxta morem quoque documenta excipiamus. Gen. 49. 5. Ibidem. Matth. 10. 17.

Deus propter hominem non deserendus.

34. Primum documentum ex hoc Discursu hauriendum erit, ut discamus homines non adeò amandos aut æstimandos, ut propter illos Deum offendamus; etenim si majorem non habeas inimicum quàm hominem, nec majorem amicum quàm Deum, qualis erit insipientia Deum amicum relinquere, ut inimicum sequaris? An credis hominem illum tibi semper adfuturum, & ab omnibus malis erepturum? Deciperis, primus siquidem te deseret & persequetur. In bello quod Absalon contra David gessit, cùm ultimo conflictu Absalon per capillos suos ex arbore pependisset, & miles nuntium illud Joab attulisset, dixit illi; si vidisti quare non interfecisti, & ego plurima tibi donâssem munera? nequaquam inquiebat miles, si omnia mihi donare velles, non hoc efficerem, 2. Reg. 18.

rem, Rex quippe præcepit omnibus ut salvetur Absalon: si enim illum occidissem, Rex hoc facilè scire potuisset, & tu contra me egisses. Quàm benè miles ille respondit; persuades mihi hanc inobedientiam contra Regem meum exequi; sed tu non solùm mihi postmodùm profuisses, sed contra me egisses ut me condemnares. Hic mos hominum est, persuadent malum facere, & primi postea obmurmurant, & vindictam exquirunt. Ut Deum offendant conveniunt simul Adam, Eva, & Serpens; sed ante Dei tribunal se invicem accusant; & à Deo unus ad punitionem alterius ut instrumentum assumitur. Pilatus à Judæis audiens: *Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris*. Ne gratiam Cæsaris perderet, Christum condemnavit; & ab eodem Cæsare postmodùm condemnatus fuit, & eò adductus, ut sibimet mortem attulerit.

Homo infidus socius.

Joann. 19. 12.

Deus nostris armis nos castigat.

35. Deus ergò nobiscum agere videtur ut Dux exercitûs, contra quem cùm quispiam privatus arcu aut gladio insurgit, illud instrumentum arripiens quo se lædere volebat, eodem illum percutiendo castigat; hoc siquidem instrumento quo Deum offendebas te punit. Deus id præclarè per Oseam testatur, dicens: *In die illa conteram arcum Israël, in valle Iezrahel, & vindicabo sanguinem Iezrahel*, dixerat. Quid facies Domine? confringam arcum Israël; sed hæc vindicta puerorum videtur, qui virgâ percussi satisfecisse videntur, illam rumpendo. Dicere possem Deum adeò misericordem, ut sufficiat illi arcum confringere quô illum offendisti. Meliùs tamen dicamus illum confringere arcum supra dorsum ejus qui illum offendit. Arcus quo Deum offendisti, fuit pulchritudo tua, & hanc Deus conteret supra caput tuum, quia illam infirmitate, aut aliâ calamitate te amittere coget. Arcus quô sagittas in cœlum immisisti, fuerunt divitiæ tuæ & bona temporalia, Deus autem illum supra humeros tuos confringet, nam contra te accusationem concitabit, quâ in carcerem redactus & miserè afflictus, ut inde evadas oportebit te solvere & expendere quicquid habueris. Magis autem proposito nostro dicamus; arcus quô contra Deum invaluisti, fuit ille quem tibi amicum putabas, per quem plura scelera perpetrâsti; & Deus illum supra dorsum tuum confringet, efficiens illum inimicum, qui omnia tua scelera palàm faciens, seipsum, & te pariter consumet. Annibal Carthaginensium Dux, cùm multos haberet captivos, illos simul pugnare

Oseæ 1. 5.

cogebat; qui verò contra illum simul conspiraverant, se mutuò interficere curabat. Licèt hoc quoque manibus palpemus, nihili Deum facimus, sed homines multum æstimamus.

Magis homines quàm Deum æstimamus.

36. In actibus Apostolorum legimus, S. Paulum cum aliquibus sociis absque examinatione, ad instantiam quorumdam inimicorum fidei flagellatos fuisse, de quo conquerens, postmodùm dixit: *Cæsos nos publicè, indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem.* (Actor. 16. 37.) Quod cùm intellexisset Magistratus: *Timuerunt valdè.* Sed cur timuerunt? fortè quia injustitiam illam commisissent? Non, sed quia: *Audientes quòd Romani essent.* Quòd justè, vel injustè flagellati essent, parum referebat; sed quòd Romanos, eo tempore mundo imperantes, flagellâssent, hoc illos summoperè premebat. Nobis autem omninò contrariè agendum, cùm enim tam parum in gratia hominum confidere possimus, attendamus acquisitioni gratiæ divinæ; cum S. Paulo dicentes: *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die, qui autem judicat me Dominus est.* (1. Cor. 4.3.)

Homines omninò fugiendi.

37. Secundum documentum sit, fugere hominum societatem & consortium; si enim tam parum de nobis confidere possumus, & si tot malorum sint occasiones, cur non fugiemus? *Fuge multitudinem*, (aiebat Seneca) *fuge paucitatem, fuge etiam unum.* (Senec. epistol. 10.) Licèt in desertum secedere oporteret, melius tibi erit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam.* (Psal. 54. 7.) Quò tendere velles David? in solitudinem; ideoque prætendens se exauditum, subjungebat: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Cum illo Jeremias conveniens, & diversas hominum inter se deceptiones cognoscens, dicebat: *Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum*; (Jerem. 9.2.) quis, inquit, constituet me in deserto, licèt pauper & omni bono spoliatus, ut solet esse tugurium, in quo transiens paulisper requiescit? Pariter valdè benè solitudinis utilitatem cognoscebat S. Jeronymus, dicens: *Mihi oppidum carcer est, & solitudo paradisus.* Hoc dicendo videbatur multò excessisse, sed verum dixisse reperietur; melius quippe quod in paradiso cœlesti invenitur, est consortium Dei & Angelorum. Hoc consortium in deserto reperitur; ubi enim homines deficiunt, Deus adest, teste S. Joanne Chrysostomo: *Non habes homines, sed Deum habes.* Ita ut pro extraordinario & insolito Deus adferat, quòd in fine mundi dicentibus, ipsum in deserto esse, non debere credere: *Si ergò vobis dixerint, ecce in deserto est, nolite exire*; non (Matth. 24. 26.)

dicit: *Si vobis dixerint, ecce in civitate est*; quia hoc Apostoli nequaquam credidissent; sed dicendo: *Ecce in deserto est*, requiritur admonitio Salvatoris ne credamus.

Anima securior in deserto quàm in paradiso.

38. Quinimò quasi dicere auderem securiorem animam in deserto, quàm in paradiso esse; ut autem Adamum & Evam relinquamus, qui de paradiso ejecti fuerunt, approbationem ex Apocalypsi vobis adducam. Vidit S. Joannes draconem ferocem contra duos inimicos furorem concitasse, ambosque devincere cogitabat: unus, erat mulier infantem utero gerens; alter, erant stellæ cœli; quis non diceret illum facillimè victorem mulieris gravidæ evasurum, potiùs quàm stellarum? quid enim fragilius muliere gravidâ? quid validius & fortius stellis cœli? in vanum quis has impugnat. Ecce tamen mirabilis hujus pugnæ successus, nil potuit draco contra illam; sed omnibus attentatis, cum pudore cedere oportuit; has verò non videtur adeò curare ut omnes adhibeat vires, sed caudâ ad illas extensâ, tertiam illarum partem detraxit. Quid sibi hoc vult? alii fortè alias adducent rationes; ego verò nulli alteri meliùs attribuendum censeo quàm loco, mulier siquidem in deserto erat; illæ verò non, sed omnes simul congregatæ. Clarè id sacer Textus affirmat, dicens; Deum mulieri duas dedisse alas ut se à faucibus draconis eripere, & in desertum confugere posset. Ille ergò locus securior omni alio, ubi consortium malorum est, licèt ipse paradisus esset.

Apoc. 12.

Quomodo desertum petendum.

39. Sed quid, ergóne in desertum abeundum? Hoc modo deserta civitates efficerentur, & mundus desertum. Pulcherrimum hîc vobis Auditores modum exhibebo desertum petendi, nec civitatem deserendi? Singuli desertum particulare in cubiculo, vel conscientiâ efficere poterunt. De hoc in sensu morali loquebatur Job, dicens: *Somno meo requiescerem cum Regibus & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Quis enim vidit unquam solitudines ædificari? Domus civitatis ædificantur, solitudines autem sunt ubi nullum ædificium, nec habitatio, nec ars ullam in ea habet partem; sed natura sibi totum vindicat. Licèt quoque solitudines ædificari possent, quis Princeps non vellet potiùs statum suum habitatoribus & ædificiis plenum reddere quàm desertum efficere? Quomodo ergò inquit S. Job, Reges ædificare solitudines? Per Reges homines insignes virtute præditos intelligit, qui appetitus sensuales regere nôrunt; hos

Job 3.14.

Solitudo in conscientia formanda.

autem ait solitudines, non omnibus, sed sibi ædificare; in medio quippe populi solitudinem tenere & se ab hominibus abstrahere nôrunt, corpore quidem illis præsentes, sed animo sibi & Deo intenti. Quidam etiam ne quidem cum hominibus conversantur, sed in domibus suis particulariter degentes, quasi extra mundum vivunt; nihil ex eo percipere volentes, nisi quantum miserabili vitæ sustentandæ sufficiat; non vanitates aut nova nuntia sectantes, non affectibus terrenis inhiantes, nullis personis communicantes, nisi occasione virtutis & perfectionis majoris.

Solitudo in secreto quærenda.

40. Talem sibi solitudinem ædificaverat Judith vidua illa casta & sancta; quia *In superioribus domûs suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur.* Attendite mulieres quæ titulum honestatis summoperè cupitis; non tantùm fugiebat Judith aspectum personarum extranearum, verùm etiam domesticarum. Non sufficiebat illi domi manere, sed in secretiori parte domûs, in superioribus; ideoque ab ostio & plateâ magis distans, cubiculum fecit, ne ab omnibus faciliter inveniretur. Non tamen secura sic videbatur, sed illud ita claudebat, ut cum puellis suis sola, in silentio & solitudine commoraretur.

Judith 8.5.

Mites ac humiles esse debemus.

41. Tertium documentum est; cùm homo bestiis, ac ipso Dæmone crudelior existat, hoc vitium à nobis eliminare studeamus, ut humiles, benignos, mansuetos nos omnibus exhibeamus. Vidistísne quantâ cautelâ & diligentiâ vasa vitrea ex uno ad alterum locum deferantur? non sufficit illa corbi imponere & cooperire, ut exteriùs offendi nequeant; sed ne sibi invicem collidantur, gausipium, vel aliquam materiam mollem interponunt. Nos talia sumus vasa, testante Apostolo Paulo: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Et S. Augustinus inquit: *Fragiles sumus vasa fictilia portantes; si invicem collidimur, facilè frangimur.* Quid ergò remedii? molle quidpiam interponendum, benignitatem, & mansuetudinem cõmiscendam, ictibus & furori adversariorum cedamus, sicque nullam experiemur rupturam. Hoc S. Augustinus apertè testabatur, dicens: *Si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis.* Quantò videlicet magis hæc vasa coarctantur & se mutuò stringunt, tantò major sit abundantia benignitatis & mansuetudinis. Idem Apostolus Ephesios docebat, ita scribens: *Obsecro vos ut dignè ambuletis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientiâ supportantes invicem in cha-*

2. Cor. 4.7.

Ad Ephes. 4. 2.

in charitate, ambuletis; ecce iter vobis faciendum, cum humilitate, & mansuetudine, & patientiâ; molliùs nimirum imponendo & agendo, ne quid concutiatur; ideoque sequitur: *Supportantes invicem*, sine offensione aut repercussione, ne frangamini.

Humilitas maximè necessaria.

42. Dicet fortè quispiam, nimis durum erit semper cedere, nec umquam par pari reddere: quinimò hoc necessariò peragendum, qui enim te persequitur, aut benè, aut malè agit; si benè, cur conquereris; cur blasphemas; cur vindictam sumere cupis? si malè, cur imitari desideras; cur pejus illo agere cupis; cur opere exequi, quod verbis in illo condemnas? *Noli ergò*, ut inquit Apostolus, *vinci à malo, sed vince in bono malum.* Hoc efficiendo crudelissimum inimicum superabis. Punitiones divinæ leviores videbuntur, Diabolum aut infernum non metues, & superiorem teipsum in omnibus reperies. Inimicus eris peccati, amicus virtutis; fortunam, & stellas tibi subditas reddes; quodque magis refert, infernum effugies, & paradisum cœlestem hîc, & post mortem consequeris; quod Deus concedat. AMEN.

Rom. 12. 21.



DISCURSUS XXIV.

Cuncta tribulationis nostræ remedia in beata Virgine Mariâ requirenda.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Beata Virgo Maria nos ex hujus sæculi labyrintho liberat. num. 1. 2.
Mulier in adjutorium viri creata. num. 3. 4. 5.
Ut sol, aurora, & luna cunctis prodest. num. 6. 7. 8. 9.
Suos clientes victores efficit, cui coronas iterum deferunt. num. 10. 11. 12. 13.
Duplici veste suos ornat & protegit. num. 14. 15. 16. 17.
Cunctis arca salutis est. num. 18. 19. 20.
Arcus cœlestis est iram Dei placans. à num. 21. usque ad 28.
Ut arca Vet. Testamenti suos defendit. num. 29. 30. 31.
Porta & fenestra cœli est. num. 32.
Scuto & protectione ejus in omni tribulatione defendimur. à num. 33. usque ad 37.
Fortitudinem contra inimicos tribuit. num. 38. 39. 40.
Tres devotionis species erga Beatam Virginem. num. 41. 42. 43. 44.

Insignis labyrinthi inventio.

1. Ngeniosa licèt crudelis fuit labyrinthi inventio, quæ ad vivum, ut præcedenti Discursu diximus, miseram mortalis vitæ conditionem exhibet. Inventor ejus homo fuit; illius in Candia fabricati, celebris Architectus Dedalus; Italici, Rex Porsenna; Ægyptiaci antiquioris & mirabilioris, Rex Psamnitichus. Nec sine mysterio fortè; homo siquidem humanarum miseriarum & angustiarum principalis causa. Econtrà quis modum invenit, ex implicatis his erroribus eripiendi perditos, & ex illo laborioso ac tetro carcere liberandi captivos? an vir? nequaquam, sed mulier Ariadne dicta. Illa filum Atheniensi Theseo tradidit, illa per fallaces ac inextricabiles deduxit vias; illa modum perditam libertatem recuperandi, seque à rabido ac fero Minotauro vindicandi præscripsit. Volentes ergò inceptam labyrinthi Allegoriam prosequi, dicendum

Mulier liberationem invenit.

dum

dum nobis erit, sicut homo homini plurimarum calamitatum causa existit; ita mulierem libertatis, consolationis, omniumque bonorum causam existere.

2. Sed quæ hæc mulier? illa ni fallor, quam Salomon suspirans quærebat, & quasi invenire desperans, aiebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Si enim petas quid illi agendum dum reperta fuerit; respondebit: *Manum suam misit ad fortia*; juxta nimirum phrasim Hebraicam *mittet*. Qualia hæc erunt? *Digiti ejus apprehenderunt*; *apprehendent*, nempe, *fusum*. Sed adeò hoc difficile erat tempore Salomonis, ut non inveniretur mulier fusum revolvere sciens? Non puto certè, de filo communi loquendo. De alio tamen filo quo cœlum & terra cōnecti debebat, puto Salomonem loquutum fuisse, de mirabili connexione Dei & hominis, per quam omnes ex labyrintho liberari volentes, filum arripere deberent, sicque ex humanis miseriis seipsos extrahere. Hoc, inquam, filum fuit verbum incarnatum: *Nec enim aliud nomen est sub cœlo in quo oporteat nos salvos fieri*. Mulierem ergò fortem à Salomone quæsitam, beata Virgo Maria fuit, quod S. Bernardus optimè intellexit, dicens: *Quam verò aliam requirebat mulierem, cùm dicebat; mulierem fortem quis inveniet? ac ne hanc quæsisse putetur desperando, subdit prophetando, procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Beatissima ergò Virgo Maria singulare nostrum est refugium, per quam fideliter sperare possumus ex hoc miseriarum labyrintho, nos tandem aliquando evasuros. Licèt enim Deus ut amantissimus pater, non omiserit varia tribulationis humanæ remedia exhibere; omnia tamen simul multò excellentiùs brevi & insigni compendio, in domina nostra Angelorum regina coadunata reperiuntur; prout aliqua illorum enarrando hoc Discursu demonstrabimus.

Prov. 31. 10.

Quæ fuit hæc mulier.

Prov. 31. 19.

Actor. 4. 12.

B. V. Maria fuit hæc mulier.

S. Bernard. serm. supra missus est.

3. Primò vix homo creatus erat, quin Deus graves labores, multasque tribulationes quibus subdi deberet considerans, non videbatur illi bonum solum relinquere, sed ad consolationem & adjutorium mulierem creavit, dicens: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Nec credendum hunc titulum adjutorii parvi esse momenti. Cùm enim David in maxima afflictione consisteret, nullum efficacius remedium invenire poterat quàm adjutorium Dei sibi affuturum sperans, ad cujus imitationem Ecclesia tam frequenter repetit: *Deus in adjutorium meum intende* Quodnam adjutorium Deus homini con-

Mulier in adjutorium viri creata.

Gen. 2. 18.

ni contulit? non aliud quàm mulierem. Quis nescit solem tantorum bonorum, & lætitæ in mundo causam esse? hoc rectè noverat senior Tobias qui lumine oculorum privatus, di-
Tob. 5. 12. cebat: *Quale gaudium mihi erit qui lumen cœli non video!* Sed quid aliud est mulier viro quàm splendidissimus & benignissimus sol? sic docet Spiritus sanctus per os Sapientis,
Eccli. 26. 21. dicens: *Sicut sol oriens mundo, in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species, in ornamentum domûs suæ.*
Cuncta bona tribuit. Ut sol oriens ergò mulier est, fugans mœstitiæ tenebras, & anxietatibus cor liberans, persequutionum procellas sedans, jucundarum cogitationum fautrix, spei vapores in altum elevans, universum orbem jucunditate replens, omniumque rerum generationis causa. Etenim quid esset sine sole mundus, nisi confusum, inordinatum, & tenebrosum chaos, miseriarum & calamitatum epilogus, domus sine luce, facies sine oculis, oculus sine pupilla, pectus sine corde, cor sine spiritu, navis sine velo, mare sine portu, mundus sine sole? Quis patienter sufferre posset tot labores, curas, & vigilias, quot ad educationem prolis requiruntur? quæ nil aliud quàm plangere novit, nisi esset mulier? quis infanti tot amplexus, delicias, & amoris exhiberet affectus, tot pateretur stoliditates & molestias, nisi mulier? quis linguam solvere, verba proferre, & articulatim elocutiones edere doceret, nisi mulier? Natura nihil frustrà agens, *Omnibus prodest.* ideò mulieribus tantam loquendi copiam & facilitatem tribuit, ut infantes continuò haberent, unde addiscere possent. Quis enutriret filios ac filias grandiores, quis sudores abstergeret, labores elevaret, in tribulatione assisteret, in periculis eriperet, animum languentibus adderet, in adversitate protegeret, in prosperitate foveret, nisi mulier? amica comes tam in angustiis quàm in prosperis? quis in infirmitate cõtinuo subsidio alleviaret, dulcibus & amicabilibus verbis reficeret, assiduâ consolatione & delectabili servitute regeret, nisi esset mulier? ideò rectè aiebat Sapiens: *Ubi non est mulier, ingemiscit egens.* Eccli. 36. 27. In vanum quandoque quærit vir supplere, quid faceret mulier?

4. Inter Romanos non parva exstitit contentio, utrum uxores Præfectorum, sive Gubernatorum Provinciæ viros suos comitari possent. *Mulier in tribulatione solatium.* Licèt quoque multis non licere videbatur propter belli pericula, defatigationes, & molesta itinera, cùm mulieres corpora delicatiora habeant; néve milites earum præsentiâ & timiditate à

fervore

fervore & robore deficerent. Conclusum tamen fuit, cùm uxores unicum levamen laboris, & consolatio in tribulatione essent, & in omnibus comites fideles conducendæ quoque forent. Deus insuper quoties per mulierem salutem contulit, & auxilium ac consolationem in maximis tribulationibus tribuit? licèt quoque in similibus occasionibus virorum auxilio usus fuerit. Notanda tamen insignis differentia; virorum auxilio usus est Deus ad amicos, patriam, & populum suum liberandum; Joseph siquidem, Moyses, David, Judas Machabæus, aliique similes, à Deo in maxima populi calamitate electi, omnes fuêre nationis Hebreæ. Ad hunc tamen finem mulieres eligens, non solùm ex Gentibus illas elegit, quales fuerunt Delbora, Judith, Esther, aliæque similes; verùm etiam inter inimicos, & crudelissimas gentes invenit quibus succurrere aliis cupiebat. Quis enim populus magis Judæis contrarius quàm Ægyptii: Quis Rex contra eos crudelior Pharaone? Ægyptiis tamen mulieribus usus est Deus, ut conservarent infantes. Ipsa quoque Pharaonis filia Moysen ex naufragio & submersione eripuit & enutrivit. Cùm etiam terram promissionis armis occupare, & habitatores inde fugare vellet, quę gens magis illos persequi potuisset? inter illas tamen inventa est Raab, quæ exploratores Israëlitarum abscōdens, vitam eorum salvavit, & causa nobilissimæ victoriæ exstitit. Propheta Elias in triennali illâ fame, ad quem missus fuit, nisi ad viduam Sareptanam, genti suę extraneam, ut ab illa aleretur & cibaretur? Totum hoc Deus effecit, quia proprium est mulieribus compati miseriis & calamitatibus; licèt enim sit ignota, extranea, & malæ conditionis, ut erat meretrix; auxilium tamen & subsidium, ab ipsis sperandum.

Mulieres omnibus succurrunt.

5. Natura quoque ut bonæ illarum conditioni & voluntati succurrat, virtutem medicinalem, & mirabilem vim, plurimis rebus mulierum tradidit. Plinius harum rerum diligens, ac curiosus indagator, integrum capitulum de iis contexuit & summâ admiratione conscripsit. Relinquendo autem virtutem lactis illarum, quod capiti, oculis, stomacho, pulmoni, & cordi multum prodest, de capillis illarum qui propter simplicitatem & subtilitatem illorum non videntur tantæ virtutis capaces, prout mirabiliter à Plinio dicuntur, pauca referam. Aiunt ergò Plinius aliiq; Naturalistæ, quòd capilli mulieris igni impositi, fumo suo serpentes depellant. Cinis eorum

Virtutem medicinalem in se habent.

Plin. lib. 28. cap. 7.

rum asperitatibus & doloribus oculorum medetur. Melle cinere adjuncto, herniæ infantum, vulneribus capitis, ulceribus, podagræ, fluxui sanguinis, aliisque infirmitatibus mirabiliter auxilium præstat. Si capilli solùm tantam utilitatem homini conferunt, quid cæteris animi dotibus & virtutibus, quibus à naturâ abundè ditatæ, efficient?

B. V. Maria plus attulit quàm omnes simul.

6. Ut verum tamen dicam, omnes mulieres quæ fuerunt, sunt, & erunt, simul unitæ non possunt tantum consolationis & adjutorii hominibus adferre, quantum beatissima Virgo Maria sola attulit. Si enim sol vocetur mulier, additur: *In ornamentum domûs suæ*; (Eccli. 26. 21.) domui suæ solùm splendebit, exigua ergò hæc lux erit, cùm radiis suis extra parvam domum attingere non valeat. Sed beatissima Virgo, gaudium, & sol est universi mundi; sicut enim sol oriens totum mundum illustrat & gaudio replet, sic teste S. Ecclesiâ: *Nativitas tua Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo.* Meritò quidem, ut enim S. Bernardus testatur: (S. Bernard. serm. de verb. Apostol.) *Maria omnibus omnia facta est, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam.*

B. Virgo sol, *aurora, & luna.*

7. Nec sol tantùm beatissima Virgo, verùm etiam aurora, & luna; unde in Canticis legimus: *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.* (Cant. 6. 9.) Ut cognoscas nullum esse tempus, in quo Mariæ Virginis adjutorio non indigeas. In die sol, nocte luna splendescit; inter defectum noctis & adventum diei, aurora refulget. Maria autem horum nominibus insignita, quia nocte, dieque, omni horâ, & momento in nostrum adjutorium prompta existit. Mulier ob pulchritudinem sol vocatur: *Sic mulieris bonæ species*; (Eccli. 26. 21.) sed beatissimæ Virginis pulchritudo lunæ, & virtus ejus soli assimulatur: *Pulchra ut luna, electa ut sol.* (Cant. 6. 9.) Quid hoc sibi vult? an Mariæ pulchritudo minor est aliarum mulierum pulchritudine, prout illa lunæ minor est illâ solis? Quinimò multò major est; illa tamen mulieris dicitur ut sol esse, quia sicut in cœlo nihil pulchrius aut pretiosius sole, sic in mulieribus nihil magis laudatur pulchritudine, ultra hanc quoque non multum possident. (*Maria pulchra ut luna, electa ut sol.*) Pulchritudo verò Virginis Mariæ ut luna est, cùm alias dignitates & prærogativas habeat excellentiores. Ut sol aliarum mulierum pulchritudo, qui non tantùm pulcher, verùm etiam calore suo calefacit, & offendit intuentium oculos; pulchritudo quippe mulieris animum

nimum ad impurum amorem impellit, & oculorum aciem palpitare facit; unde mulieres Persarum ob pulchritudinem ab Alexandro Magno vocabantur *dolores oculorum*. Ut luna pulchritudo Virginis est; hæc siquidem Planeta lucem habet refrigerantem & humectantem, quæ securè aspici potest. Non aliter pulchritudo Mariæ cogitationes vanas intuentium reprimebat, humorem devotionis & lachrymarum infundens; unde securè intueri poterat.

B. Virgo soli, lunæ, & stellis assimulata.

8. Soli, non aliis Planetis mulieres assimulatæ, ulteriùs siquidem earum virtus non extenditur. Sed beatissima Virgo soli, lunæ, & stellis propter immensam ejus excellentiam & virtutem assimulatur. Dum Josue sanctissimus Dux populi Israël, cum Amorrhæis pugnans, timeret ne solis occasus victoriam inceptam abriperet, præcepit soli ut se sisteret, & lunæ ne progrederetur: *Sol contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Ajalon.* (Josuæ 10. 12.) Non sufficiebat illi solem sistere, sed voluit lunam motum suum cohibere. Sed nónne sufficiebat sol ut diem clarum efficeret, sicut prætendebat? ad quid ergò ipsi luna necessaria? an Antipodes respexit, cùm enim solis aspectu frustrati essent, lunæ quoque privare voluit? vel ipsi nimis videbatur inconveniens lunam moveri, & solem se sistere; sicut absurdum est virum otiosum degere, & mulierem undique vagari? convenientius tamen proposito nostro puto illum cogitâsse, si sol se firmaret, & luna moveretur; hæc illi uniri potuisset, illumque comprehendendo, tenebras & obscuritates lumini ejus adducere, cùm alio modo sol non eclypsetur, quàm inter nos & solem lunam ponendo; nec hoc alio tempore accidere potest, quàm illô quô secum unitur. Simile quid mulieribus accidit, quibus luna fœcunditatis solem virginitatis aufert. Beatissima tamen Virgo lunam & solem simul habuit, quia fœcunditatem virginitati adjunxit; ideò *Pulchra ut luna, electa ut sol.* Cant. 6. 9.

B. Virgo majus subsidium quàm omnes aliæ adfert.

9. Si denique mulieres sunt maximi adjutorii infantibus, & peccatoribus per gratiam renascentibus, imperfectis, & quasi infantibus, quis majus subsidium quàm beata Virgo Maria præstat? in Apocalypsi describitur Ecclesia parturiens, & dicitur subitò filium ejus raptum fuisse: *Raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus.* Apoc. 12. 5. Quis verò per hunc novum partum intelligitur nisi peccator, qui per Ecclesiam se convertens, novam vitam instituere aggreditur? De eo rectè

aiebat Apostolus, nomine Ecclesiæ cujus minister erat: *Filioli mei, quos iterum parturio.* Quis verò est thronus Dei ad quem hic infans è faucibus draconis ereptus defertur, nisi beatissima Virgo, in qua Deus requievit, & draconem infernalem devincens, sub pedibus conculcavit? ipsa ergò ut chara mater defensionem nostram & peccatorum omnium suscepit. Nec solùm nos defendit, verùm etiam amplexibus & deliciis fovet; ideoque dictum fuit: *Ad ubera portabimini, super genua blandietur vobis.* Legi veteri amplexus illi non promittebantur, non enim tunc erat amabilis illa mater; sed singulare hoc privilegium Legi novæ debebatur, in qua Angelorum Regina filios suos agnoscere & invitare debebat, dicens: *Si quis est parvulus veniat ad me.*

Galat. 4. 19.

Isai. 66. 12.

Prov. 9. 4.

B. V. suos non derelinquit.

10. Ut amabilis denique mater numquam nos derelinquens, etiam immeritos in omni nostra necessitate fovet & protegit; ideoque S. Bernardus ait illam soli rectè comparatam, qui bonis & malis æquè sua dona præstat: *Propterea alternum solem induit sibi; quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur, sic ipse quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet; omnium denique necessitates materno miseratur affectu.* Nomen ergò adjutorii meliùs beatissimæ Virgini quàm Evæ convenit; imò huic attribui non debere videtur, nisi in quantum figura ejus esset. Quis enim ignorat illam nostræ ruinæ caussam exstitisse, & portam morti aperuisse ut ad nos intraret, dicente Sapiente: *Per mulierem omnes morimur?* Maria autem januam vitæ aperuit: *Qui me invenerit, inveniet vitam.* Illa Adamum serpenti consentire egit; hæc omnium victoriarum nostrarum causa existit.

S. Bernard. de verb. Apoc.

Eccli. 25. 33.

Proverb. 8. 35.

11. Antiquus Romanorum mos fuit, ut victores inimicorum redeuntes, & gloriosas, nobilesque coronas triumphales referentes, illas in Capitolium deferrent, summo Deorum Jovi offerendas; recognoscentes se illas ab eo receptas referre. Instar fluminum eò redeuntium, unde primam traxerunt originem, utque ille finem operi imponeret qui principiũ dederat. Pariter sancti omnes cùm in hac vita plurimas obtinerent victorias & coronas; cœlestem Jerusalem triumphantes ingredientes, ante thronum Dei easdem deponunt, ut S. Joannes in Apocalypsi testatur, qui privilegio singulari adhuc mortalis illi triumpho interesse meruit. Sed quis hic Dei thronus, nisi beata

Omnes sancti B. V. coronas suas deferunt.

Apoc. 4. 10.

Virgo,

Virgo Maria, in cujus persona
Eccli. 24. 12. Sapiens ait: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo?* Nullo in loco quietiùs aut securiùs requiescit, ut ita dicam, quàm in sinu matris suæ. Ipsi ergò omnes deferunt coronas, ab ipsa siquidem omnem favorem, cuncta merita, singulas prærogativas & victorias recognoscunt.

12. Parum dixi, non solùm coronas, verùm etiam cuncta arma & subsidia omnes sancti meritò offerunt & tribuunt sanctissimæ matri Mariæ. Me legisse recordor post victoriam Troianam magnam fuisse dissensionem cui Græcorum duci dari deberent arma Achillis; licèt quoque conclusum fuerat illi deberi, qui potissimum contulerat auxilium; inter duos tamen insignes Duces lis dubia remansit; utrum Ajaci an Ulyssi tradi deberent; Ajaci tandem, non tantùm propter valorem & præclara merita, quàm propter mirabilem eloquendi modum addicta fuerunt. Modò simile quid accidere videtur, dum Sancti hac militiâ carnali peractâ, triumphantes cœlum ascendere cupiunt. Deponunt hi arma sua, & æternæ quieti illa consecrant. Sed ubi hæc appendunt? Cui deferunt? Beatissimæ Virgini, illi à quâ omnes victorias, omneque auxilium acceptum referunt, quod nimirum per eloquentissimum intercedendi modum, & sublimē orationem potissimum subsidium hac in militiâ obtinuerint. Pulcherrimum hujus rei oraculū in sacris epithalamiis expressum reperimus: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Omnia fortium munimenta hîc offeruntur & appenduntur, non tamen brachiis, humero, aut alibi, sed collo, orationis instrumento, & vocis organo; oratione siquidem beata Virgo Maria talem impetravit fortitudinem, ut omnium inimicorum victores efficiat. Meritò ergò S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus illam laudare, gratiasque immensas ei referre poterat, dicens: *Nullus est qui salvus fiat, nisi per te ô sanctissima Virgo; nullus est qui liberetur à malis, nisi per te ô purissima; nemo est cui donum concedatur, nisi per te ô castissima; nemo est cujus misereatur gratiâ, nisi per te ô honestissima.*

Cur potiùs B. V. quàm aliis.

Cant. 4. 4.

S. German. homil. de Para.

13. Nec tantùm de inimicis nos victores reddit, sed si nostro defectu victoria non benè succedat, sed vulneribus saucii remaneamus, multò meliùs per ipsam omnes nostræ plagæ sanatæ erunt, quàm per lac, aut capillos mulierum. Nihil omnibus vulneribus & ulceribus

B. V. suos tuetur & vestit.

ribus utilius balsamo & myrrhâ; hæc nostra Regina, tota balsamum & myrrha est, ipsamet testante: *Sicut cinnamomum & balsamum, aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.* Licèt quoque defectu nostro omninò maneamus devicti, ideóne omni remedio & adjutorio privati erimus? nequidem, per hanc siquidem misericordiæ matrem, quæ seipsam negare nequit, abundè nobis provisum erit. Primum à Deo remedium homini post lapsum donatum, est vestis pellicea; cùm enim Adam propter nuditatem absconditus, Domino se sistere non auderet: *Fecit Deus Adæ tunicas pelliceas.* Optimum haud dubiè, contra nuditatem remedium; sed solùm hieme inserviebat frigori depellendo, & unica fuit, si ergò rumperetur, vix poterat refici. Sed quantò meliùs homini provisum fuit, Virgine Mariâ domum Dei ingrediente, postquam enim ipsi cura de nobis demandata est: *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus*; in hieme & æstate, in horrida tribulationis hieme patientiâ nos vestit; inque calida prosperitatis æstate temperantia, &c. Ita hunc passum explicat Hugo Cardinalis, dicens: *Duplex vestis est, hiemalis & æstivalis; vestem hiemalem dico, virtutes quibus protegimur contra pluviam, & grandinem tentationum & persequutionum; ejusmodi sunt patientia, mansuetudo, humilitas: æstivalem dico virtutes, quibus tempore pacis & tranquillitatis vacatur bonis operibus & contemplationi; qualis est charitas, pietas, devotio, sapientia, &c.*

Eccli. 24. 20.

Gen. 3. 21.

Proverb. 31. 21.

14. Duplici quoque veste nos cooperit, quia virtute interiore & exteriore nos ornat; ideò de eadem dicitur: *Quæsivit lanam & linum*; lana pro vestibus exterioribus texendis; linum pro internis conficiendis. Ita in hunc locum commentatur S. Augustinus: *Interiora sunt vestimenta linea, lanea verò exteriora; quicquid carne operamur, in promptu est; quidquid spiritu in secreto. Operari invenis hominem porrigentem manum, vel eleemosynam pauperi, nec tamen de Deo ibi cogitantem, sed hominibus placere cupientem, lanea vestis videri potest, interiorem non habes. Invenis alium dicentem sibi; sufficit mihi in conscientia Deum colere, quid mihi opus est in Ecclesiam ire? lineam vult habere sine tunica.* Quem Hugo Cardinalis sequendo dixit: *Vestis est bonum opus cum rectâ intentione.* Sanctissimæ ergò Virgini addictæ, veste duplici ab eâ vestiuntur, internâ virtute charitatis, humilitatis, patientiæ; & externâ modestiæ, carnis mortificatione, aliâque simili. Si verò per vestem

Duplici veste nos ornat.

Proverb. 31. 12.

S. August. serm. 43. de tempore.

vestem intelligamus charitatem, in veste illâ nuptiali figuratam, quam omnes ad cœleste convivium intrantes habere debent, ne ejiciantur; duplici quoque veste nos induit sanctissima Virgo, charitate nimirum erga Deum & proximum; vel etiam charitate erga ipsam Virginem, quæ post Deum ultra omnia alia à nobis amari debet. Hæc expositio cum Hebræa plurimùm convenit; in qua legitur: *Omnes domestici ejus vestiti sunt coccinis bis tinctis.* Omnes nimirum vestiti sunt purpurâ, qui color cùm igneus sit, rectè charitatem exprimit. Purpura insuper vestis regia esse solebat, ideoque hæc meritò Virginis servis donatur, cùm omnes ipsi servientes, dignitate regiâ insignentur.

Proverb. 31.21.

Servi B. Virginis reges efficiuntur.

15. Insignis accidit casus Eustasio Bononiæ Comiti, cùm siquidem tres pueri ejus parvuli cum matre luderent, illa omnes sub veste contexit; pater verò domum rediens, uxorem sic veste contectam cernens, quid rei lateret interrogat; at illa tres insignes personas hac veste tego, Regem, Ducem, & Comitem; quod autem illa ridendo dixerat, reipsâ verificatum fuit; fuerunt quippe hi Balduinus Jerosolymorum Rex, Godefridus Lotharingiæ Dux, & Eustasius Bononiæ Comes. Melius tamen beatissima Virgo omnes sibi devotas sub veste suâ colligendo, & umbrâ suâ protegendo; dici potest se tot Reges pallio suo abscondere; tales quippe ejus intercessione omnes ejus servi deveniunt. Hoc rectè intellexit Propheta David, qui de ipsa sub metaphorâ civitatis loquens, ait: *Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt, convenerunt in unum.* Ibi videlicet omnes Reges terræ simul uniti sunt; sed quando omnes Reges unô in locô convenisse visi sunt, qui status & vitæ suæ multùm solent esse zelosi; ideóque non facilè in aliquâ civitate convenient, vel alios in suis locis recipient? Beatissima Virgo hoc privilegio donata fuit, ut sub umbra illius omnes Reges adunarentur; cùm nullus hoc nomen mereatur, qui ipsi addictus non fuerit, & particulari devotione non ipsam coluerit.

Psal. 47. 5.

16. Cineus Regis Pyrrhi Legatus ad Dominum suum revertens, hanc laudem civitati Romanæ tribuit, tot videlicet Reges se videre æstimâsse, quot cives Romanos conspexerat. Quam laudem multò meliùs civitati Dei attribuere nos posse videtur; cujus cives omnes sunt Reges, cùm de illis Apostolorum Princeps dixerit: *Regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Gentiles fabu-

Confirmatur exemplis.

1. Petr. 2. 9.

fabulosæ Reginæ cœli malogranatum dedicaverant, in quo plurima grana sub una corona, ita ut unumquodque posset dici coronatum. Multò magis illud veræ cœlorum Reginæ attribuere possumus, & affirmare omnes illos sub regali illius pallio degentes, esse reges coronatos. Quis scit utrum Deus sub hac figurâ plurima malogranata retibus inclusa, in templo Salomonis effingi præceperit? ad hoc docendum eos qui sinceriter huic sacro beatissimæ Virginis templo se servos dicunt, ut malogranatâ coronati, & purpurâ vestiti, regiam dignitatem acquirant? *Malogranata quadringenta in duobus retiaculis*, inquit sacer Textus.

3. Reg. 7. 42.

B. Virgo duas vestes nobis tribuit.

17. Nec his vestibus indutis favores beatissimæ Virginis desinunt, duabus siquidem aliis vestibus ab ipsâ donamur; prima pretiosior esse non potest, cùm sit Agni cœlestis filii ejus, cujus vestibus illa nos cooperiens, ut Rebecca Jacob filium suum cooperuerat, copiosissimam æterni Patris benedictionem nos præripere docet. Altera vestis melior esse non potest, cùm sit illa ipsa, in qua omnis dulcedo, & suavitas requiescit. Sicut ergò Apostolus nos exhortabatur, dicens: *Induimini Dominum Iesum Christum*; Ita Seraphicus S. Bonaventura, persuadet nos beatissima Virgine vestiri, dicens: *Mariam induite, quotquot diligitis eam, hæc luceat in moribus, splendeat in actibus.* Quomodo quis frigus aliúdve malum timere poterit, qui veste adeò charâ, pretiosâ, & mirabili ornatus erit.

Rom. 13, 14.

S. Bonav. in Psalm.

B. Virgo vera salus nostra.

18. Sed ulteriùs transeamus, postquam homo vestem à Deo receperat, non diu post alio remedio indiguit, cùm enim peccata ultra modum multiplicarentur, quasi coactus fuit Deus diluvium immittere, quô peccatores omnes suffocaret, mundumque à vitiis purgaret. Noluit tamen genus humanum absque remedio derelinquere, sed Arcam ad hoc à Noë fabricari jussit, in qua ipse cum universâ familiâ suâ, omniumque animalium species salvarentur; Ita ut Arca generis humani conservatrix, & reparatrix dici possit. Nihilominus quid hæc cum beatissimâ Virgine Mariâ? illa reperta fuit ut paucæ animæ à temporali morte salvarentur; hæc verò ut toto genere humano morti perpetuæ addicto, vitâ æternâ donaretur effecit. Illa exiguo tempore salutem tribuit; hæc verò per omnia sæcula salutem protulit. Illa vivos in se reclusos, sed mœstos retinuit; hæc non solùm vivos, sed hilares omnes ad se confu-

B. Virgo vera Arca salutis.

confugientes conservat, dicente Prophetâ regiô: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* In illâ nec agni à lupis, nec pecora à leonibus nocumenta senserunt; in illâ non tantùm appetitus sensitivi rationi subjecti fuerunt, verùm etiam se mutuò adjuvabant. In illa castitas, & continentia observata, non enim plures exivêrunt quàm intrârunt; in hac inviolata virginitas, & purissima castitas fœcunditati socia fuit. A diluvii fluctibus Arca incolas suos salvabat; sed ab errorum undis multò magis periculosorum beatissima Virgo clientes suos defendit. Meritò ergò dixit Zonara: *Ne tam varii errorum fluctus Ecclesiam demergant, objice te Virgo celsissima.* Si illa denique conservatrix generis humani dici potest, teste Sapiente: *Spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen nativitatis.* Hæc à SS. Patribus nostra vocata reparatrix, & causa salutis: *Veneremur*, inquit S. Jeronymus, *salutis Auctricem, quæ dum Auctorem suum concepit de cœlo, nobis Redemptorem præbuit in terra.* S. Irenæus de ea loquens, ait: *Universo generi humano causa salutis facta est.* S. Petrus Chrysologus Angelos virtutem ejus admiratos asserit: *Angeli mirantur omnes homines meruisse per fœminam.*

Psal. 86. 7. Sap. 14. 6. S. Jeronymus serm. de Assumptione. S. Irenæus lib. 3. cap. 38. S. Petr. Chrysolog. serm. 142.

19. *Fac tibi Arcam*, dixit Deus Noë; unde credere fortasse debuit, parvam naviculam, pro se & familiâ ædificandam; posteà verò intellexit, magnam satis esse debere, variis locis, habitationibus, & tabulatis distinctam, in qua cuncta animantium genera commorari debebant. Nec aliter B. Virgo præcipuè Christo fabricata fuit: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*; non tamen credendum sinum ejus adeò angustum, & cor constrictum, ut nullos præter eum capere possit; sed ita est dilatatum, ut omnes gentes admittat: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum hi fuerunt illic.* Non sunt ex hac Arca Gentiles, non Æthiopes nigri, non peccatores qui propter peccata enormia animalia vocari possunt; cùm ad hanc Arcam adducti, feritatem mittant, ut animalibus in Arcâ Noë accidebat.

Genes. 6. 14. Eccli. 24. 12. Psalm. 86. 4.

20. Athenis navis quædam salutis nomine insignita erat; dum enim hâc ibant & redibant Delphos pro salute suâ sacrificia offerendo; nullum quantumvis sceleratum publicâ morte interimere licebat, sed per sententiam morti addictus, conservandus erat in reditum navis. Ex quo Plato ait inter sententiam, & mortem Socratis tantum temporis intercessisse.

B. V. navis Thesei privilegiata.

tercessisse. Quod si navi huic illud privilegium concessum fuerit, quia Theseus in ea navigaverat? Quantò magis credendum beatissimæ Virgini concessum, eò quòd cœlorum terræq;Dominum in utero suo portare digna fuerit? Navis est illa, de quâ dictum: *Facta est quasi navis institoris*; navis Regis cœlorum: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*; continuò gratiam cœlestem ad nos à Deo referens,& nostras preces illuc reportans; illâ verò pro nobis hoc iter perficiente, securi esse poterimus, non morte æternâ plectendos; ideoque de illâ rectè aiebat Sapiens: *Est lignum vitæ his qui apprehenderint eam*. Illa Atheniensium vocabatur lignum salutis, sed beatissima Virgo lignum vitæ nuncupatur; quia vitam omnibus etiam in peccatis mortuis largiri potest, omnesque ad se concurrentes salvare. In figura hujus insigniter notat S. Petrus Chrysologus, non primò vitam à Salvatore Lazaro impertitam, quàm Maria vocata fuisset: *Mittitur ad Mariam*, inquit, *quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria materni nominis bajula, ut videat homo Christum virginalis uteri habitâsse sepulchrum, quatenus prodeant ab inferis mortui, & exeant de sepulchris.*

Prov. 31. 14.
Eccli. 24. 12.
Prov. 3. 18.
S. Chrysol. serm. 64.

21. Post Arcam Noë citò mortales indiguerunt solatio, de illâ quippe pavidi ac tremebundi exeuntes, dubitantes ne fortè idem aliàs eventurum esset; illos Deus securos reddere volebat, ad quem finem Arcum suum in nubibus collocare præcepit, in signum quòd numquam diluvii aquis mundus ampliùs inundaret. Hoc Arcus cœlestis officium nobis exhibet beatissima Virgo Maria, Prophetâ regio attestante, & in personâ æterni Patris dicente: *Thronus ejus*; filii sui videlicet, cujus thronum beatissimam Virginem esse diximus, *sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* O quanta laus beatissimæ Virginis! Omnes totius orbis gentes sunt quasi non essent ante Deum; mundus ut exiguum arenæ granum: *Cœli in conspectu ejus non sunt mundi*, ait S. Job. Virgo tamen Maria in conspectu Dei ut sol resplendens, ut luna luce repleta numquam deficienda, & ut testis in cœlo fidelis. An fortè Deus testimonio indiget, nónne Angeli & cœlites omnes si opus esset, hoc officium libenter ac fideliter exequerentur? Quis ergò iste cui privilegio particulari attribuitur testimonium fidele esse? Litteraliter alius non est, nisi Arcus cœlestis in nubibus collocatus promissio-

B. Virgo Arcus cœlestis.
Psalm. 88. 38.
Job 15. 15.
Et testis fidelis.

promissionis testimonium, non amplius se aquas diluvii in terram emissurum; huic similis esse dicitur thronus ejus qui beatissima Virgo Maria est.

Cur B. Virgini diversi tituli attributi.

22. Quid verò opus erat illam lunam & Arcum cœlestem esse, cùm sol dicta fuerat? Oratio per partes crescere debet, inquiunt Rhetores, non autem diminui. Si pluribus quoque rebus beatissima Virgo assimulanda, cur primò vilius positum, & in excellentiori terminatum, ut Angeli admirantes, dixerunt; *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* forte alium ordinem David tenere volens, ne suspicari posset, illam aliquo tempore fuisse imperfectam; sed sciremus à primo conceptionis instanti ut solem immaculatam fuisse? vel meliùs hoc modo demonstrare voluit, omnes excellentiæ & puritatis gradus in illa fuisse comprehensos? Hic dicendi modus similis illi fuit, quo Demosthenes usus fuit ut actionem Oratoris laudaret. Interrogatus siquidem quæ potior in Oratore pars fuisset, respondit, actio; interrogatus posteà quæ illi succederet, respondit, actio; rursus interrogatus quæ tertio loco succederet, iterum respondit actio. Huic ergò similis est loquutio Davidis, licèt aliquo modo obscurior; considerans siquidem primam inter res corporeas laudem, soli esse tribuendam, dixit beatissimam Virginem ut solem esse; secundam autem lunæ tributam; & Arcui cœlesti tertiam; illam ut lunam & Arcum cœlestem esse affirmavit. Quasi diceret, si à me quæritis cui prima pulchritudinis laus debeatur, beatissimæ Virgini tribuendam respondeo; si verò cui secunda & tertia, beatissimæ Virgini illam iterum deferam. Illa siquidem omni gratiâ plena, epilogus totius excellentiæ & pulchritudinis, nec alia reperitur illi comparanda, aut secundo, vel tertio loco ponenda. Sol est non solùm sibi habens æqualem, sed ne quidem locum lunæ cuiquam tribuens. Luna est, respectu cujus nullus potest dici Arcus cœlestis. Ipsi ergò totum tribuendum, nec sol tantùm, sed luna & Arcus cœlestis dicenda.

Cant. 6. 9.

B. Virgo omnipulchritudine excellit.

An Arcus cœlestis ante diluvium fuerit.

23. Doctores sacri pulcherrimum movent dubium, si Arcus cœlestis ante diluvium fuerit, vel post illud à Deo creatus? Glossa interlinearis asserit nullum fuisse; si quippe signum est non futuri diluvii; quando diluvium nōdum erat, signum fallax fuisset, quod dici non potest. Si Deus insuper

Gen. 9. 13. post diluvium dixerit: *Arcum meum ponam in nubibus cœli*; clarè datur intelligi non ibi fuisse. Affirmant alii ante diluvium illum fuisse, cùm sit naturalis solis effectus, roridam nubem illustrans; sed ante diluvium sol erat, qui certissimè plùs quàm semel roridam nubem illustraverat; per consequens ergò Arcum cœlestem in ea produxerat. Quomodo ergò inquit Deus: *Arcum meum ponam in nubibus cœli*; quasi primò non fuisset? Hoc intelligendum non quantùm ad entitatem; sed quantùm ad significationem. Pariter si flumen quoddam per regionem decurrens, illam ab alia dividat, dicere solemus illud esse terminum regionis, & signum cõfinium; non quantùm ad àquam quæ suo cursu fluit, sed quantùm ad significationem illi impositam.

Ibidem.

An B. Virgo ante prævisionem peccati ordinata.

24. Similis quæstio inter Theologos agitatur de beatissima Virgine, an videlicet illa ante prævisionem universalis diluvii peccati originalis, prædestinata fuerit, vel non? Negant aliqui, quia dicunt incarnationem divinam in remedium peccati originalis ordinatam; si hoc ergò patratum non fuisset, nec Deus homo factus esset, nec mulier aliqua ejus mater facta fuisset. Alii verò quibus libentiùs subscribo, illam ante prævisionem peccati originalis prædestinatam fuisse, & independenter ab eo ordinatam, juxta illud Sapientis: *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram*; quæ sententia variis rationibus probari posset. Prov. 8.24. Dicamus tamen beatissimam Virginem ex se ipsa dilectissimam fuisse; nec credendum, si peccatum non fuisset, Deum radios sui favoris erga ipsam non direxisse; etenim si Adam & Eva, licèt peccatum originale committendum non fuisset, creati tamen fuissent; quomodo dicemus, humanitatem Christi & benedictam ejus matrem Adamo & Evâ multò digniorem, si peccatum commissum non fuisset, creatam non fuisse, sed in abysso divinæ misericordiæ derelictam? *Videtur quòd sic.* Meritò ergò inquit S. Bernardus: *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est, suspicari tantæ Virgini fuisse negatum.* Si Adam & Eva ergò independenter à peccato originali creati fuerunt, ut dicemus, affirmare non possumus Virginem ultra omnem puram creaturam peccato inimicam, qualemcumque à peccato habuisse dependentiam, ita ut illo non existente, nec absolutè prædestinata, nec mater Dei effecta fuisset.

25. Antequàm Deus quoque (rudi nostro modo concipiendi) prævidisset peccatum

tum futurum, statuit mundum creare; quandoquidem peccatum Adami, præsupponebat mundum existere. Si Virgo Maria igitur prædestinata non fuisset, nisi post prævisionem peccati Adami, sequitur primò voluisse Deum creare totum mundum, postmodum autem determinâsse productionem Virginis. Quomodo igitur de illâ canit Ecclesia: *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequàm quidquam faceret à principio?* Quomodo S. Bernardus affirmat, propter amorem Virginis mundum creatum? *De hac*, inquit, *& ob hanc, & propter hanc, totus mundus factus est, & hæc gratiâ Dei plena est, & per hanc homo redemptus est, verbum Dei caro factum est, Deus humilis, & homo sublimis.* Quomodo jam ante tot centena annorum Rabbini Caballistici, à Petro Galatino relati, explicando versum 20. capitis 33. Jeremiæ Prophetiæ, hoc modo dicunt: *Nisi ex amore Mariæ, & Iesu filii ejus mundum minimè condidissem?* Quomodo Salvator noster diceretur finis omnium creaturarum; & non potiùs creaturæ finis illius, nisi illæ per ipsum productæ fuissent, & non ipse per illas? Quomodo in veritate dici potuisset ipsum plùs omnibus creaturis simul fuisse amatum, si ab illis amor ejus dependisset? Quomodo etiam non dependeret si formatio ejus pro seipso volita non fuisset, sed propter auxilium tantùm creaturarum? si quoque Pater cœlestis non cogitans filium suum in terram mittere, determinaverat creare mundum; quomodo & quô remediô illum salvare volebat? Aliquô forsitan Angelô? vel gratiâ suâ tantùm? Dum ergò per filium suum salvare determinabat mutabat sententiam? An fortè de salute ejus minimè cogitabat? sed quis prudens adeò insigne fabricaret opus, non respiciens ad quem finem? Non ergò quantùm exiguo meo judicio penetrare possum, Salvator noster prædestinatus fuit ad incarnationem, propter peccatum Adami; sed Deus permisit Adæ peccatum, quia Redemptorem ejus jam prædestinaverat. Hoc modô ab actibus humanis decreta divina non dependere efficiemus, sed actus humanos à Deo, ejusque divinis decretis.

Prov. 8. 22.

S. Bernard. serm. 1. in Salve Regina.

Ob amorem B. Virginis mundus creatus.

26. Nec idcirco malè dicimus, Deum pro salute nostrâ carnem assumpsisse, & mundum redimere venisse; totum quippe verum est ordine executionis, sed ordine intentionis contrarium est dicendum. Sicut verè dicitur justis cœlum donari propter bona opera, quantùm videlicet ad executionis ordinem; licèt quoque verum

Deus pro redemptione mundi incarnatus.

verum sit; in mente divina non fuisse illis gloriam destinatam, propter bona opera prævisa, sed determinatum fuerit illis donare gratiam ad benè operandum, quia prædestinati fuerunt. Sic dico, quantùm ad ordinem executionis, Deus carnem assumpsit humanam, ut nos redimeret; sed quantùm ad intentionem primam Dei, primò prædestinavit adventum suum & incarnationem, & postea nostram redemptionem. Optimè illud explicavit S. Paulus Apostolus: *Novissimè diebus istis loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.* *Novissimè* dixit, ordinem executionis respiciens; ne autem idem de ordine intentionis crederes, adjunxit pro ratione hujus: *Per quem fecit & sæcula.* Non ergò incarnatio divina, nec Virginis Mariæ prædestinatio, ullam dependentiam à prævisione peccati habet, nec talem connexionem, ut sine illo esse non possit. Concludere ergò possumus, sicut diluvio non futuro non defuisset Arcus cœlestis, non propter significationem, sed ob pulchritudinem universi, ornamentum cœlorum, & exultationem viventium; sic quoque non futuro peccato originali, non defuisset mundo Arcus cœlestis B. Virgo Maria; non propter refugium peccatorum, sed propter lætitiam justorum, ornamentum cœlorum, jubilum Angelorum, & Dei ipsius honorem.

Hebr. 1. 2.

Nec incarnatio Christi, nec prædestinatio Virginis à peccato dependet.

27. Sed quomodo formatur Arcus cœlestis? sole radiis suis roriferam nubem directè illi oppositam, illustrante. Id autem vel manè, vel vesperè accidere solet hac differentiâ; ut manè Arcu cœlesti apparente, signum sit pluviæ, vesperè autem serenitatis signum. Nubes pariter rorifera cœlesti gratiâ plena B. Virgo fuit, cœlestis solis benignis radiis illustrata, ipsamet attestante: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*; ideoque in illa Arcus cœlestis causatus fuit, affectus videlicet pietatis maternæ erga nos filios suos. In duobus quoque temporibus, tempore matutino, nativitatis æterni solis, tuncque signum pluviæ sequentis fuit, lachrymarum nempe, quas in passione filii spargere debebat; & vespertino tempore, quando idem sol occidens, dixit: *Mulier ecce filius tuus*; tunc resurrectionis serenitas statim illuxit. Arcus cœlestis cœlum terræ conjungit; quis Deum homini univit, nisi B. Virgo Maria? Plinius & Aristoteles Arcum cœlestem proprietatem insignem habere dicunt, ut terram illam supra quam extenditur, odoriferam reddat. Pariter B.

Nubes rorifera B. Virgo.

Lucæ 1. 48.

Joann. 19. 20.

ter B. Virgo brachia sua instar Arcûs cœlestis extendens, suavissimum communicat odorem iis supra quos extendit; ideoque dicit in Canticis: *Manus meæ distillaverunt myrrham*; quem odorem suavissimum omnibus communicat ipsam colentibus. Amplectebatur cognatam suam Elisabeth, & subitò mirabilem edidit humilitatis fragrantiam, dicens: *Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

Cantic. 5. 5.

Lucæ 1. 43.

B. Virgo iram Dei placat.

28. Deus Arcum cœlestem intuens, iram placat, pacti sui recordatur, nec ultra diluvii aquas supra terram emittere cogitat. Pariter B. Virginem aspiciens, omnem furorem & indignationem in genus humanum mitigat, & pacem hominibus confert; unde in Canticis dicebat: *Vbera mea quasi turris, ex quo facta sum coram eo pacem reperiens.* Ad instar fortalitii, coram Deo in hominum defensionem constituta, subitò pacem reperi; quia me conspiciens, omnem iram & indignationem deponere cogitur. Hinc intelligetur causa, cur Joannes in Apocalypsi viderit mirabiliter Dei sedem iride cinctam: *Et iris erat in circuitu sedis.* Sed quomodo Arcus cœlestis in nubibus formatus, in cœlis apparet? Si Deum quoque cœli cœlorum capere non possunt, quomodo invenietur Arcus cœlestis adeò extensus, ut sedem Dei circumcingere possit? Non alius profectò Arcus hic esse debet, quàm mirabilis illa Virgo Maria, de quâ Jeremias ait: *Fœmina circumdabit virum*; cui insuper Ecclesia concinit: *Quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Ipsa ergò circumdat Deum, & ab eo circumdatur; ipsa Arcus pacis & reconciliationis, nec signum tantùm, verùm etiam causa, ut facies divina nobis hilaris & jucunda appareat.

Cant. 8. 10.

Apoc. 3. 4.

Deum circumdat.

Jerem. 31. 22.

B. Virgo Arca Testamenti.

29. Hunc ergò concludamus Discursum, cum Arca veteris Testamenti, quæ populo Hebræo maximam attulit consolationem, ad quam in omnibus tribulationibus & afflictionibus subitò concurrebant; eamque secum habentes, nulla ingruentia mala formidabant. Quid aliud Arca illa erat, quàm figura B. Virginis Mariæ? Notandum quoque illam à Jeremiâ Prophetâ absconditam fuisse, nec umquam repertam; ita ut Josephus Antiochenus referat, non fuisse in templo, ut sciremus, aliam longè nobiliorem expectandam, quæ fuit B. Virgo Maria. Ad hanc Arcam dignè collocandam, excellentius toto orbe terrarum templum ædificatum fuit. Sed pro B. Virgine quale templum Deum præparâsse creditis? Nullum in toto mundo eâ dignum

gnum reperiri potuit; ideoque in cœlum totaliter translata. In qua cœli parte collocata? in digniori omnium, ipsi particulariter præparata, ut testatur S. Joannes in Apocalypsi, dicens: *Apertum est templum in cœlo, & visa est Arca Testamenti.* Sed quomodo hoc templum formatum erat? Imò quomodo possibile fuit templum in cœlo esse, cùm S. Joannes dicat: *Templum non vidi in ea?* Cùm Joannes in cœlum ascendisset juxta morem suum, quæsivit undique templum ut oraret in eo, sed quocumque oculos vertens, numquam vestigium ejus reperire poterat; causam verò inquirens cur in civitate adeò celebri nullum fuisset templum; responsum accepit, Deum esse templum ejus. Hæc duo Scripturæ loca modò simul connectamus, in uno, inquit Joannes, non aliud ibi fuisse templum quàm Deum; in alio verò ait, Arcam in templo fuisse positam. Idem ergò est, ac si diceretur, Arcam hanc benedictam in sinu Dei collocatam fuisse, ut in digniori & excellentiori loco cœli. Meritò quidem ita factum; cùm enim Deô in terram descendente, Virgo Maria intra se illi optimum præparavit locum, & ipsa illi templum fuit; ita Deus qui benignitate numquam vincitur, in cœlum ascendens, sinum suum pro loco quietis Matris suæ condignè exhibuit; sicque hæc Arca in templo Dei collocata fuit.

Quis locus B. Virg. in cœlo.

Apoc. 11. 19.

Apocal. 21. 22.

30. Si Deo igitur hæc Arca adeò chara, quid non per eam impetrabimus? Abiathar Sacerdoti tantùm profuit portâsse Arcam veteris Testamenti, ut dignus morte existens, propter hoc ipsi condonatum fuit; unde dixit illi Salomon: *Vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portâsti Arcam coram David patre meo.* Quantò magis ergò Virgini Mariæ addicti, per merita & intercessionem ejus æternam vitam acquirent? De Cajo Mario refert Plutarchus, quòd cùm Romam occupâsset, & armato milite per eam incederet, jussit omnes interfici qui illum non salutâssent. De Deo nostro multò certiùs affirmare possumus, omnes illos ab eo non salutatos, morte perpetuâ occidendos. David adeò cupidum se divinæ salutationis exhibebat, ut diceret: *Dic animæ meæ salus tua ego sum*; An hoc ignoras David? nequaquam, sed vellem Deum hoc mihi dicere, vellem ab ipso salutari, tunc siquidem ab inimicis me liberum æstimarem. Ut ergò à Deo salutemur, quod remedium nobis superest? Beatissimæ matri nostræ Mariæ nos conjungere, illam toto

B. Virgo nos à morte liberat.

3. Reg. 2. 26.

Psal. 34. 3.

toto corde venerari, illique omne obsequium nostrum exhibere; tunc siquidem fiet, quod ipsamet de se testatur: Prov. 8.35. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Particula & multoties vim adverbii *quia* habet; ut in Cantico An-Luc. 2.14. gelorum: *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax*; id est, sit gloria in cœlis Deo, quia pacem in terris misit. Dum ergò Virgo Maria inquit: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem*; id est, per me omnes liberabuntur à morte, quia à Domino salvabuntur. Quasi diceret, licèt Deus nollet eum saluare, quia tamen mihi conjunctus est, *hauriet*, quasi vi extrahet *salutem*.

B. Virgo nos insigniter defendit.

31. Quid mirum si reus propter scelera enormia condemnari ad mortem metuens, si expertem nactus sit defensorem animos resumat, sibique promittat se fore absolvendum? Quis verò eloquentior & potentior defensor beatissimâ cœlorum Reginâ? scio quidem juxta leges mulieri patrocinium alicujus suscipere prohiberi? *L. fœmina*, §. *de reg. juris. l. 1.* §. *de Postulationibus.* Ratio verò est, quia verba earum nimiam obtinent vim & gratiam commovendi, unde facillimè quæ vellent, obtinere possent. Ad hoc propositum inservit illud S. Pauli præceptum, quo Corinthiis vetuit, ne mulieres in Ecclesia sermonem haberent, rationem verò reddens, ait, quia viris subditæ esse debent: *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur iis loqui, sed subditas esse.* 1. Cor. 14. 34. Si autem loquerentur, numquid viris subditæ non essent? non, quia verba illarum tantam habent efficaciam, ut illos sibi devincerent, agerentque quæcumque vellent. Si hæc de mulieribus ordinariis dicantur, quid de B. Virgine Maria dicetur? Quid de illa Regina erit, quæ sibi nec pulchritudine, nec sapientiâ, nec eloquentiâ, nec meritis similem habuit? illâ profectò os suum aperiente, quicquid petierit, obtinebit. Meritò ergò janua cœli dicta, per illam siquidem cœli nobis aperiuntur, omnesque gratiæ ad nos descendunt.

B. Virgo janua & fenestra cœli est.

32. Notandum quoque est, non tantùm vocari januam, verùm etiam fenestram cœli: *Cœli fenestra facta es*, canit Ecclesia. Ad quem finem? an cœlum adeò obscurum, ut fenestrâ ad lumen recipiendum indigeat? certè non; ad quid hac fenestrâ opus? Magna est differentia inter januam & fenestram; per illam domini & magistri intrant, quibus aditus non præcluditur; per hanc fures & latrones qui videri nolunt; ita

 asse-

Joann. 10. 1. asserente Salvatore: *Qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* B. Virgo ergò fenestra & porta est; porta pro justis, fenestra pro peccatoribus; porta iis qui meritis suis cœlum intrare possunt, fenestra iis qui meritis suis id acquirere nequeunt. O quàm lætum nuntium hoc nobis peccatoribus! merita nostra insufficientia sunt ut per portam cœlum ingrediamur; recurramus ergò ad fenestram. Advertendum autem est scalis opus esse ut eò pertingamus; quę erunt hę scalę? pœnitentię & lachrymæ, de quibus aiebat David, dicens: *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit.* Psal. 83. 6. Si in sordibus vitiorum permanere cupis, & cogitare Virginem Mariam tibi fore adjutricem, & in cœlum te admissuram, deciperis. Ad fenestram attendit manum extendens, teque invitans, sed necesse est ut tu quoque accedas, à terrâ te subleves, pœnitentiæ scalas ascendas, sicque cœlum consequaris.

PARS SECUNDA.

B. Virgo nos omni modo defendit & victores efficit.

33. Ingens est beneficium ab inimicis defendi, majus tamen est fortitudinem acquirere illos devincendi & subjugandi. Illud siquidem nos perdere non facit, hoc verò victores & triumphatores efficit. A Virgine Maria omnia habemus illa veste, arcu, & Arcâ veteris Testamenti nos defendit; sed virtutum suarum exemplis, & orationum ac meritorum auxilio victores efficit. Tempore veterum Græcorum Spartani superbi ęstimati erant, cum quibus Thebæi bellum gerentes, seque viribus inferiores cognoscentes, ad Oraculum confugêrunt, ut aliquem vincendi modum apprehenderent, dictûque illis fuit ut scutū Aristomenis fortissimi viri conquirerent, quô præliantes, certissimam victoriam consequerentur, ut accidit. Continuum nobis cum Diabolis bellum, fortitudine nobis multò sunt superiores; quid remedii ut illos vincamus? scutum arripiamus Aristomenis; quid sibi vult hoc scutum? id est, scutum optimæ mentis, jugis cum Deo meditationis: *Cogitatio sancta salvabit te*; sed cui hoc nomen meliùs convenire potest quàm B. Virgini, quæ in omnibus semper optimam elegit partem; juxta Evangelium: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.* Luc. 10. 42. Oculi Sponsæ in Canticis, fuerunt oculi columbarum, columba siquidem plurima grana ante se habens, scit eligere meliora, aliaque relinquere. Cant. 4. 1.

B. Virgo optimum omnium elegit.

Quàm

Quàm perſpicacibus oculis prædita fuit hæc ſacra columba, cùm pretioſum virginitatis granum ab omnibus derelictum & deſpectum, ac ut inutile & infœcundum rejectum, ſola cognoſcere, ſibique perpetuô votô devincire novit? Verè dicere poſſumus, ex omnibus quæ in cœlo & in terra ſunt, B. Virginem ſemper optimum elegiſſe. S. Anſelmus hoc pulchrâ ſimilitudine explicat, dicens: *Deus eſt quô nihil majus aut melius excogitari poteſt.* Ita de B. Virgine mihi dicendum videtur, illam poſt Deum eſſe, quâ nihil melius aut majus excogitari poſſit. Inter puras aut ſimplices creaturas nihil majus excogitari poteſt: *Quiſquis major Mariâ Virgine Deus eſt.* Eleva igitur intellectum tuum quantùm potes ô Philoſophe aut Theologe, cogita ac contemplare excellentiorem ſanctitatem, majora merita, ſublimiorem gloriam quæ infra Deum excogitare potes, omniaque hæc, multòque ampliora in B. Virgine reperire poteris. Id præclarè teſtatur B. Petrus Damianus, dicens: *Omne faſtigium ſanctitatis tranſcendit, omni præponderat gloriæ, nec planè majus aliquid creaturæ poterat Creator impendere.* De dignitate matris intelligas velim, juxta illud quod S. Thomas in prima parte docet. Optima ergò omnium ſanctiſſima Virgo habuit.

34. Sed quod ejus ſcutum & protectio erit? Ariſtomenes unicum habebat, pauci proinde illo cooperiri & defendi poterant. Sed beatiſſima Virgo innumerabilia habet: *Mille clypei pendent ex eâ;* ideoque omnes defendere poteſt. An dubitatis hoc forte eſſe? Dæmones infernales hoc videntes, de victoriâ deſperant, nec appropinquare audent. Hunc inceperunt concipere timorem, dum adhuc B. Virgo in carne mortali degeret; ideoque legimus Salvatorem noſtrum in deſertum seceſſiſſe: *Ductus eſt Ieſus à Spiritu in deſertum ut tentaretur à Diabolo.* Sed quid, nónne Diaboli in civitate quoque tentant? imò potiùs illic quàm alibi; cur ergò Salvatorem ibi non tentabant?

B. Virginis protectio ſcutum eſt.

Cant. 4. 4.

Matth. 4. 1.

35. Placet mihi devoti doctoris expoſitio, Diabolos in civitate non auſos fuiſſe Salvatorem tentare, quia illic cum B. Virgine morabatur, ad cujus ædem infernales Spiritus accedere non audebant. Idem quoque ex SS. Patribus confirmari poteſt, dicit enim S. Jeronymus ideò Salvatorem voluiſſe, ut mater ejus deſponſata foret: *Vt partus ejus celaretur Diabolo.* Ne Diabolus adverteret illam Virginem peperiſſe. Nónne Diabolus id cogno-

Diabolus B. Virginem viventem timuit.

S. Jeronymus lib. 1. comment. in cap. 1. Matth.

ſcere poterat, licèt deſponſata eſſet? mulieres induſtriæ rectè cognoſcunt, utrum aliqua filia virgo ſit, an non; quantò magis ergò Diabolus? verum eſt illum potuiſſe id cognoſcere, non tamen auſus fuit tam propè accedere, nec illam aſpicere, aut domum ejus adire, ideò hoc ſecretum celatum manſit. Si illam igitur in carne mortali exiſtentem timuerit, quantò magis modò, dum glorioſa, & Regina cœli & terræ declarata fuit?

B. Virgo plus quàm martyr fuit.

36. Scutum Virginis invictam ejus virtutem nuncupare poſſumus, quæ nobis ſummè admiranda & imitanda eſt. Fortes procul dubio martyres fuerunt; ſed plus quàm martyr B. Virgo fuit, illi ſiquidem patiebantur in carne propriâ ab ipſis odio habitâ, quam deficientibus carnificibus malè tractabant, & variè affligebant. Sed B Virgo in carne innocentiſſima & amantiſſima, quæ fuit caro proprii filii, & in animâ ſuâ. Alexandro Magno vulnerato, aulicus quidam interrogabat, quâ in parte vulnus acceperat; utque oſtenderet ſe majorem ſentire dolorem quàm Dominus ejus, reſpondit, vulneratus fuit in latere, ſed in ventre meo vulnus deſiit. Pari modo de vulneribus Salvatoris dicere poſſumus, vulnera ipſius in corde Virginis finiviſſe, manus, & pedes ejus transfixi fuerunt duriſſimis clavis, ſed his cor Virginis transfixum fuit. Latus ejus lanceâ confixum, & hæc cor Virginis penetravit. Ita ut illa magis vulnera ejus ſentiret, quàm ſi propriè accepiſſet. Meritò ergò de illâ devotiſſimus Bernardus ait: *Plus quàm martyrem prædicemus, in quâ nimirum corporeæ ſenſum paßionis exceſſerit compaßionis affectus*; quæ omnia admirabili patientiâ & fortitudine ſuſtinuit. S.Bernard. ſerm. de verb. Apoſtol.

Scuto B. Virginis in tribulatione utendum.

37. Hoc ergò ſcutum eſt quo nobis prævalendum in cunctis afflictionibus & tribulationibus noſtris; quis enim non erit patiens, patientiam Reginæ cœlorum conſiderans? Quis umquam majores, magiſque innocenter ſuſtinuit dolores? Quis etiam illos libentiùs ipſâ ſuſtinuit? in aliis pugnis victoriæ armis offenſivis obtinentur, gladiis, haſtis, & ſimilibus; in hac ſpirituali pugnâ reſiſtendo, ac ſcutum patientiæ, fortitudinis, & tolerantiæ opponendo vincitur; ideoque legimus: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*; in his omnis armatura fortium Eccleſiæ conſiſtit. Quis verò ſcit utrum clypei illi non ſint capilli de quibus in Canticis Sponſus ait: *Vulneràſti cor meum ſoror mea ſponſa in uno crine colli tui.* Certum eſt mulierem ſpecio- Cant. 4. 4. Cant. 4. 9.

ſam ſolere habere collum inſtar eburis candidum, nec crinibus, aut ſordibus obſitum, ut Satyri & animalia; ſi ergò Sponſa cœleſtis pulcherrima fuit abſque ulla macula & nevo, quomodo dicitur crines in collo habere? Ecce Sponſus id declarat dicens: *Collum tuum ſicut turris eburnea, mille clypei pendent ex eâ*; litteraliter intelligendũ, gemmas pretioſas, variaque ornamenta in collo fuiſſe; quantùm verò ad myſterium, mille actus patientiæ & fortitudinis. Si non aliud ergò quàm illi ex collo ejus dependent, hi erunt capilli qui cor Sponſi vulneraverant. Sed cur dices capillos ſcuta vocari, quæ cum illis nullam habent comparationem aut proportionem? Ad docendum fortaſſis quantumvis hæc Sponſa ſcutis fortitudinis & patientiæ ad ictus inimicorum reprimendos armata fuiſſet, amore tamen erat tenerrima, nec ullam habebat reſiſtendi fortitudinem plus quàm capillus; vel ad ſignificandum, non pugnando, ſed flectendo ſe, & cedendo inſtar capilli victoriam obtinuiſſe inimicorum.

Cant. 4.4.

Quodnam ſcutum B. Virginis.

38. Simili fortitudine Deus pariter Prophetam ſuum Ezechielem, dum inter gentes crudeles & feras illum mittere cupiebat, dicens: *Dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Quid tunc efficies Ezechiel? audacter inſurges? confliges, fugabis, ac efficies ne poſſint tibi reſiſtere? Nequaquam, ſed reſiſtendo fortiter, & patienter ſuſtinendo; & paulò poſt ſe explicat, dicens: *Vt adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam.* In quo ſiquidem virtus adamantis conſiſtit? in vulnerando fortaſſis? Non, ſed in ſuſtinendo, ac fortiter percuſſionibus reſiſtendo, nec malleis vel igne ſe conteri permittendo. Fortitudo quoque ſilicis in reſiſtendo conſiſtit, & percuſſus ſcintillas emittendo. In his ergò victoria ſervorum Dei conſiſtit; vera quippe victoria in tolerantia & perſeverantia, in amore pro odio reddendo, in beneficiis pro offenſione exhibendis ſita eſt. Imò non ſufficit adamantem eſſe, ſilicem quoque eſſe oportet, non ſolùm videlicet fortem in reſiſtendo, verùm etiam in amore ardentem, hæc ſiquidem vera probatio divinæ dilectionis eſt, & fidelis Dei amici.

Ezech. 3. 8.

Reſiſtendo inimicus vincitur.

Ibid. 9.

39. Mirabilia & inaudita de magnete leguntur, quæ ſi de aliis lapidibus dicta eſſent, incredibilia forent; cùm tamen de illâ plurima per experientiam patent, non adeò incredibilia eſſe videntur. Commune eſt magnetem probare

Tribulatio ut magnes probat amorem.

veram dilectionem unius amici ad alterum. Positâ siquidem hac sub cervicali dormientis, si se vertens amicum osculetur, signum erit certissimum ipsum ex corde eum diligere. Utrum omninò sit certum asserere non auderem; dicam tamen similem virtutem tribulationem habere; si enim tu in lecto prosperitatis quietè dormias, sine aliquâ anxietate, tibi autem supponatur magnes tribulationis alicujus, quæ valde te affligit & molestat, sed inæstimabilis virtutis, tuncque ad Deum te convertens, ipsi gratias agas, & benedicas in perpetuum; id clarum est signum tui veri amoris, quòd nimirum sis fidelis servus & prudens. Nullus umquam B. Virgine exceptâ, certius amoris signum exhibuit, & experientiam infallibilem declaravit; in præsepio siquidem se adeò pauperem, & omnibus rebus privatam conspiciens, ad dulcissimum filium se convertens, melliflua illi infigebat oscula; cruci verò affixum cernens, si non poterat effectu, affectu saltem non desinebat, prout etiam sacro ejus capiti à cruce deposito, mille amplexus & oscula tribuebat. Ita nobis ergò agendum, quô factô exequemur monitum Davidis dicentis: *Apprehendite disciplinam*; ecce tribulationem nempe à vobis recipiendam. Sed quomodo? Hebraica versio nos clarè hoc edocebit, illa siquidem ad intentum nostrum prædicta verba ita interpretatur: *Osculamini filium*; quasi diceret, dum afflicti & mœsti estis, nec ullam nôstis invenire consolationem, convertimini ad unicum filium Dei nostri, qui est consolatio nostra, sicq; veri amoris signa illi exhibebitis.

B. Virg. certissima dedit amoris signa.

Psal. 2. 12.

40. Ad fortitudinem hanc admirabilem obtinendam, secundum documentum jam tradendum rectè inserviet. Quòd nimirum B. Virgini Mariæ simus particulariter addicti. Non meministis me sæpiùs vos admonuisse ut imitemini prudentiam serpentis: *Estote prudentes sicut serpentes?* In quo ejus prudentia consistit? Dicunt aliqui in eo, quòd caput abscondat & tueatur, nihil de reliquo curans corpore; alii in eo, quòd pellem veterem exuere, & novam assumere novit; alii, quòd se hiemis tempore abscondendo, primo vere prodeat; sicque varii varia sentiunt. Si tamen mihi quid sentiam dicere licet, dicerem in devotione & recursu ad B. Virginem in nostris necessitatibus imitandum esse. Dices fortassis quomodo in eo imitandus, cùm majorem inimicum muliere non habeat? cùm hæc etiam ipsi caput confregit,

B. Virgo particulariter affici debemus.

Matth. 10. 16.

Gen. 3. 15. juxta Oraculum: *Ipsa conteret caput tuum?* Rursus nihilominus repeto, si B. Virgini addicti fuerimus, serpentem imitabimur. Non meministis quid hic effecerit, ut primum parentem nostrum deciperet? non illum immediatè aggressus, sed ad Evam primò perrexit, quâ devictâ, facilè per eam Adamum devicit. Pariter nobis agendum; quid prætendimus? quis est scopus noster? Benignè superare nostrum secundum Adamum, à Christo Salvatore nostro remissionem peccatorum aut concupiscentiarum refrenationem obtinere. Quid in hoc agendum? Prudentia serpentis imitanda; ad secundam nostram Evam recurrendum, ad matrem nostram Mariam, illa siquidem benignissima, quàm facillimè ad partes nostras adducemus; sicque per illam à Salvatore cuncta nobis proficua obtinere poterimus. Illa nostra est advocata & mediatrix, dicente S. Bernardo: *Opus est mediatore ad mediatorem, nec alter vobis utilior quàm Maria*; ita locum illum S. Matthæi se intelligere demonstrat S. Hilarius: *Hujus serpentis prudentiam malignantis concilii, ordine Genesis docuit, primò enim animum sexûs mollioris aggressus est.*

S. Bernard. serm. de verb. Apostol.

Tres devotionis species

41. Advertendum autem est tres esse species devotionis, una aliâ perfectior, prima perfectissima illorum est, qui ex intimo corde se totos B. Virgini dedicant, parati quoque pro illa mori, & in cunctis voluntatem ejus adimplere. Hæc est genuina significatio vocis *devotio*, tantùm quippe est dicere *devotus*, quàm propter servitium, aut honorem alicujus morti addictus; prout duo Decii, pater & filius, Romani, se morti offerebant, dicentes se ita esse devotos. In actibus Apostolorum simile quid reperimus eorum, qui votum fecerant non se comesturos, nisi Paulum occidissent: *Devotione*, inquiunt, *devovimus nos nil gustaturos, donec occidamus Paulum*; ita ut potiùs fame perire vellent, quàm malignam eorum voluntatem non adimplere. Hujus devotionis fautores quàm paucos erga B. Virginem reperiemus? Qui non est castus, qui non humilis, qui non misericors, qui non potiùs vellet mori quàm peccatum mortale committere, qui supra omnia B. Virgini Mariæ placere non studet, hoc modo illi devotus esse dici non potest. Hanc devotionem quis assequi cupiens, cogitare debet, Virginem illi hæc verba inspirare, quæ jam ministris in Cana Galileæ nuptiis dixit, & ultima sunt quæ ab ipsa prolata leguntur: *Quodcunque dixerit vobis facite*;

erga B. Virginem.

Prima devotio se totaliter ipsi offerre.

Actor. 23. 14.

Joann. 2. 5.

cite; quodcumque filius meus vobis inspiraverit, omnia exequi studebitis; legem ejus observare, sancta ejus præcepta executioni mandare, à consiliis ejusnon discedere. Hanc vellē (Auditores) devotionem omnes nos suscipere, ut sanctam matrem nostram vel sic colere possimus.

42. Si tamen animus imbecillis, & multis sæculi curis deditus idipsum perfectè exequi non valeat, ad minus voluntate id assequamur, sicque aliquid saltem obtinebimus. Secunda Virginis devotio facillimè ab omnibus observari potest, & debet; ut nimirum amore suo quidpiam singulis diebus, septimanis, vel mensibus efficere procuremus; exiguas v. gr. offerre preces, imaginem ejus devotè venerari, Ecclesias ejus visitare, eleemosynam ob honorem ejus elargiri, diebus sabbathi Missæ sacrificio interesse, à cibis abstinere, semel tantùm comedere, aliaque pietatis officia exercere. Quòd si voto eadem confirmentur, potiori ratione devotionis effectus vocari poterunt; ita non arborem totam offerendo, aliquos saltem ex eâ fructus Virgini offerre poteritis. Si verò hæc secunda devotio fragilitati tuæ impar videatur, quia infirmus, pauper, aut nimiùm occupatus; ad minus hanc tertiam tibi assumere poteris. Tertia hæc devotio est; ut si arborem, nec primos, aut posteriores fructus offerre nequiveris, folia saltem ipsi offerre stude; verba nimirum & preces, recitando ipsius coronam, nomen ejus reverenter nominando, Ave Maria sæpiùs iterando, & breves orationes illi, aut cogitationes iteratò offerendo.

Secunda devotio aliquid in honorem ipsius peragere.

Tertia devotio preces in honorem ejus recitare.

43. Dicet fortè quispiam quid mihi hæc proderunt, si in malo statu, aut peccato mortali fuero? Respondeo, verè nullum opus in peccato mortali factum meritorium esse, nec Deo absolutè gratum; maximè tamen hæ devotiones juvant, quia animam minùs indispositam divinis gratiis & donis aptiorem reddunt, vires Satanæ frangunt, & beatissimam matrem nostram ad particularem nostram custodiam excitant, aguntque ut nos à faucibus diabolicis & pœnis inferni quantociùs piissimâ suâ interventione eripere valeat. Dico insuper sanctissimum ejus nomen quandoque prolatum, aut casu à nobis vel aliis auditum vel cogitatum, non exiguam contra inimicos nostros vim obtinet. Insignem ad hoc intentum probationem habemus in aviculis istis qui ab hominibus sicurati, ipsorum loquelam imitantur; cùm enim aliqua

Invocatio B. Virginis efficacissima.

qua *Ave Maria* proferre didicisset, die quâdam ab aliâ rapaci ave præoccupata & arrepta, se defendere non valens, voces illas edoctas pronuntiavit, dicens; *Ave Maria*. Ecce mirabilis hujus vocis virtus; etenim quasi acuto telo alia avis perforata fuisset, in terram mortua decidit. Si, ergò Mariæ nomen in ore aviculæ irrationalis tantam vim habuit, quid efficiet cum devotione & fiduciâ prolatum à servis suis? si avis rapax ad vocem ejus mortua ceciderit quæ illam minimè intelligebat, quantùm magis illam timebunt rapaces furiæ infernales, & ad auditum ejus vim omnem perdentes, se in fugam convertent; cùm sæpissimè ingentem ejus virtutem variis occasionibus expertæ fuerint?

44. Meritò ergò S. Bernardus exhortari fideles & devotos non desinit, ut ad ipsam in omni tribulatione & necessitate confugiant: *Si insurgant*, inquit, *venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, invoca Mariam; si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam in periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde.* Quod si feceris, hîc & in aliâ vitâ, illam constantissimam tuam adjutricem & protectricem reperies, & cum illa perpetuò gaudebis. AMEN.

S. Bernard. serm. 2. super missus est.



DISCVRSVS XXV.

Si mulier potiùs quàm vir tribulationis nostræ causa sit; ubi de malitia & crudelitate muliebri agitur, qualiterq; vir cum muliere, & mulier cum viro conversari debeat.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Mulier viro fragilitatem tribuit. num. 1. 2. 3. 4,
Mulieris ira implacabilis. à num. 5 usque ad 9.
Mulier crudelitate insatiabilis. à num. 10. usque ad 15.
Mulier potentior & astutior in malo quàm vir. à num. 16. usque ad 22.
Mulieris pulchritudo summè nociva. à num. 23. usque ad 27.
Prædicta reprobantur & explicantur. à num. 28. usque ad 39.
Quomodo aspectus & consortia virorum ac mulierum fugienda. à numer. 40. usque ad finem.

Balaam volens maledicere Israel illum benedixit.

1. REx Balach multis donis ac muneribus allexerat Prophetam Balaam, ut electo Dei populo Israëlitico malediceret. Jamque manum extenderat, os aperuerat, linguam solverat, ut fulgura & comminationes contra illum evomeret. Subitò tamen tentoria exercitus illorum benè ordinata conspiciens, mentisque oculis favores & gratias à cœlo illi præordinatas penetrans, efficere non potuit ut illum malediceret, sed in benedictiones invitè prorumpens, in laudem ejus clamare cœpit: *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël?* Num. 24. 5. quod Balach percipiens, indignatione plenus, dixit: *Vt malediceres inimicis meis vocavi te, & tu è contrario benedicis.* Ibid. 10. Quid agis Balaam, quis modus procedendi iste? ad maledicendum te conduxi, non ad benedicendum. Quod Balaam tunc accidit, mihi quoque accidisse videtur; cùm enim dispositus fueram, seriesque Discursûs mei exigebat, ut si non maledicerem, multa saltem mala & damna à mulieribus provenientia proferrem, ostenderemque illas præcipuas tribulatio-

lationum nostrarum causas esse, sed dum mente reuoluerem mirabile beatissimæ V. Mariæ tabernaculum, in quo Deus altissimus carnem suscipere venerat, illud adeò insigne & excellens mihi visum est, vt maledictiones in benedictiones conuertere me oportuerit: metuo tamen plures me reprehensuros dicendo, huc adueneram instar Balach vt vituperia & maledictiones mulierum audirem, iuxta promissa nobis facta; modò verò contraria audio. Quomodo hoc evenit? An mulieres cōcionatorem incantationibus aliquibus inuerterunt? Nolite tamen diffidere quia spe vestra defraudati non eritis. Quid ergo agendum nobis est, sicut Balach cum Balaam egit conduxit illum ad diuersa loca, ex iisque populum Israëliticum conspicere curauit: vt si aliqua pars huius populi benedictione digna censeretur, altera saltē pars malediceretur. Similiter nos agere cupio; ac oculos nostros paulatim à bonis mulieribus auertentes, iniquas consideremus. Quid me ergò interrogatis vtrum mulier viro occasio tribulationis sit?

Mulieres ob B. V. bendicta.

2. Hanc interrogationem breuiter vobis enodare cupiens, respondeo non solùm causam esse, verùm etiam præcipuam, & potentiorem inter omnes. Omitto in primis quæ Sapiens ratione Euæ dixit: *A muliere, initium omnis peccati, & per ipsam omnes morimur.* Etenim si illa prima peccati & mortis omniū causa cogitandum vobis relinquo, cuius mali quantum ad animam & corpus mulier non sit futura causa. Hoc quoque relinquendo dicere audeo, omnem fragilitatem, & infirmitatem in homine repertam à muliere provenire. Quod ne vanum vobis videatur hac ratione probabo. Quæ sunt præcipuæ partes in corpore humano ossa, & caro ex illis omnis fortitudo hominis derivatur; illa hominem erectum tenent, fortitudinem contra adversa præbent, carne quippe subitò consumptâ illa pluribus temporibus integra conservantur. Ex ossibus insuper homo nullum sentit dolorem cùm sensu careant. Ex carne verò nullâ soliditate præditâ, vtpotè tenera, & delicata, omnis hominis debilitas provenit, quia doloribus aptissima, undè Proph. David ait: *Recordatus est quia caro sunt.* Psal. 77. 39
debiles nempè, & fragiles. Salvator noster idem quoque affirmat dicens: *Spiritus quidem* Matt. 26.
promptus est, caro autem infirma. 41.
Simili modo dicamus, genus humanum ex homine & muliere compositum; homo est os, fortitudo nempè & soliditas; mulier autem caro est,

Mulier præcipua tribulationis causa.

Mulier viro fragilitatem tribuit.

pars nimirum debilior, & fragilior: Non hæc mea inuentio, sed audite scripturam sacram idem referentẽ, loquens enim Ioannes de spirituali generatione per quam filij Dei effecti sumus, dicit hanc ex viro, non ex muliere procedere, sed quomodo vocat mulierem? carnem eam nuncupat, dicens, *Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate viri, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*. ubi notandum illũ contrà distinguere virum à carne, dicit enim *Neque ex voluntate viri* & postea *neque ex voluntate carnis*. sed vir nónne ex carne quoque est? Quid ergò opus erat mentionem viri, & carnis facere quasi diuersarum rerum? Quia ad generationem hominis concurrit vir, & mulier, dicere voluit illos nec ex viro, nec ex muliere natos esse, ideo illam nomine carnis expressit, hunc verò illi cõtra distinxit, vir siquidẽ mulieri comparata meretur nomen ossis & non carnis. Nónne recordamini Deum in formatione Evæ os ex Adamo sumpsisse, & Evam inde formasse, ex qua tot carnis accepit, & Adamo dedit: ut indicaret virum mulieri fortitudinem præbere debere, & mulierem viro debilitatem? Dicunt insuper aliqui, in formatione hominis, ossa ex virtute seminis virilis, carnem verò fragilem, ex materia à muliere subministrata confici.

Ioan. 1. 13

Fragilitas muliebris probatur ex nomine.

3. Ipsa denique viri, & mulieris nomina idem indicant; pręcipuè in lingua Hebręa quæ mysteriosissima, in hac vir & mulier duo habent nomina, sed plurimũ diuersa, unum namque fortitudinem, aliud fragilitatem significat; unum viro ex seipso convenit, quale est *isch* fortitudinem significans: aliud derivatiuè à nomine mulieris illi convenit quale est *Enos* debilitatem seu infirmitatem significans Mulier quoq; nomẽ sibi proprium habet *Eva*, quod illi debilitatem, & fragilitatem indicat: aliud à viro derivatum mulierem fortem exprimens, vt *Ischa*: Quis non advertit mirabilia in eo latere mysteria? Duo habet vir nomina propriũ unum, aliud derivativum; duobus quippè modis considerari potest, ut vir particularis & ut paterfamilias. Tanta siquidem est mutatio viri uxorem ducentis, ut quasi alter vir nuncupari possit; ideoque nomen mutat, idem de muliere affirmari potest. Magis tamen proposito meo ex seipso homo fortis dicitur, & hoc illi proprium nomen, à muliere autem debilitatem, & fragilitatem accipit; ideoque hæc illo nomine exprimitur. Mulier econtrà ex seipsa debilis & fragilis, omnem fortitudinem viro acceptam refert;

ideoque

ideoque solum nomen à viro derivatum fortitudinem eius indicat. Quid opus est Hebraica indagare nomina, si idem lingua Latina nobis referat?

Mulier ex fragilitate dicta.

4. In lingua Latina vir pariter duo habet nomina, unum proprium nempè *vir*, hominem validum, & fortem indicans, vir siquidem à virtute derivatur; & aliud commune viro & mulieri, nempè *homo*, rem vilem & fragilé indicans: *homo* quippè ab *humo* derivatur. Mulier quoque duo habet nomina, unum proprium *mulier*, mollitiem & debilitatem exprimens, quia *mulier* à mollitie dicta, vel ut alii volunt, *mollis aër*; aliud nomen est *virago* à viro derivatum, validam, & robustam indicans. Ex muliere ergò debilitas in homine derivatur, & ab homine fortitudo in muliere; quotiescumque enim homo superior erit, & mulierem sibi subditam tenebit, fortis erit, & fortitudinem suam mulieri communicabit. Quoties verò illi se subdet, & ab ipsa dependebit, debilis erit & fragilis instar mulieris. Jta fragilem ac debilé se Samson mulieri submisit & in manus fortissimorum inimicorum devenit.

Mulier virum debilem reddit.

Quis Herculem omnibus bellicis trophæis spoliatum, mulieris instar fusum arripere & fila ducere coëgit, nónne mulier? Quis fortem bellatorem regem Davidem, qui ludendo leonem, & ursum interfecerat, & caput immēso giganti Goliath amputauerat, adeò debilem reddidit ut diceret? *Non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis*, nónne mulier? Meritò ergò Iob dicere poterat, omnium miseriarum & calamitatum nostrarum initium à muliere exordiri, *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* ingens ergò homini adfert malum, mulieris filium esse. Si malum igitur est illam habere pro matre quid erit inimicam habere? si quoque tantorum malorum occasio, filiis quos amat, qualis erit iis quos odit.

Psal. 37. 8.

Iob 14. 1.

Mulier potest & vult mala inferre.

5. Vt plurima damna, & mala ab aliquo recipiamus, duæ conditiones necessariæ requiri solent, voluntas nimirum & potentia: si vellet & non posset, aut si posset & non vellet, posses securus permanere; sed voluntatis & potentiæ unitæ, quis explicare poterit effectus? si vobis ergò probavero nullam esse personam aut aliud quidpiam, magis volentem, & potentem malum inferre, quàm mulierem, clarissimum erit, inter occasiones tribulationum nostrarum primum locum mulieri assignandum. Vnde ergò dubitandum? De voluntate fortassis?

mulier siquidem animo pio, misericordi, & placabili videtur, ut nõ videatur vel in minimo velle alicui nocere? Deciperis; voluntas quippe alicui mala inferre volendi unde nascitur, nisi ex irâ & indignatione? sed quæ maior ira, quàm mulieris? mulier indignata, & irata furia est infernalis, teste

Eccli. 25. 22. *Ira mulieris implacabilis.*

Sapiente: *Non est caput nequius super caput Colubri, & non est ira super iram mulieris.* Ita ut quantò horribilius magisq; metuendum est caput venenosi serpentis, quàm caput humanum, tantò maior, & implacabilior est ira & indignatio mulieris, quàm ira viri. Indignatio viri irati, Zelotypi vindicativi ingens est, non tamen iræ muliebri æquiparanda. *Non est ira*

Ibid.

super iram mulieris: meritò quoque capiti serpẽtis comparata; caput Leonis, Lupi, Tigris, aut alterius animalis dentibus solùm nocet, & confringit quod arripit: caput verò Serpentis unam partem tangens omnes alias inficit, & venenô enecat. Pariter mulier irata, non solùm damna infert ubi accedit, verùm etiam venenum suum multis aliis communicat. De Rege Achab refert Scriptura sacra, neminem illo fuisse sceleratiorem; *Non fuit alter ta-*

3. reg. 21.

lis ut Achab, qui venundatus est ut faceret malum. Sed quam creditis fuisse causam ut omnes in malitiâ transcenderet: quia magistram omnibus peiorem habuit, qualis illa fuit? Iesabel mulier pessima dicente sacro textu: *Concitaverat enim eum* Ibid.
Iezabel uxor ejus. Si vir ergò à muliere incitatus & eruditus alios omnes in malitiâ superat, cogitate quid mulier fera, & maligna efficiet? si discipulus parem non habeat, cogita qualis erit magistra? si miles tanti valoris, qualis erit Dux. *Non* Eccli. 25.
est ergò ira super iram mulieris. 22.

Mulier summopere iræ dedita.

6. Si auctoritate non tibi satisfactum, ratione idem probari poterit: quæ enim est causa iræ? Aristoteles inquit, iram ex contemptu nasci; licet enim satis displiceat damnum, cùm tamẽ alius te inadvertenter offendit, nullam concipis indignationem, pro minimo autem contemptu etiam absque damno, ira accenditur. Huic Aristotelis propositioni, illam Ciceronis adjungere possumus; *Qui contemptibiles sunt, semper contemni se æstimant.* Qui aliquô vitiô, aut naturali defectu inquinatus, semper sibi hoc improperari ęstimans, omnia verba prolata in hunc finẽ retorquet. Plutarchus notat inter animalia & homines, debiliores magis esse cholericos, & iracundos, timent quippè semper minùs æstimari. Quis autem nescit mulierem debiliorem, & fragiliorem viro esse?

certum

certũ eſt mediũ ignobilius fine eſſe, cùm omnem nobilitatem ſuam a fine percipiat. Mulier verò quô fine creata eſt? abſque dubio pro ſervitio viri, ita S. Paulus apertè ait: *Non eſt vir propter mulierem, ſed mulier propter virum*? majori ergo defectui obnoxius, ubi ſiquidem mulier in veteri lege propter partum maſculi quadraginta diebus in purificatione manebat, propter partum feminæ octoginta diebus manere debebat, utpotè quæ majores ſordes inde contraxerat. Nec denique deeſt qui dicat mulierem extra intentum naturæ naſci, quæ ſemper perfectius intendit, ideoque ſemper maſculum producere vellet. Jdem mulieres mihi negare non poterunt, hoc quippè credo illas ſemper deſiderare; majoremque ſentire lætitiam in parturitione maſculi quàm feminæ, ita ut mulier videatur opus caſu factum, quia melius fieri non poterat.

Mulier ignobilior viro.

1. Corint. 11. 9.

Mulier imperfectè confecta.

7. Jn formatione quoque mulieris Creatori univerſi contigit, quod principi accidere ſolet; qui tantum auri ſtatuario tribuit, & tantum ex altero metallo, quantum ad confectionem ſtatuæ unius ſufficiat, dum autē opere perfecto partes aliquas ſupereſſe conſpicit ex iis ne perdantur, ſtatuam minorem confici jubet. Pari modo Deus cum inſignem virilem confeciſſet ſtatuam hâcque perfectâ aliquid ſupereſſe videretur, unde ſtatua exigua confici poſſet mulierem inde formavit. Si mihi hac in parte non credatis audite Malachiam Prophetam dicentem. *Dominus teſtificatus eſt, inter te & uxorem pubertatis tuæ: & hæc particeps tua*; ſed quomodo? *Nónne unus fecit, & reſiduum ſpiritus ejus eſt? unus fecit.* Idem fuit Creator, & artifex utriuſq; ſed mulier qualiter facta? *Reſiduum ſpiritus ejus eſt*; ne rejiciamus ſuperfluum materiæ formationis viri. Cùm ergò mulier adeò ſit imperfecta, credi vix poteſt quàm ſuſpicioſa ſit ne contemneretur, quantumque propterea timeat ab omnibus deſpici, conſequenter quàm iracunda, & indignabunda. Inſignis Romanæ Vrbis fundator Romulus hoc rectè intelligens lege latâ ſancivit, maritum uxorem, non autem uxorem maritum poſſe repudiare. Adeò ſiquidem faciliter mulier indignatur, ut ſi in poteſtate ejus eſſet virum repudiare aut ab eo diſcedere, vel matrimonium diſſolvere, non eſſent duobus diebus ſimul. Dices fortaſſis injuſtitiam eſſe viro permittere ut uxorem repudiet, & non uxori quod poſſit repudiare maritum: hoc enim permittitur ſervis, ut ſi domi-

Malach. 2. 14.

Facillimè indignatur.

dominus possit servum dimittere, etiam servus possit dum illi placet à domino recedere. Non tamen dici potest legem à Romulo latam, injustam esse, idem quippè Deus in Deuteronomio constituit, permittens viro uxorem repudiare, non autem idem permittens uxori? non quòd pejor sit seruo, sed quòd facillimè etiam absque ratione quandoque indignetur.

Mulier inconstans & mobilis.

8. Dices verum esse facillimè indignari, sed verum quoque est facillimè placari; ut enim quidam dixit: femina naturâ mobilis. Respondeo haud dubiè inconstantem & mobilem esse, sed in bono, & amore; facilius quippe est ventum pugno stringere, quàm de amore mulieris se certum reddere. *Qui retinet eam quasi qui ventum teneat*; dixit Sapiens. In malo tamen firmior, in indignatione implacabilior. Si filia tibi nasceretur vellesque ei nomen naturæ congruum imponere, quodnam ex omnibus eligeres? nullum certè melius quàm quod Deus per Oseam prophetam filiabus suis imponendum voluit: voluit Deus Oseam uxorem ducere, & filios procurare; sicut quoque curam particularem servorum suorum habet, non tantùm uxorem ei exhibere voluit, verùm etiam nomina prolibus nascentibus imponere. Nascitur ergo illi filia, recurrit Propheta ad Deum, ut sciat quod nomen illi imponendum; quid illi respondit Deus? *Voca nomen ejus absque misericordiâ.* Hoc nomen proprium est mulieribus, cùm Deus ore proprio illis imposuerit. Dices hoc illi mulieri proprium fuisse, sed non aliis omnibus; bene hoc concluderet si Scriptura sacra aliud nomen alicui mulieri imposuisset. Reperimus Deum sæpius viris nomina imposuisse, mulieribus verò numquam, Saræ nomini litteram unam adjunxit, sed nomen non variavit. Vnicâ ergo vice Deus nomen mulieri imponens, vocavit illam immisericordem, immitem: hoc igitur nomen illi proprium non aliud.

Proverb. 27. 16.

Mulier propriè vocatur immisericors.

Osee 1. 6.

Cur Adam potiùs uxori quàm Deo obedivit.

9. Nimis benè hoc nomen intellexit primus parens noster Adam, quæ causa fuit Deum offendendi, non enim promissionibus serpentis ut Eva deceptus, non pulchritudine aut sanitate pomi allectus, sed ad comestionem adductus, ne consortem contristaret, nec voluntati ejus resisteret. Si quis illi dixisset, quid facis Adam? potiùs Evæ quàm Deo placere cupis? potiùs gratiam divinam, quàm Evæ perdere? potiùs te Deo inimicum reddere, quàm mulieri cupis?

cupis? Respondisse illum credo, gratia Divina absque dubio magis mihi necessaria, quàm meæ uxoris; Deus tamen adeò est misericors ut si illum offendam subitò ignoscet: mea tamen uxor naturæ adeò immitis, & ferinæ, ut si semel illam offenderim, implacabilis sine pace, aut quiete persistet.

Mulier crudelitate insatiabilis.

10. Nec implacabilis solùm verùm etiam affligendi, & vindictam sumendi, insatiabilis est mulier indignata & irata; cui nec reverentia parentum, aut mariti, nec naturalis filiorum amor, nec loci aut personæ dignitas, nec aliud quidpiam in mundo potentius, ad frænum, aut aggerem furori indignationis ejus imponendum sufficiet. Quis enim ignorat Medeam adeò crudeliter in proprios filios innocentes irruisse, ut in partes secaret? Quis nescit Athaliam furore contra proprios cognatos accensam omnes morti tradidisse, uno solo arte erepto? Quis ignorat Tulliam Servii Tullii Romanorum Regis filiam, patre ab ipsa occiso curru triumphali per urbem invectam renitentibus equis, & auriga timore perculso currum ad aliam viam vertente, Tigridis instar feram, & crudelem increpasse aurigam, & currum vertere præcepisse, ut patris cadaver pedibus equorum conculcaretur, & rotis currus confringeretur. Unde in memoriam immanis adeò, & scelerati actus, colli nomen scelerati impositum mansit.

Crudelitas mulieris insatiabilis.

11. Quis nescit Fulviam Marci Antonii uxorem, non satiata videre Ciceronis inimici sui caput truncum, sed cùm alia non haberet arma, acû quem in capite gerebat, toties pungendo linguam (ab universis propter summum eloquentiæ decus reveritam) transfixisse, ut locus vulneri non remaneret. Nec uxor Ciceronis Quintia, feritate cedere noluit, in vindictam siquidem mortis sui cognati, per servum detectæ, effecit, ut idem suiipsius carnifex effectus propriam carnem dilanians & discerpens, interiret. Quid de Loadice Ariacis Cappadocum Regis uxore referam? Quæ vidua cum sex filiis masculis derelicta, ab illis regno expelli metuens, quinq; illorum mortem attulit, sexto quoque allaturam, nisi à parentibus ereptus fuisset. Quid de Euridice Macedonum Reginâ enarrem? quæ ut regnum adultero suo post mariti mortem traderet, filios omnes veneno interfecit.

Mulieres filios proprios comedunt.

12. Quid illas exhibeam, filios suos in obsessione civitatum occidentes & comedentes? An vir reperiri potetit

Hhhh

terit adeò crudelis, & inimicus? certè in obsessione civitatis Jerosolymitanæ latrones quidam hunc cibum invenientes licèt fame maximè cruciati, vehementer tamen abhorruerunt, nec animus illis adfuit crudele infanticidium intueri, quod mater in proprios filios exercuerat. Meritò ergò exclamat Tibullus poëta gentilis.

Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen.

Inter omnia insuper animalia feritatis palmam illi Menander tribuit dicens: *Ferarum omnium immitior fœmina.* Multò tamen melius mulierum crudelitatem exaggeravit Propheta Jeremias, illas misericordes vocans, quàm alii Poëtæ crudeles appellantes: dum dixit: *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos.* ostendit siquidem adeò immanem mulierum feritatem, ut occidere proprios filios, coquere, & comedere, quod aliis summum fuisset scelus, illis misericordiæ effectus dici posset. Si hic ergò misericordiæ illarum effectus, quales erunt crudelitatis, si mulieres misericordes comederunt proprios filios, quid agent mulieres crudeles? nullus intellectus humanus imaginari sufficit, nec ingenio sublimi speculando, pervenire poterit, ubi mulier crudelitate attingit. Nec tot crudelitatis species ulli tyranni quantumvis immanes excogitare valuerunt, quin multò ampliùs mulieres exercere noverunt.

Misericordia muliebris summa est crudelitas.

Thren. 4. 10.

13. Dices forsitan paucas esse adeò crudeles, sed majorem partem benignas esse, & misericordes. Placeat Deo hoc verum fuisse, nimis illud verum est: tantus quippe mulierum iniquarum numerus, ut pro miraculo habeatur unam reperiri bonam. Testem adduco Sapientem ne mihi hoc dictum adscribatur, qui admirando ait: *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Summâ, inquit Salomon, diligentia & industria undiq; quæsivi, si virum aut mulierem bonam invenire possem, tandē inter mille viros unum inveni, inter mulieres verò nullam. Si Rex tantâ sapientiâ, & potentiâ præcellens illam reperire non potuit, quis de nobis illam se reperisse gloriabitur? Sanctus Augustinus considerationem eximiam format supra generationem filiorum Adam, quorum unus fuit Cain impius, & sceleratus; alter Seth pius & justus, notat verò generationem illam in muliere Noëma appellatâ terminatam: generationem autem Seth, in Noë, & filiis suis. Non quòd progenies ejus in muliere desineret,

Vix una bona reperitur.

Eccles. 7. 29.

S. August. lib. 15. de civit. Dei, cap. 17.

Mulier symbolum iniquorum.

neret, cùm mundus plenus esset tali progenie, sed pulcherrimũ hîc notandum mysterium juxta S. Augustinum quippe in Caino & posteris ejus, propagationem terrenarum civitatum, in Seth autem ejusque sequacibus, cœlestem civitatem figurari. In muliere ergò desinit progenies Cain, in fœminis siquidem homines terreni degenerant. In viro autem progenies Seth, quia viriles & animosi debent esse cives cœlestes juxta S. Augustinum: ergò mulier carnales repræsentat; vir autem spirituales & cœlestes.

14. Quia verò plurimi facillimè veritati consentiunt, idem cum S. Augustino plures senserunt, similesque considerationes suprà generationem fœminarum in scriptura sacra instituerunt. Philo Hebræus in libro de gigantibus considerat illum scripturæ locum; *Videntes filii Dei filias hominum*: & notat generationem filiorum Deo adscribi bonorum videlicet; generationem autem fœminarum malarum nempè, hominibus: adjungens sequentia, *Qui sunt parum viriles fracti effeminatique, gignunt fœminas, ut expertes virtutis feracis, ut plantatores omnium vitiorum.* S. Ieronymus idem supra locum Ecclesiastici refert, dicens. *Nullus sanctorum nisi perrarò, fœminas genuisse narratur, solusq; Salphaad, qui in peccato mortuus est omnes filias genuit. Iacob inter duodecim patriarchas, unius filiæ pater est, & ob ipsam periclitatur.* Auctor Glossæ ordinariæ in caput 5. Genesis, similem notat considerationem dicens: *Notandum quia in generatione Seth nulla femina ponitur nominatim sicut in generatione Cain; justorum est enim omnia viriliter agere, nil femineum, nil fragile usurpare.* Origenes idem approbat dicens: *Invenies Sanctos, quibus eximium à Deo testimonium datur, difficile filias sed filios genuisse. Abraham non genuit filias, Isaac nec ipse quidem, solus Iacob unam genuit & ipsam fratribus ac parentibus gravem.*

Genes. 6. 2.

Non est bonum filias generare.

S. Jeron. in cap. 2 Eccli. num. 8.

Glossa in cap. 5. Genesis.

Orig. Homil. 11. in 1. Numer.

15. Hanc ergo SS. Patrum unanimem consensum auctoritate Isaiæ Prophetæ concludamus, qui fœcunditatem S. Ecclesiæ explicans, ipsi continuò filiorum generationem adscribit, numquam verò feminarum sic dicens: *Antequàm parturiret peperit, antequàm veniret partus ejus, peperit masculum*, & alibi; *parturivit, & peperit Sion filios suos*; alibi quoque: *Quis genuit mihi istos? ego sterilis & non pariens, & istos quis enutrivit? ego destituta & sola & isti ubi erant?* non quia Ecclesię filię mulieres non sint, sed quia mulierem nominans, nihil

Jsa. 66. 7.

ibid. 8.

Jsa. 49. 21.

Angeli numquam formâ muliebri apparuerunt.

hil boni dicere videtur. Aliud insuper notavi, quod sacram scripturam aliasq; historias legendo, plurimas Angelorũ diversis formis apparitiones reperiamus; militum, peregrinorũ, juvenum, infantium, nũmquã verò in similitudine muliebri; sæpius tamen mulieribus apparuerunt, quibus conveniens videbatur illorũ more se exhibere, ut majorem illis confidentiã præstarent, omnemque suspicionem adimerent. Angeli insuper cùm pulcherrimi sint spiritus, corpore speciosi, quale mulieris corpus apparet; conveniens illis videri poterat, ut illarum similitudine se exhiberent. Numquam tamen dignati sunt similitudinem illarum assumere, quasi nil boni sub specie muliebri latere possit: hujus quoque sexus Angeli in cœlo non reperiuntur. Dæmones econtrà sæpius formas muliebres assumpserunt, prout S. Antonio aliisque apparuerunt: scientes hanc formam deceptioni, & malitiæ illorum plurimùm conducere. Quantum ergò ad voluntatem nocendi nulli dubium est quin omnes excedant, non homines solùm, verùm etiam serpentes venenosos, omnesque bestias terræ.

Mulier ad malum potentior.

16. De potentia earum quid dicemus? negari non potest mulierem debiliorem esse, quia tamquam de re impossibili Sapiens ait: *Mulierem fortem quis inveniet?* Suprà quoque diximus, mulierem à mollitie, quasi mollem aërem nuncupari. Verum est debilissimam esse, sed scitis quando, ad bene operandum. Si verò de malè agendo loquamur, fortior universis est. Nonnè recordamini istius sententiæ sapientis cubicularii Darii Regis, qui de potentiori ac fortiori re totius mundi disputans, uno dicente vinum esse, alio Regem, ipse ait mulierem esse, huic autem solam veritatem, quę Deus est superponendo, palmam obtinuit? Meritò quidem hæc ita dixerunt, vinum siquidem vim in animo exercet, intellectum impedit nè functiones suas exequatur, mutat affectus, cogitationes dissipat. Rex corporibus imperat, potest quippè ligare, vulnerare, occidere; mulier autem supra animam & corpus dominatur, animum suis blanditiis alligat, & corpus crudelitate occidit. Licèt insuper sint homines fortes, omnes tamen ab eâ sunt devicti, attestante Sapiente: *Multos vulneratos dejecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab eâ.* Adeò fortis est quòd sicut ab inimicis etiã fortioribus est dedecus fugere, & honorificum magis sit mori quàm fœdari, juxta sententiam generosi Ducis Iudæ Macha-

Proverb. 31. 10.

Mulier fugâ vincitur.

Proverb. 7. 26.

1. Macha. 9. 10. Machabæi: *Moriamur, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* A muliere fugere dedecori non cedit, imò honorificum magis & particularis æstimatur Dei gratia, ubi siquidem tantæ fortitudinis excessus summæ temeritatis est velle resistere. Testes hujus veritatis Salomonem & Sanctum Paulum adduco. Eccles. 7. 27 *Qui placet Deo* inquit ille, *effugiet illam*, 1. Cor. 6. 18 hic verò ait, *fugite fornicationem.* nónne melius esset confligere? nequaquam; adversarium quippe adeò fortem non oppugnando, sed effugiendo vincere debemus, & magna æstimatur victoria si quis hoc assequi possit.

Cant. 7. 6. *Fortior morte mulier.* 17. Rex Salomon, ut fortitudinem Amoris exaltaret, dixit: *Fortis est ut mors dilectio.* non tamen dicere ausus, ipsâ fortiorem esse, nullam fortè rem morte fortiorem esse arbitratus. Dicere tamen auderem, in affligendo, & torquendo, amorem morte fortiorem esse. Ad hanc sententiam meam probandam, adducere possem consuetudinem aliquarum regionum, ubi si reus ad mortem condemnatus aliquam mulierem qui illum in maritum suscipere velit, pro vita ipsius judici supplicantem reperiat, condemnationem mortis dissolvit. Extranea certè, & mirabilis consuetudo, quando id quod nec advocatus, nec Dux, nec mulier bonæ famæ efficere potest liberare videlicet hominem propter scelera ad mortem condemnatum, mulier infamis efficere poterit. Quam creditis hujus rei caussam? credo equidem hanc esse, quòd sicut quis exhibendo solutionem majoris debiti, à minore absolvitur, ita majorem pœnam sustinere volenti, minor remittitur, quia verò morte nulla major est pœna, quàm consortium malæ mulieris, sapienter determinatum est, hanc eligentem, ab illâ liberum reddi.

18. Auctoritate sacræ scripturæ idem probari potest. *Probatur ex S. Scriptura.* Notandum in primis est pœnam talionis constitutam esse, qui alterum falsi criminis accusassent. Quod nimirum idem supplicium perferre deberet, quod alteri injustè procurasset. Ita legimus seniores illos lapidatos fuisse qui Susannam, de adulterio falso accusassent: adulterii siquidem pœna erat lapidari. In uno tantùm casu hæc pœna locum non habebat, quando nimirum maritus uxorem de adulterio accusabat; tunc falsâ accusatione repertâ ipse lapidatus non erat. Sed ad perpetuam cum ea commorationem absque libello repudii condemnatus. Sed quid sibi hoc vult? Nónne majus peccatum est uxorem occidi procu-

procurare, quàm personam extraneam? Omninò, major quippe obligatio illam amandi; cur ergo non tam morti adjudicandus, uxorem de falso adulterio accusans, quàm si personam extraneam accusasset? per hoc idem dico magis puniri debet, quia culpa major est. Non moriatur ergò ut alii, sed semper cùm illa maneat, quia ab ipsa odio habita, illique offensa, pœnam morte majorem subibit. Vultis clariorem hujus probationem? Audite Salomonē apertissimè declarantem: *Inveni amariorem morte mulierem.* Ecclesf. 7. 27.

Fortitudini astutiam adjungit.

19. Dico insuper illas fortitudini astutiam, & insidias adjungere; sicut enim ingeniosè consuere norunt, sic pellem Leonis vulpinæ pelli consuunt. Nec cœlum tot habet stellas, nec tot mare pisces, quot deceptiones ingenium muliebre excogitare potest, ut rectè ille dixit:

Sydera non tot habet cœlum,
nec flumina pisces;
Quot scelerata gerit, fœmina
mente dolos.

Verum est in viris plurimas reperire deceptiones, sed magna est inter has differentia, hæ nimirum in illis per accidens sunt, modò inhærentes, modò discedentes. In mulieribus verò sunt qualitates permanentes, numquam à subjecto recedentes. Ex sacra scriptura hoc probatum manet, de viris Jsaias loquens ait: *Ad gentem fallacem mittam eum.* ubi gens substantivum est, & fallax adjectivum, De mulieris verò deceptione Sapiens ait: *Nè attendas fallaciæ mulieris.* ubi loco substantivi ponitur *fallaciæ* ideò mulier in genitivo ponitur, quod apud Hebæos tantum est ac adjectivum. Deceptiones ergò non tantùm mulieri substantivæ sunt, sed tota substantia, omne aliud in illa repertum est accidens; sapientia quoque illarum tota consistit in fictione & simulatione. Isa. 10, 6. Prov. 5. 2.

Mulieres astutiâ prævalent.

20. Ioab mulierem prudentem diu requirebat, sed quid illi agendum? *Lugere te simula.* hoc officium sapientiæ illarum est fingere. Jeroboam prophetam Ahiam decipere cupiens, quid agit? uxorem suam mittit, cur ipse non vadit? quia dum de deceptione agitur, cedere debent viri mulieribus. Plena blanditiis, & deceptionibus est, sed quantò blandior, & benignior, tantò magis timenda, sub illis siquidem traditiones suas occultat. Id suo damno expertus est Sisara Madianitarum Dux, qui non fortè minus insipiens in se à deceptione mulierum custodiendo, quàm in defensione à fortitudine virorum? pugna siquidem perdita, inimicum fugiens, obviam 2. Reg. 14. 2 Judic. 4.

obviam illi facta Iahel amici uxor, ab eaque ad tentorium invitatus, & perductus, aquam siti extinguendæ petens, lac obtinuit, utque securè dormiret accommodavit. O quantæ blanditiæ? Quid secutum? illo somno oppresso, tempora ejus clavo perforata terræ affixit; somnumque morte contaminavit? Ecce finis ejus qui se blanditiis mulieris confidit.

Mulieres veneni inventrices.

21. Quid amplius? venenum magnum solet esse deceptionis instrumentum: occultè quippe enecat. Sed quis illud invenisse creditur? mulier Hecate vocata, juxta Diodorum Siculum. Romanis hoc genus fraudis multo tempore ignotum, primæ autem illud exercuerunt mulieres teste Valerio Maximo? *Veneficii quæstio, & moribus, & legibus Romanis ignota, complurium Matronarum patefacto scelere orta est.* In Romana ergò civitate ubi homines adeo justi, & ab omni fraude alieni, ut inimicis, & Pyrrho Regi detegerent medicum illi velle venena præparare; mulieres adeò erant sceleratæ, ut sine occasione ulla maritos veneno interficerent. Magicæ autem artis, quâ nulla pestis immanior, quis inventor? non alius quàm mulier; ideoque in Exodo ubi nos legimus: *Maleficos non patieris vivere.* In Hebræo ut notat Liranus legitur: *Maleficas non patieris vivere.* Tunc siquidem nulli fortè alii maledictam hanc artem exercebant, quàm mulieres à quibus cùm postmodum pauci homines didicissent, traduxit interpres *maleficos.* Tanta denique mala fraude, & deceptione sua mulier efficere potest, quod quando apertè mala est, quia fraudes & deceptiones relinquit, dicitur esse bona: ut ingeniosè notat Publius Mimus dicens: *Apertè cùm est mala mulier, tunc demum est bona.*

Diodor. Sic. lib. 5.

Valer. Maxim. lib. 2. cap. 5.

Exod. 22. 18.

Majora mundi mala à muliere proveniunt.

22. Ad quid tamen tot auctoritates, & rationes? nónne experientiâ patet, majora mala mundo provenire propter mulieres? Quæ diluvii causa quod tanta strage cuncta devastabat, & totum genus humanum una vice delevisset, nisi unus homo justus, Noë videlicet, illud conservasset? nónne mulier? *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram & filias procreassent*: inquit scriptura sacra causas diluvii enarrans. Sed quid, nónne à principio filiæ generatæ fuerunt? omnino, sed vel non tantæ erant, vel absconditæ erant. Ex hac denique filiarum generatione maxima totius mundi ruina exorta est; diluvium nempè universale. Hinc Deus parentibus in Levitico præcipiebat, ne filiæ earum se vitæ infami addicerent, ab hoc siquidem non

Gen. 6. 1.

solùm

solùm familiæ istius, sed totius terræ ruina secuta fuisset, *Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra & impleatur scelere.* Unica ergò infamis mulier sufficit ut mundus contaminetur. Si quoque historias prophanas scrutemur, Troiana destructio unde oborta, nónne à muliere? Reges cur Româ expulsi, nónne propter mulierem? Regnum Ægypti quomodo destructum, nónne per mulierem? Quomodo Hispania à Mauris occupata nónne per mulierem? numquam finirem si cuncta damna per mulierem mundo illata, prosequi vellem. In quibus autem minimam partem mulieres habere videntur est hæresis, quæ fidem impugnat, error est intellectus, magisque videtur consistere in subtilitatibus Sophismatum, à quibus mulieres multum distant, S. Ieronymus tamen ad Ctesiphontem scribens ait: nullam esse hæresim, cui non occasionem, aut adjutorium dedit mulier. Inter alia, malitia sua aliquibus occasionem præbuerunt dicendi Dæmonum, & non Dei se esse facturas. Non multò minùs certè videtur dixisse S. Jeronymus, qui inimicissimus hæresibus fuit, affirmans in epistola ad Oceanum quòd *Ianua Diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus, est fœmina.*

Levit. 19. 29.

S. Ierony. in epist. ad Oceanum.

23. Quid certè in illa boni esse potest, quando bonum illud de quo magis gloriantur, & superbiunt, magisque hominibus æstimantur, pulchritudo nempe, aliud non est quàm magnes miseriarum, semen rixarum, venenum cordium, laqueus oculorum, mentis deceptio, fascinatio rationis, tyrannus cogitationum, carcer voluntatis, catena liberi arbitrii, incendium civitatis, & ruina Regni, vix milites Holofernis Iudith conspexerant, quin subitò dicebant: *Quis contemnat populum Hebræorum qui tam decoras mulieres habent, ut non pro eis meritò pugnare debeamus.* Anne peccatum est pulchras mulieres habere, ut propterea debellandi sint populi? certè non, sed ut lupus ovem conspiciens, subitò sicut versus proprium cibum à natura illi destinatum, dentes acuit, ut illam devoret: ita milites raram mulieris pulchritudinem videntes, quasi proprium illorum esset objectum, subitò concitantur, & prælium inire resolvunt, putantes se meritò pro his arma suscipere debere.

Pulchritudo mulieris maximè nocet.

Iudith 10. 18.

24. Prophera Ieremias, formidabilem Ierosolymitanæ civitatis obsessionem describere volens, quomodo à potenti exercitu concludi, & affligi deberet, pulcherrimæ adolescentulæ illam assimulavit dicens:

Exercitui comparatur.

Ierem 6, 1. cens: *Malum visum est ab Aquilone, & contritio magna speciosæ, & delicatæ, aßimulavi filiam Sion.* Nec mihi videtur Philippum Macedonum regem extra propositum locutum, dum numeroso exercitu Bisantium obsidens, interrogatus quid prætenderet; respondit se blando amore sponsam suam convenire; cùm Spiritus sanctus per Jeremiam Prophetam civitatem obsessam pulcherrimæ filiæ, amatoribus circumdatæ assimulet. Melior tamen comparatio Jeremiæ fuit, comparationes siquidem à rebus majoribus, & non minoribus fieri debent. Unde rectè dicemus lunam plenam alterum solem videri, non tamen solem lunæ assimulari. Optimè igitur ut rei majori, pulcherrimæ filię civitas obsessa assimulata fuit: non tot siquidem damna ab exercitu civitati inferuntur, quot à simulatis amatoribus toti familiæ.

Nil pejus muliere pulchra, & iniqua.

25. Non minora tamen mala sunt, quæ ipsi à dilecta, vel melius insidiatrice pulchritudine percipere solent. Si enim pulchritudo (ut ordinariè solet) malitiæ conjuncta est; nulla major in mundo deceptio; cùm sub tam suavi esca, hamus acutissimus lateat. Quis crederet sub visu Angelico cor serpentinum abscondi? Sub paradisi similitudine infernum latere? Ad quemvis ergò hominem licèt prudentissimum decipiendum, nullum potentius remedium, quàm mulier pulchra, & iniqua, quæ sirenis instar facie, pacem, amorem, & jucunditatem promittit; corde autem bella, dolores, & mortem meditatur. Si tamen pulchritudini bonitas conjuncta, & morum urbanitas, quod cor adeò durum, quod ab hac gemina face, non succendetur, & in cineres redigetur? Quas non credet insanias, aut ad quas non reducetur ineptias, ut simili objecto potiatur? Magnum certè erit, si ad illam ut Deam adorandam non accedet. Mulier igitur pulchra, & ornatu speciosa, ut Basiliscus evitari debet: si enim mala est te decipiet; si bona ad insaniam te perducet. Illa ut venenum te vitâ privabit, hæc ut præstans vinum te intellectu spoliabit. Illa blandiendo, te destruet; hæc te fugiendo consumere faciet; Illa In mari miseriarum te naufragium pati coget; hæc in tormentorum pelago te fluctuare finet, & à portu desiderato longè divertet. Ad eumdem denique terminum desperationis, & mortis licèt per diversas vias, ab utraque deduceris. Consilium igitur Sapientis suscipe: *Averte faciem tuam à muliere compta*: qualiscumque tandem Eccli. 9, 8. sit, cujus conditionis aut status,

tus, pro te nil boni esse poterit.

Indi uxores commutant.

26. Optimè id intelligere ostendebat, qui inimico capitali filiam in uxorem tribuebat, unde reprehensus respondit, quid pejus illi præstare poteram, quàm mulieri conjungere? Nec malè dixit alter, qui coactus uxorem ducere, minorem inter feminas requirebat, unde aliqui stupescentes, quòd adeò parvam elegisset; respondit, ex omnibus malis semper minus eligendum. Idem populi quidam Indiæ intelligere videntur, de quibus Oviedo refert; illos gaudere de commutatione uxorum, æstimantes speciem consolationis esse, tribulationem mutare: Ille autem majori perfunditur lætitiâ, qui seniorem adeptus, utpotè debiliorem, unde citiùs liberabitur. Rectè quoque acuto ac veraci dicto instructus videbatur Diogenes, qui referente Laërtio, cùm aliquis mulierem domum conduxerat, & posteà in porta scribi jusserat; *Nil ingrediatur mali*; subscripsit, *post bellum auxilium*, quasi diceret, tardius est monitum, cùm pejus malum jam introierit, & venenum mortiferum quod est mala mulier jam viscera occupaverit. Id rectè intelligere se monstrabat juvenis Muscoviæ Dux, qui naturaliter adeò mulierum consortia abhorrebat, ut dum quædam illi obviam facta esset, quasi in horribilem incidisset serpentem, totus expavescens in mortis periculum incidisse videbatur. Ita illud referente Sigismundo, in suis comentariis de Muscovia.

Oviedo in lib. suæ navigat. cap. 82.

Mulier iniquitate superat virum.

27. Cùm tot ergò mala à mulieribus derivata videamus; vel ut melius dicam ipsæ adeò grande malum sint: dubitare non licet utrum majoris mali causa sit vir vel mulier? Facillimum quippe est ex prædictis inferre judicium, nimis apertè rationes viro favent. Quando insuper aliquod fuisset dubiũ, clarissimam vobis probationem adducam. Docet Aristoteles ut duo genera, vel species rectè simul comparemus, ex ambobus nobilissimum sumendum, illudq; simul conferendũ; ex eis siquidem argumentari poteris quid de reliquis omnibus dicendum erit. Ut autem adducto utar exemplo videre cupio si statura major sit vir, quàm mulier; non mensurandus est quilibet homo, cum qualibet muliere, incidere quippe posses in hominem parvum, & mulierem magnam; nec mulieres omnes, aut homines mensurandi; nimis quippe foret difficile, & negotium sine fine. Quid ergò agendum? vir inter cæteros major reperiendus, & mulier longitudine omnes excedens, & simul commensurandi, qui enim ex illis

vicerit,

vicerit, non pro se tantùm, verùm etiam pro toto sexu victoriam referet: prout fit quando duo exercitus omnes rationes prætensas in manibus arbitrorum constituunt. In casu ergò nostro ut justè inter virum & mulierem dijudicemus, ac malitiam utriusque dignoscamus. Vir pessimus nobis conquirendus, & mulier iniquissima indaganda. Non tamen hoc facto opus censeo, tantò siquidem mulier viro pejor est, ut non solùm mulier nequissima, sed melioris sortis mulier, pejor futura sit, quàm vir sceleratissimus. Maxima hæc certè exaggeratio nec à mulieribus ita recipienda, sed ex invidia, aut malitia à me prolata fortè censebitur; quare non hanc ego probare conabor, sed ex ore Sapientis Spiritus S. instinctu eam accipite; *Melior*, inquit, *est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, iniquitas viri*, ecce vir iniquissimus, imò ipsa iniquitas in abstracto: *Mulier benefaciens*; vide mulierem non bonam tantùm, sed in actu bene operandi; viri tamen iniquitas, hac melior est, quid amplius dici potest? Victoria ergò à parte virorum esse videtur. Sed non canendus triumphus ante victoriam, nondum sententiam protuli; quam secunda pars vobis exhibebit, interea bonis operibus, & eleemosynis favorabilem vobis sententiam acquirere curate, qui largiorem eleemosynam impertitus fuerit, sibi meliùs successurum confidat.

Mulier bona pejor viro scelerato.

Eccli. 42. 14.

SECUNDA PARS.

28. Ex hac relatione tantorum malorum, quarum mulier causa esse perhibetur, viri facillimè lætitiam concipere potuerunt; si verò recordati fuerint quid aliàs illis diximus, nullam rationem mulieribus insultandi habere, clarè patebit. Cum ergò S. Paulo prohibente, & communi praxi non permittente mulieribus in Ecclesia, vel publico se defendere aut rationes contrarias refellere non licet; rationi consonum non est, illas ut malorum causas, inauditas deserere; sed antequam finalem feramus sententiam, probemus si ambas partes reconciliare, illarumque differentias communi satisfactione sopire possimus. Ad hunc finem vellem vos in memoriam revocare quod aliàs diximus esse diversitatem inter causam, & occasionem; causa siquidem per se producit effectum, occasio autē non producit; sed ex ea alius illum producit. Si de causa igitur loquamur, ignoscant mihi viri, illi siquidem majorum malorum, & tribulationum causę sunt, quàm mulieres. Experientiâ id clarè patebit;

Mulieres non causæ, sed occasiones malorū.

patebit; qui enim bella, & seditiones commovent, nónne viri? Quinam civitates spoliant, regna depopulantur, hominum ingentes committunt strages, pauperes & viduas plurimas reddunt, nónne viri? Qui injustas sententias, rixas, inimicitias, & damna inferunt, vias, & itinera infestant, domos expoliant, vim aliis inferunt, plurimosque enecare procurant, aliaque nefanda mala perpetrant, nónne viri? sine illis quæ mala mulieres efficere possent?

29. Si verò de occasione loquamur, fateor in tribulationibus majorem partem mulieribus adscribendam. Etenim duella, inimicitiæ, seditiones, bella, regnorum devastationes, per illas ut plurimum causantur, cùm ut illæ acquirantur, vel ipsis blandiatur, vel injuria eis illata vindicetur; nulla sit difficilis aliqua executio, nec periculum, aut malum ingens, ad quod superandum non se committent viri. An modò mulieribus satisfactum? Non omnino credo; cùm ex rationibus prædictis tanta vulnera, & plagæ insanabiles videantur eis inflictæ, ut nullum sufficiens unguentum ad sanandum adduci possit. Ne ergò omnino contemni, aut infamari se putent, rationes prælatas refellere aggrediar.

Contrariis argumentis satisfit.

30. Quid contra eas dicebatur? Primam matrem nostram Evam omnium malorum, ac peccatorum fuisse originem? Imò veriùs dicemus Adamum fuisse, ut enim Theologi asserunt, si Eva sola peccasset, & non Adam, justitiam originalem non amisissemus; nec in pœnam mortis incidissemus. Non mirum insuper Evam peccasse, fragilior siquidem, ac debilior erat, ideoque facillimè decipi potuit. Adam verò non fuit deceptus, sed suâ culpâ cecidit, cùm clariori intelligentiâ illustratus, & fortiori naturâ præditus, tentationibus resistere debuisset, & mulierem increpare, non verò verbis fallacibus fidem adhibere: unde minori excusatione dignus. Quid dicebatur mulierem debiliorem esse, ex eaque omnem debilitatem in virum derivari? Concedo, ideò minus audax, & ad malum operandum impotentior, viri autem audaciæ & viribus confisi, nullum malum intentatum relinquunt, dicentes cum Sapiente; *Sit fortitudo nostra lex justitiæ*: aliam legem non cognoscimus quàm fortitudinem nostram, omnia quæ patrare possumus, licita putamus, & ubi virtus brachii protenditur, nullum rationis præceptum locum habet. Sap. 2. 11.

31. Quid dicebatur; *Non est ira* Eccli. 20. 22

Cur ira mulieris major irâ viri. *ira super iram mulieris?* Negare non possum, cùm scriptura sacra id affirmet, ratio autem est, quia vir indignatione conceptâ, subitò illam exequitur, & vindictam appetit: mulier autem, aut non potest, aut non vult iram conceptam subitò emittere; sicque instar partus mente concepti, illam fovendo crescit, & major fit irâ viri; hoc tamen modo sibi magis, quàm aliis nocet. Adjungendum insuper mulieres naturâ suâ non iræ sed mansuetudini deditas, teste Sapiente; *Non est creata iracundia nationi mulierum*; si quandoque irascantur, virorum culpa est, qui continuâ injuriâ, aut irritatione illas cogunt; patientia quippe læsa, fit furor. Quid dicebatur, implacabilis esse, & proprium illorum nomen est absque misericordia esse? *Mulieres mitiores viris.* Falsum est, imò ut teneriores faciliùs ad misericordiam commoventur. Si Deus quoque filiam
Osee 1. 6. Osee; *Absque misericordia* vocari præcepit; per hoc naturam mulieris non describere voluit, sed effectum suæ justitiæ. Nec illud *absque misericordia* activè, sed passivè intelligendum, non quòd illa aliis compati non deberet, sed quòd alii ipsi nullam commiserationem exhibere oporterent. Sic mulieribus accidere solet, quæ absque ulla compassione à maritis miserabiliter affliguntur. Advertendum quoque est, hoc nomen parvo tempore durasse, sed à Deo mutatum fuisse, in aliud; *Misericordiam consecuta.* Osee 2. 1.
Unde apparet infanti hoc nomen impositum, ut populo suo spem tribueret, citò se fore placandum, ut mulieres cum infantibus agere solent.

32. Quid dicebatur, plurimas mulieres inauditas exercuisse crudelitates? Verum est. *Plures viri magis crudeles quàm mulieres.* sed non adeò multæ fuerunt. Virorum autem crudelia facta, quæ plurima tam contra mulieres, quàm contra viros exercuerunt, referre quis poterit? Testis sit unus Dicearcus nomine Philosophus, de quo Cicero scribit librum edidisse, de causis mortis hominum; postquam autem multitudinem innumerabilem fame, peste, incendio, submersione, tempestate, diluvio, seu inundatione aquarum, ferarum morsibus periisse enarrasset; concludit multitudinem majorem per manum, aut industriam aliorum hominum interiisse, quàm per omnes occasiones simul sumptas. Causæ autem propter quas homines tales exercent crudelitates, solent esse minores illis, quibus ad vindicandum se mulieres commovere solent. Quid dicebatur ex testimonio Sapientis nullam bonam reperiri? Respondeo hoc hyperbolicè dictum? non enim negari potest,

ſemper eſſe, & repertas fuiſſe mulieres bonas. Dicamus inſuper Sapientē dicere ſe nō reperiſſe. *Mulierem bonam ex omnibus non inveni.* Nec hoc mirū, bonæ quippe mulieres abſconditæ latent, nec ſe ab hominibus inveniri ſinunt; unde rectè dixit Euripides, illam mulierem bonam eſſe, de qua nullus bonum vel malum proferebat.

Eccleſ. 7. 29

Num. 5. 14. *Miraculum eſt mulierem malam reperiri.*

33. Sed quoad intrinſecam illarum bonitatem, quid diceretis ſi illam adeò frequentem eſſe probavero ut pro miraculo habendum ſit, ſi mala reperiatur? Attendite, & vobis clariſſimè exhibebo. Statuerat Deus in lege veteri, ut mulier de vitio inhoneſtatis ſuſpecta (quod in mulieribus magis deteſtatur) ante ſacerdotem accuſaretur, qui plurimas execrationes ſuper aquam conficiens, illam ipſi bibendam porrigebat; quæ ſi innocens eſſet, nil mali illi aqua inferebat? ſi verò culpabilis foret, ventrem ejus inflare, & miſerabiliter excruciari faciebat. Sed hanc virtutem mulierem adulteram interficiendi, creditiſne illi fuiſſe naturalem, aut miraculoſam? Abſque dubio miraculoſa erat. Singulis ergò vicibus quibus mulier iniqua accuſabatur, Deus miraculum hoc fieri petmittebat. Numquid tamen affirmant Theologi non ſine neceſſitate miracula multiplicanda? Deus ſiquidem non niſi rarò, & pro magna neceſſitate miracula operatur. Nónne quoque cæcus ille aſſerebat Deum peccatores non exaudire? Quomodo ergò pro omni muliere iniqua, & à marito deteriore forſan accuſata, Deus miracula patrari ſinit? Dicere oportet adeò rarum eſſe, mulierem iniquam reperiri, ut nil mirum ſi una reperiatur. Deum ſe obligare ad miracula patranda, ut unum miraculum alteri correſpondeat.

Joan. 9. 31.

Cur Deus ita probabat adulteram?

34. Ut hoc punctum meliùs declaremus, advertendum eſt, Deum hanc probationem veneno efficere potuiſſe, vel igne, tribuendo illi ferrum candens tangendum, quod ſi manu abſque læſione tenerent, innocentes judicarentur, ſi verò econtrà nocentes probarentur: quod à ſacris canonibus poſtmodum prohibitum fuit. Inter hos duos modos, pulcherrima eſt differentia, nam in hoc ſecundo modo miraculum erat neceſſarium, ad liberationem innocentis, miraculum ſiquidem eſt manu tenere ferrum candens, & non comburi, ſed in primo modo miraculum requirebatur ad punitionem nocentis, cum abſque miraculo exiguum aquæ ventrem inflare non poſſet, & perſonam quam illam bibentem

tem occidere. Quid ergò sibi vult quod cùm Deus ad pietatem magis quàm ad castigationem pronus sit, non valens sine miraculo innocentem liberare, aut nocentem castigare, potiùs elegerit miraculum patrare castigando, quàm absolvendo? meliorem adducere non possem rationem, quàm ante dictam, non debere nempè multiplicari miracula sine necessitate. Si verò Deus pro unaquaque muliere innocente voluisset miraculum patrari, nimiùm fuissent multiplicata, cùm mulieres honestę ubique abundent; inquit ergò Deus, adhibeamus miraculum, pro muliere iniqua cognoscenda, hoc siquidem rarissimum erit, sicque rara erunt miracula, nec propter frequentiam vilescent. Si inter mulieres ergò iniquas æstimatas major pars bona erat, & miraculum videri poterat, si mala reperta fuisset, cogita tecum quantæ erunt bonæ in aliis non accusatis.

Mulier melior viro.

35. Quid dicebatur mulierem symbolum carnalis, & terreni hominis esse, virum econtrà figuram spiritualium, & electorum? verum est, sed nescitis signum & figuram longè abesse à significatione rei per illam figuratę? nescitis magnam esse diversitatem inter serpentem verum & depictum? mulier igitur quæ signum & figura erit virorum iniquorum, in malitia plurimum ab iis superabitur, eritque ut serpens pictus, vir autem ut vivus, & venenosus Draco. Econtrà verò depicta erit virtus viri, & vera ac realis in muliere reperietur, si nimiùm hoc vobis exaggeratum videatur, ad minùs concedendum erit; symbolum peccatoris mulierem esse, propter naturalem debilitatem, & non propter malitiam, symbolum verò bonorum virum esse, propter innatam fortitudinem, non propter virtutem.

Cur Angeli in forma muliebri non apparent.

36. Quid dicebatur Angelos numquam formas muliebres assumpsisse? verum est quando ad hominum servitium in terram descenderunt, mulieri quippe potiùs inserviendum, quàm illam servire permittere, quid mirum ergò, dum ad hominis servitium è cælo descendunt, non formam muliebrem assumere, mulieres domi secludi debent, nec hinc inde vagari, ideoque Angeli ad nos descendentes formam muliebrem non assumunt? inconveniens quippe foret naturæ Angelicæ, & volatui. Si quid magni æstimetur Angelum formam hominis assumere, ecce magis in favorem mulierum, quod non unus Angelus, sed omnes simul & tota cœlestis curia, volens pulchritudinem suam exhibere, formam muliebrem sumpsit,

psit, dicente S. Joanne in sua Apocalypsi: *Vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de cœlo, à Deo*, sed in qua forma? *paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Apoc.21.2.

Potentia mulieris ex viro dependet.

37. Quid dicebatur, mulierem ad malè agendum ipsa morte fortiorem esse? Respondeo ex natura sua talem non esse, sed propter virum ita volentem, illa siquidem aliam vim non habet, quàm vim amoris, & hæc à voluntate amantis dependet. si viro insuper magna est afflictio mulieri iniquæ cohabitare; major erit pœna mulieri viro iniquo conjunctam esse, cui non tantùm consors, sed subjecta est. Si verò hoc mulieri non ita grave videatur, id summæ virtuti, & patientiæ ejus adscribendum. Quid dicebatur, mulierem fraude, & deceptione plenam esse? plurimâ certè abundat, illâ tamen non tam utuntur ad virorum deceptionem, quàm ad pulchritudinem, & amorem earum exhibendam. Signum hoc naturalis benignitatis, & dilectionis est, cùm enim homines id cognoscant culpa illorum est si decipi se permittant. Quid dicebatur illas majorum malorum totius mundi causas esse? Occasionaliter concedo, causaliter nego, juxta distinctionem à nobis datam, causa quippe viro potiùs adscribenda.

Pulchritudo sæpius prodest.

38. Quid dicebatur pulchritudinem causam discordiarum & ruinarum ingentium esse, & propter Judith pulchritudinem contra Hebræos milites ad pugnandum incitatos? sed cur non additis pulchritudinem Judith, populum Hebræum ad extremam calamitatem redactum, ex manu Holofernis liberasse? cur non dicitis eandem pulchritudinem viro quoq; periculosã esse? Nónne in Exodo legimus matrẽ Moysis infantẽ adeò pulchrum cernens, contra edictum Regium in summo periculo illum tribus mensibus domi aluisse? nónne scimus quàm periculosa fuerit Josepho sua pulchritudo? Quanta damna sibi & populo Israelitico intulerit pulchritudo Absalon? Non ergò malum à pulchritudine tam viro quàm mulieri communi proveniens, soli mulieri adscribendum: imò nec hujus mali pulchritudo culpanda, sed illius possessores abutentes, vel illam intuentes, aut sectantes illicito modo acquirere putantes. Quid dicebatur, iniquitatẽ maximam mulierem à pluribus vocatam? Econtrà tamen adeò magnum est bonum, ut beatitudini viri sufficiat; ita nimirum à Sapiente vocata fuit, dicendo: *mulieris bonæ, beatus vir.* Quid dicebatur tandem, meliorem esse iniquitatem viri, quàm bonitatem mulieris Exod.2.2. Eccli.26.1.

Mulier multa bona viro affert.

mulieris. Respondeo hoc dictum intelligendum non de bonitate in seipsa considerata, sed respectu viri. Per hoc Salomon innuere volens, adeò periculosam viro esse mulieris conversationem, ut minus sit malum ab alio viro affligi, quàm à muliere blandiri,

Mulierum consortia viris fugienda.

40. Ex his ergò dictis, juxta morem proficua hauriamus documenta. Primum hujus discursus documentum viro utilissimum, ut discat mulierum devitare consortium, quia ignis & flamma illi sunt; si autem non fugias, & malè tibi succedat, non es compassione dignus: *Quis miserebitur incantatori, à serpente percusso?* aiebat Sapiens, itinerantem serpentem inadvertenter conculcare, ab eoque morderi, est casus compassione dignus; quòd autem ex illis incantatoribus serpentes pro libitu tractantibus quispiam lædatur, quis non ridebit? mulier homini serpens est inquit Epiphanius; nam inter nomen Evæ & serpentis, tantùm aspiratio diversitatem causat; & Sapiens ait: *Commorari Leoni, & Draconi magis placet, quàm habitare cum muliere nequam.* Sed qui sunt isti qui student serpentes illos incantare? juvenes quidam parvi ingenii, qui mulieribus applaudunt, blandiuntur, inserviunt, nutibus, gestibus, munusculis, litteris, aliisque allectationibus illis placere, & se exhibere cupiunt. Sed quid putatis illos prætendere cuperent? vos incantare; advertite bene auscultatrices, attendite vobis, non illis confidere. Scitis qualiter illi agant? ut piscis Denticus, qui avidissimus est in captione Polypi piscis, quem cùm in caverna sua absconditum lædere non valeat, antè januam ut mortuus jacens, se aquâ moveri, & deferri sinit, Polypus id advertens, credit illum verè mortuum, utque eum devoret, de caverna progreditur, sed eo appropinquante à Dentico pisce devoratur. Pari modo in mundo fit, quanti ambulant, & prætereunt ante januas illius vel istius mulieris, & se mortuos ac vulneratos amore simulant? non ampliùs in se vivere fingunt, sed omnem vigorem, & desiderium in illa vel illa consistere simulant; sunt corpus sine anima, spiritus totaliter deficit, in proximo perditio adest, nisi concupita acquirant, milleque aliis inventionibus incautas fallere tentant. Nolite tamen ô filiæ aut mulieres illis credere, nolite blandæ Sireni aures præbere, in his fallaciæ, & deceptiones latent, quibus vos extra domos vestras & cavernas eliciant, non bonum vestrum, sed propriam amant concupiscentiam; devorare vos certant

Fallax amor multos decipit.

Eccli. 12. 13

S. Epiph. lib. 3. contra hæres.

Eccli. 25. 23

certant, honorem, & virginitatis decorem eripere, væ vobis si illis vos in prædam dederitis; *Non credas*, ait rectè Sapiens; *inimico tuo in æternum, & si humiliatus vadat curvus, custodi te ab illo, in oculis suis lacrymabitur, & si invenerit tempus, non satiabitur sanguine.* Tales maximi sunt inimici, omnibus vestris bonis & vitæ insidiantur, optima quæque vestra, honorem, bonam famam, & pudicitiam eripere quærunt. Licet se lacrymari, suspirare, aut gemere fingant, non cordis, sed oculorum sunt lacrymæ, non affectus, sed defectus sunt suspiria, nolite vanas blanditias attendere ne pereatis in illis.

Eccli. 12, 10

41. Tales incantatores sæpius à serpentibus inficiuntur, aut mordentur, & meritò quidem; *Quis enim miserebitur incantatori à serpente percusso?* An huic veneno facillimè remedium adhiberi poterit? non aliud remedium quàm mors superest, nisi Deus potenti suâ dexterâ erigat, & eripiat. Aliqui sunt carceres in quibus intrantes perpetuò commorari tenentur; tales rectè dicitur invenisse carceres, qui meretrici se sociari permisit; sic enim ait Sapiens: *Viæ inferi domus ejus*, ad infernum, & mortem omnes actiones ejus viam sternunt. De hoc carcere audiamus Isaiam Prophetam dicentem: *Laqueus juvenum omnes, & in domibus carceris absconditi sunt, facti sunt in rapinam, nec est qui eruat.* Tales mulieres sunt ruinæ juvenum, qui domos earum ingredi se arbitrantes, carcerem intrant; ubi deprædati & omni bono affectu spoliati, absque ullâ ereptionis spe, devicti remanent. Non solùm ergò mulieres, sed domus illarum, & quidquid ad illas pertinet, fugiendum est. Quod rectè quidam insignis vir intellexit dum famulam domus in cubiculo lectum sternentem reperiens, indignatione commotus à cubiculo abegit, & lectum ut peste infectum, è fenestra dejecit.

Eccli. 12. 13

Meritrices sunt ruinæ juvenum.

Prov. 7. 27.

Isa.

42. Secundum documentum mulieribus utiliter applicandum; maximam nimirum illis adhibere oportere diligentiam, ut virorum aspectum, aut conversationem fugiant. Tam proprio quàm alieno periculo cautè prospicientes: ne vulnerent, aut vulnera accipiant. Hoc rectè notavit S. Gregorius Nazianzenus ad virginem scribens: *Virorum aspectum fuge, si fas est etiam gravium & pudicitiæ laude florentium ne fortè ex fraude Beliæ, vel ferias, vel feriaris.* Optimè inquit etiam gravium, & pudicorum, Angelus quippe in forma viri apparens ab illis timeri deberet. Rectè id perceperant sanctæ

Mulieribus aspectus virorum evitandus.

S. Gregor. Nazian. in exhort. ad ad Virg.

sanctæ mulieres cum enim summo diluculo ad monumentum Salvatoris accedentes, ut ungerent corpus ejus subitò Angelum conspexerunt in forma juvenis: *Exeuntes fugerunt de monumento; invaserat enim eas tremor, & pavor.* De quo sibi metuebant? Vitæ fortè exitium? Minimè, à timore quippe mortis adeò erant liberæ, ut omnibus discipulis tempore passionis fugientibus, illæ constantes, magistrum suum deserere noluerant: ad pedes crucifixi tamdiu commorantes donec de cruce depositum, sepulchro tradere viderant. Nec metuebant monumentum intrare, & corpus ejus ungere, licet mulieribus hoc insolitum. De quo ergò timebant? Cur subitò fugiunt? An verba Angelica formidabant? Imò amicabilia, & dulcia fuêre verba, consolabantur enim eas, & de Salvatore lætum afferebant nuntium: illum nempe feliciter surrexisse & vivere: si hæc verba consolatoria non illis sufficiebant, nónne locus illas securas reddere poterat, cùm sanctior esse non posset, utpotè Salvatoris monumentum? O sanctæ, & prudentes mulieres! sint verba quantumvis bona, sit locus sanctissimus, sint Angeli cælestes, dum formam viri retinent, fugiendi sunt. Ad imitationem earum ergo, cunctæ mulieres virorum aspectum ubique fugere debent: ita monente S. Ambrosio; *Ne vel fortuitus occursus pateat, ad vulnus alienum vel suum, ne temerè, aut videat, aut videatur.*

Marci 16.8

Etiam ab Angelis fugiendum.

S. Ambros. lib. 1. de pœnitent.

43. Si profectò cogitarent, quàm carè anima una Deo constat; quantum etiam malum sit aliis scandalum tribuere, potiùs se carceri, aut sepulturæ includi finerent, quàm relinqui se videri, aut alicujus divinæ offensionis se occasionem præbere. Rectè hoc intellexit S. Virgo quædam Alexandrina, quæ adolescentula se sepulchro inclusit, ibique vitam ducebat. Si tamen viva dici poterat, quæ sepulchro inclusa erat? Interrogata quoque cur adeò austeram sibi imposuisset pœnam, respondit, quia adverterat, se ex aspectibus quibusdam malas hausisse cogitationes. Optimè hoc percepit S. Agnes quæ tantam sentiebat afflictionem, videndo se aliis placere, ut se potiùs mortuam optaret. Verba sua optima refert S. Ambrosius dicens: *Pereat corpus, quod oculis hominum placere potuit.* Cur ita S. Puella? An aliquod commisit scelus? Non, sed quia aliorum oculis placuit. An culpa ipsius hoc factum? Non, sed occasio peccati fuit: in tantum illa abhorrebat, quod ab aliis mulieribus appeti solet. Quid de iis ergò dicendum, qui e-

Mulieres occasionem scandali evitare debent.

mendicatis ornamentis, exquisitisque artificiis aliis placere student?

Mulieres se custodire debent.

44. Similes seipsas comptè, & ornatè exhibentes, affirmare poterunt se nullam dare peccandi occasionem? Vel conqueri, si ut inimicæ ab hominibus accipiantur, & à Deo puniãtur? Nequaquam, in Deuteronomio præceperat Deus ut civitatem debellantes, & occupantes, mulieribus parcerent, utpotè quæ arma contrà illos non sumpserant: *Percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladii, absque mulieribus, & infantibus.* (Deut. 20. 13) In libro autem Numerorum invenio populum reprehensum, quia illud observaverat. Pugnantibus siquidem Israëlitis contra Madianitas, omnes virilis sexus occiderant, mulieribus reservatis: sed à Moyse reprehensi fuerunt; *Cur fœminas reservastis?* (Num. 31. 15) Potuissent hi respondere, cur illas occidere oportet, cùm nos minimè oppugnarunt? Sed replicare illis poterat Moyses prout fecit, dicens: *Nónne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israël ad suggestionem Balaam & prævaricari vos fecerunt in Domino, super peccato Phogor, unde & percussus est populus?* (Ibid.) Mulieres ergò fallaciis suis ad malum instigantes, ut adversariæ fugiendæ sunt, & deserendæ. Si ergò cùm Virgine illa Alexandrina sepulchrum intrare noluerint, ad minus in domibus suis reclusæ maneant: quod si hoc nimis videatur arduum, saltem adeò modestæ, & contectæ incedant, ut oculis dimissis, & vultu gravi, potiùs alias deterreant, quàm alliciant, ne contra voluntatem illarum arma diaboli efficiantur. Sed ædificationem bonasque cogitationes aliis inspirent. Taliter nec viri occasionem de mulieribus conquerendi reperient; nec mulieres de viris damna aut mala sentient, sed ambo à periculis se conservabunt. AMEN.

Modestæ, & tectæ incedere.

DISCVR-

DISCVRSVS XXVI.

Si aliqua sit creatura, quæ ad hominis tribulationem non concurrat. De patientia, timore Dei, & mundi contemptu, quem ex iis colligere debemus.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Variæ tribulationis causæ. nu. 1. 2.
Elementa non videntur causæ tribulationis? à numer. 3. *usque ad* 7.
Cunctæ creaturæ ad beneficium hominis creatæ. num. 8. 9. 10. 11.
Quanta mala, ab elementis, & cælorum astris percipimus? à num. 12. *usque ad* 21.
Quantum animalia noceant? num. 22. 23. 24. 25.
Bona temporalia qualiter hominem affligunt? à num. 26. *usque ad* 33.
An plura mala quàm bona à creaturis recipimus à num. 34. *usque ad* 39.
Cum hominibus patienter agendum. num. 40. 41. 42.
Deus in cunctis timendus, & in rebus terrenis non confidendum. à num. 43. *usque ad finem.*

Innumeræ tribulationis causæ.

1. DIfficile admodum & imperscrutabile nobis visum est, acerbarum aquarũ, tribulationum, inquam, nostrarum, fontem & originem indagare. Modò verò non unum tantùm, sed plures discooperuimus, totque indies mihi sese offerunt, ut impossibile videatur, ad finem pertingere, vel oculos aliquam in partem reflectere posse, ubi isti non scaturiunt. Etenim quis capitis crines, littoris arenas, maris undas, cœli stellas dinumerare posset? Licet quoque in his finem aliquem invenire possemus; multitudinem tamen causarum tribulationis numerare non possemus. Juxta siquidem Prophetæ regii sententiam, capillos capitis nostri transcendunt: *Multiplicatæ sunt* Psal. 39.13.
super capillos capitis mei. Arenas maris superant, quia de inimicis armatis ad populum Dei affligendum egressis dixit Josue:
Egreßi sunt omnes cum turmis suis, Josue 11.14
populus multus nimis, sicut arena quæ est in littore maris. S. Propheta Job arenæ quoque tribulationes suas assimulans dixit: *Vtinam appenderentur pecca-* Job 6.2.
ta mea, & calamitas quam patior in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret. Non pauciores sunt stellis cæli, cùm hæ

quoque contra nos insurgant, dicente Delbora: *Stellæ manentes in ordine suo, adversus Sisaram pugnaverunt.* Nec undis denique maris cedunt teste Psalmistâ; *Omnes fluctus tuos induxisti super me.* Et S. Job: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Tribulationis insuper causas numerari non posse, apertè declarat Sapiens: *Cunctæ res difficiles non potest eas homo explicare sermône*: Ubi per res difficiles, non intelligit obscuras, & intellectu difficiles, sed res asperas, duras, & graves ad sufferendum, hasque tantas talesque esse affirmat, ut homo quantumvis eloquens eas verbis explicare nequeat. Quid nos igitur agemus?

Iudic. 5.20 Psal. 87. 8. Iob 31. 23. Eccles. 1.8.

Cuncta per negationem, vel affirmationem intelliguntur.

2. S. Dionysius Areopagita ait, duobus modis rem aliquam cognosci posse, per affirmationem, aut per negationem; affirmans instar pictoris se habet, semper aliquid adjungens; negans instar lapicidæ, semper operi adimens. Illa ergo quæ uno modo intelligi nequeunt, alio modo intelliguntur. Materia prima cùm potentiam habeat infinitam affirmatione intelligi nequit, sed negatione explicanda: *Non est quid, neque quale, neque quantum.* Deus quia infinitus, meliùs per negationem, quàm per affirmationem explicatur. Cùm omnes ergò tribulationis causas per affirmationem invenire non valeamus, quis scit si per negationem fortè reperiemus. Excludamus ergò omnia nos non affligentia, reliqua verò ut campum militibus plenum cunctisque armis ad offensionem nostram instructis consideremus. Quid tamen à conjuratione contra nos facta excludemus? Omnia in tribulationem nostrã conspirasse videntur, unde valde metuo non minorem nos habituros difficultatem, in hoc indagando, quàm in præteritis discursibus habuerimus, universos conjuratos, & conspiratores enumerando; si quoque in istis finem reperire nequeamus, in hoc principium nullum inveniendum erit.

An terra tribulationis causa?

3. Ad probationem ergò accedamus, ac in primis elementa examinanda quæ multorum bonorum nobis sunt causæ. Quomodo revera terra tribulationis nostræ causa dici poterit, quæ ut amabilis mater à nobis recognoscenda? Veteribus olim moris erat, infantem primò natum, matri terræ imponere; cui alludens Salomon ait: *In similiter factam decidi terram, & primam vocem emisi plorans.* Cùm ab oraculo Delphico dictum esset Tarquinio illum in Imperio patris fore successorem, qui primus matrem osculatus fuisset. Brutus id de terra intelligens subitò in terram Sap. 7. 3.

ram

ram corruens, osculatus est, & in ipso oraculum verificatum fuit. Quid beneficia ejus quotidiana referam? Illa à nobis conculcata, & contrita, benigna & mansueta nos sustentat, & alit, ut quæ variis servitiis & modis nobis subveniat, modò se in lapides restringit, modò in teneram se reducit glebam; modò in montes se erigens, in valles se dimittens, in planitiem brachia extendens, commoditati nostræ ac utilitati intendit. Quid varias, ac pæne innumerabiles enarrem fructus aliasque oblectationes quas se exinaniendo in utilitatem nostram profert. Se viridi herba in florido prato variis depingens florum coloribus, oculos intuentium oblectans sensus varietate depascit. Suavi quoque odore nares recreans, dulcissimis fructibus, & delicatissimis liquoribus gustui satisfaciens: resonante echo aures recreat, utque exhilaret, & divites reddat, in sinu suo gemmas, aurum, variasque thesauros recondit. Ipsa Plinio teste benigna, mansueta, amabilis est, numquam homini pro quavis injuriâ illatâ irascitur. Ipsa non ampliùs serpentem recipit cùm hominem vulneraverit, & vindictam pro ignavis se vindicare nescientibus peragit. Ipsa herbam medicinalem, aliasque hominis servitio utiles semper producit. Credi insuper potest, ipsam pro commiseratione nostra venena producere, ut in vitæ tædio, & nimia calamitate mors diuturnâ pœnâ non consumaret, sed subitò absque labore homo vitam finire posset; ita ut post mortem nec avis, nec bestia illum attingeret. Illa vomere, & rastro dorsum suum continuo proscindi sinit, ut abundanti usurâ restituat semen, quod quis prudenter in gremio suo committere novit. Quando denique ab omnibus derelicti, & ejecti, illa suo interiori sinu benignè recipit, & conservat, ut meliori vitæ, & resurrectioni tandem restituat. Meritò ergo à Sapiente mater omnium dicta: *Occupatio magna creata est hominibus, à die exitus de ventre matris earum, usq; in diem sepulturæ in matrem omnium.*

Terra cuncta bona nobis præstat.

* Plin. lib. 2, cap. 63.

Eccli. 40. 1.

4. Si terra igitur mater viventiũ, aqua nutrix dici poterit, quæ in nullo aut vix ab amore matris deficit. Illa adeò benigna, ut partem lecti sui, concedat, cùm enim naturali ratione totam terræ superficiem occupare posset, inter aggeres se restringit, ut amplum hominibus spatium relinquat. Hæc ad sustentationẽ nostram omnem suam substantiam in lac convertere novit: unde à Moyse in benedictione filiorum Israel dictum fuit: *Inundationes maris quasi lac suges:* illa nos refrigerat,

Aqua nutrix nostra est.

Deut. 37. 19

frigerat, lavat, ac purgat, & in humeros quocumque velimus portat. Hæc ad oblectationem nostram in varias se format figuras; modò se in altum elevans varios efficit gyros & saltus; modò se totaliter demittens, præcipitosè defluit; modò se dividens in varias partes, impetuosè se ipsam invadit; modò se abscondit; modò se patefacit; modò dulci murmure allectat; modò quieta, & taciturna jacet; modò speculum solis effecta; modò sitientibus labris dulcis potus; modò ut crystallum transparens piscibus; modò necessaria campis adaquatio; modò defensio & fortalitium fugitivis; modò in elato nubium curru triumphat; modò de cælo pluvia cadendo dulcia cum terra sponsalia contrahit; modò in glaciem concreta se conservat; modò montes format aquarum; modò valles & planitiem exhibet, mille denique modis servitio & utilitati hominum se clementem demonstrat; est necessaria, fœcunda, industria, diaphana, mobilis, & liberalis. Licet quoque propter peccata primorum parentum terra fuerit maledicta, aquam tamen numquam maledictam legimus, utpote quæ nullam partem tribulationum nostrarum habere debebat. Quomodo ergò ab hac accusatione libera

Cuncta bona exhibet.

esse non debebit, cùm tantâ benignitate cuncta subministret, tamque varios pisces, aliaque pretiosa nostræ commoditati adferat.

5. Aërem igitur interrogemus, individuum nostrum, & charissimum comitem; ille concluso nostro cordi, continuò respirationes, & refrigeria mittit; ille nos in vita sustinet, nec ab inimicis opprimi sinit; ille continuò amabiliter nos complectitur, sed non stringit, nobis euntibus, aut moventibus cedit, ne gressus nostros impediat, solicitè cuncta replet, ut vacuum impediat. Universa tantâ dexteritate, & agilitate perficit, ut nisi expertissimus, & in schola Philosophorum maximè versatus, advertere non valebis. Ille sensibus nostris minister, & cursor fidelissimus; auditui nempe sonum adfert, oculis species intentionales aut objectorum adducit imagines, per quas res omnes videre efficit, quod tali celeritate perficit, ut major reperiri nequeat. Ille floribus odoriferisque aromatibus odorem furatur, ut naribus nostris gratum exhibeat donum. Ille contra vacuum, infestissimum nostrum inimicum, continua bella gerit, incomparabili fortitudine, & valore, ut ne quidem pedem in mundo figere possit. Ille quasi aureâ catenâ, cælum terræ connectit,

Aër individuus noster comes.

Cuncta bona nobis exhibet.

connectit, estque perpetuus canalis quo ad nos cæleſtes influxus decidant, & à nobis vapores, & exhalationes aſcendunt, ut in officina aërea curiosè elaborentur, & inde mirabili modo educti, ad noſtram utilitatem dimittantur. Ille denique adeò promptè pro noſtro ſervitio quamlibet arripit qualitatem; modò calidam, frigidam, humidam, & ſiccam; ut propriam ipſius naturam, uſquè plenariè cognoſcere nequeamus. Quomodo ergò inimicitiæ accuſabitur?

Ignis medicus, & coquus noſter.

6. Nec minores ſunt utilitates, & commoditates quas ab igne recipimus, qui medicus noſter, & coquus dici poteſt. Cùm enim calor naturæ ſit amicus, & frigus inimicus, ille calorem noſtrum naturalem fovet, & adjuvat: cibos noſtros accommodat, ſanoſque reddit, ſuperfluos humores exſiccat, ut ſolis vicarius, tenebras noctis diſcutit; & pro beneficio noſtro, dura quæque mollia reddit, ac mollia fortificat, & indurat: ſimilia conjungit, diſſimilia ſeparat. Licet quoque mendici inſtar à nobis cibum accipiat, ſine quo moritur, ut dives tamen mercator, abundantiſſimè remunerat, cùm omnium artium ſit obedientiſſimus miniſter, & exquiſitiſſimus magiſter; agilis, velox, opportunus, audax, ardens, validus, infeſſus, liberalis, & ſuprà omnes creaturas maximè communicativus, ſeipſum omnibus modis exhibens.

Cælum, & ſol nos fœcundat, & illuminat.

7. An ab hoc nobili conſortio cælum excludendum cum ſuis luminibus? Certè non, aſſiduò quippe ſupra nos revolvendo, non ut vaporibus ex inferioribus elementis extrahendo, ſe nutriat, ut ſtolidi cenſuerunt Philoſophi; ſed ut commodiùs ſuas divitias, & theſauros nobis aperiat. Fœcundat, & illuminat terram, variat ſtationes, vigorem arboribus tribuit, animalia reficit, generationem omnium adjuvat, mundum illuſtrat, & conſervat. Sicut etiam ab omni impreſſione, & alteratione peregrina longiſſimè abeſt; ita ad auxilia, & ſubſidia promovenda, non verò ad nocumenta inferenda maximè prodeſt. Si nobis quoque aër ſit comes, & medicus; ignis artium magiſter, & miniſter continuò nos erudiens; cælum altiſſima attributa Dei, ejuſque gloriam nobis exhibet, dicente Pſalmiſta; *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Pſal. 18. 1. Animalibus quoque nónne eandem impertiemur laudem benefactorum potiùs quàm perſecutorum? illa ſiquidem pellibus ſuis nos veſtiunt, carnibus nutriunt, motu ſuo nos deferũt, fortitudine, & labore innumeras commoditates, & lucra nobis exhibent.

Omnes creaturæ ad beneficium hominis. 8. Quis denique ignorat omnes creaturas corporeas ad hominis beneficium creatas fuisse? Moris erat antiquitus, & nunc aliquibus in locis perdurat, ut pater pluribus filiis dotatus, primogenito omnes suas divitias, & thesauros donaret, ac principem eum fratrum suorum constitueret. Id exemplo Patriarchæ Isaac clarè patet, qui benedictioně primogenito suo
Gen. 27. 29. Jacob impertiens, ait: *Esto dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ.* Deus omnium creaturarum pater est;
ad Ephes. 3. 15. *Ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur.* Sed quis ejus primogenitus? Si tempus respi-
Gen. 1. 1. ciamus, cælum est; quia, *In principio creavit Deus cælum, & terram;* si verò dignitatem accipias homo est, unde dicit Apostolus;
Iacob. 1. 18 *Vt simus initium aliquod creaturæ ejus*; *initium* in scriptura sacra tantum est dicere, ac principatus; unde de timore Dei dici-
Ps. 110. 10. tur: *Initium sapientiæ timor est Domini*; summus nempe sapientiæ gradus est timere Deum; di-
Iacob. 1. 18 cere ergò; *Vt simus initium aliquod creaturæ ejus*; tantum est ac dicere ut teneamus principatum inter omnes creaturas. Clariùs
Jerem. 31. 9. quoque in Jeremia: *Ephraim primogenitus meus*; Ephraim, populus Hebræus nempe; quod potiori ratione de nobis dici potest, cùm Christiani sint primogeniti. Omnes ergò creaturæ ad nostrum servitium creatæ sunt, cùm animalia creata essent; ipsemet Deus, *Adduxit ea ad Adam ut videret quid vocaret ea.* Gen. 2. 19. Nónne Deus ipse illud præstare poterat? Nónne convenientius videbatur, ut creator eorum meliùs naturam illorum cognoscens, nomina imposuisset? Absque dubio facere poterat, & rationabiliter præstitisset; sed hunc honorem Adamo exhibere volebat, ut superior, & Dominus omnium agnosceretur. Nabuchodonosor quoque Danieli ejusque sociis nova nomina imposuit, in signum quod Dominus illorum esset; pari modo de piscibus apertè dixit: *Dominamini piscibus maris, & bestiæ terræ.* Gen. 1. 28.

Homini cuncta inserviunt. 9. Nec homini solùm ab omnibus creaturis obsequium præstatur, verùm etiam instar magnorum principum, multos habet famulos non tantùm particulari officio assignatos, verùm etiam plurimos eidem officio subordinatè concurrentes. Si de cibis mensæ allatis agamus, non idem est servus qui illos ab igne recipiens principi offert, sed per multorum transit manus, & unus alteri porrigit, donec ad principem perveniant. Non aliter creaturæ homini inserviunt; pluviæ, aliæque influentiæ cælo defluunt, terra illas recipiens arboribus, fructibus, & herbis dividit: rami hominibus eosdem porri-

porrigunt. Deus id rectè per
Osee 2. 21. Oseam indicabat dicens: *Ego exaudiam cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Iezrael*: Quasi diceret, nolo immediatè dona mea, Jezraeli mittere, sed magnificè per servos mittam; cælo primùm communicabo, cælum terræ committet, & tandem ut singulare donum, ad manus hominis pervenient.

10. Dices verum esse, multa bona à creaturis homini provenire, multa tamen mala etiam proveniunt. Sed quomodo id esse poterit, si omnes creaturæ æquè bonæ sint? Recordor me legisse de Alexandro Magno quod Diogenem interrogans utrum illum timeret? Respondit Diogenes dic mihi primò an bonus vel malus sis. Bonus sum, inquit Alexander, ergò replicabat Diogenes non est unde timeam; quis enim bona timet. Dico ergò, nónne omnes creaturæ bonæ sunt? omninò, quia,
Gen. 1, 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: non ergò timendæ, nec consequenter quidquam mali ab eis sperandum. Nullum jumentum adeò stolidum & insensatum, qui hoc ignoret, & te docere possit; ut præclarè testatur Propheta Job
Job 12. 7. dicens: *Interroga jumenta, & docebunt te*; textus Hebræus in singulari *docebit te* ponit. Quid docebit? Se ad servitium tuum creatum esse, nec alium in mundo finem habere.

11. Ecce quot creaturas innocentes reperimus, & minimè tribulationum, & malorum nostrorum culpabiles. Dico tamen quis reus non judicabitur innocens, si solus audiatur? *Iustus prior est accusator sui* inquit Sapiens: in textu autem Hebræo habetur; *Iustus primus est in lite sua*. Sensus autem est, meo judicio, quod primus dicat rationem suam in quavis lite, & justitiam pro se alleget in omni parte. Unde subjungit Sapiens: *Venit amicus ejus, & investigavit illum*, venit nimirum comes ejus & socius in lite, & rationes ejus examinavit, & videre fecit, quales illæ sint juxta vulgatam nostram editionem, intelligi potest, quod *Iustus prior est accusator sui*, ipse videlicet taliter convictus, necessariò se accusabit, & confitebitur peccata sua in principio, ipsoque solo audito, justus judicabitur. Audiatur ergò primò quid pars contraria dicat.

Plurimæ creaturæ innocentes.

Prov. 18. 17

Ibid.

12. In primis pro argumento validissimo, & indissolubili experientiam adducet, quæ innumeris linguis ore aperto proferet damna, & tribulationes, quas indies ab elementis, aliisque insensatis animalibus recipimus. Terra siquidem mater nostra vocata, in damnum nostrum producit, tribulos, spinas, & infelix

Tribulationes terræ enumerantur.

felix lolium, quæ nos tribulant & pungunt, ac agros, & frumenta deperdunt. In visceribus suis generat ferrum, & chalybem quæ nos transfigunt & occidunt. Tot herbas malas, & venenosas gignit, quæ vitam auferunt; quasi etiam malo nostro omninò inclinata, herbas inutiles maxima in quantitate de se profert, bonas autem vix summo labore ab ipsa recipimus. Eadem quoque variis modis se immutat, ut nos offendat; modò in pulverem redacta contra propriam naturam elevatur ut amabilem oculorum visum impediat; os quoque intrat, ut respirandi virtute impeditâ, nos suffocet; nec membra solùm, verùm etiam vestes aliasq; res nostras deturpat, fœdat, & consumit. Terra aquę mixta lutum efficitur, viasque communes occupans, non tantùm difficiles, & lubricas, verùm etiam periculosas efficit. Nec vestes aut aliquam corporis partem maculare contenta, undequaque assaltans, sordibus inquinat, & contaminat. Indurata verò pedes ac gressus potissimùm in illa confidentes offendit, illisque etiam damnum causat; ut petra quoque aut lapis ad feriendum prompta, & accommoda. Modò superba versus cælum in montes se elevat, ut placitos solis radios & salutiferos impediat ventos. Modò humilis se uniens aquam nostro damno coërcet, aut in præceps decidens valles implet.

13. Quid de terræ motibus dicam, quibus quandoque hominum millia simul interierunt, nec hominum tantum verùm etiam totius regionis, & civitatum ruina secuta est? Plinius refert in Asia una nocte duodecim civitates terræ motu corruisse, tempore Tiberii Cæsaris. Evagrius quoque scribit Antiochiæ tempore Mauritii Imperatoris, adeò horribilem fuisse terræ motum, ut omnes domus quasi simul everterit, in quo sexaginta hominum millia interierunt. Surius insuper enarrat, anno 1509. Constantinopoli tot domos terræmotu corruisse, ut tredecim hominum millia oppressa remanserint. Sed quid vetera commemoro, cùm hisce nostris temporibus id satis experti sint; incolæ Neapolitani & Calabriæ, in quibus regionibus terræ motu plurimæ civitates cum incolis hoc sæculo interierunt, quasi non fuerint. Nec minora sunt damna quæ terra se dilatando quandoque infert, ut in valle Tellina nostris temporibus accidit, in qua insignis pagus Piurensis integrè à terra se dividente absorptus fuit, ut ne vestigium quidem ejusdem remanserit, quod aliàs sæpè accidisse legimus.

Damna ex terræ motu secuta.

Plin. lib. 2. cap. 84.

Evag. lib. 6. cap. 8.

14. Quod si à terra matre nostra

Si terra tanta mala infert, quid de aqua dicetur.

nostra tanta damna proveniunt, & si elementum nobis connaturaliter, & propriè addictum tot mala infert, quid tandem de aliis expectandum? Quis sufficienter indagare poterit damna ab aqua nobis quotidie exhibita? Quot homines pacificè suo gremio recipiens, subitò indignata crudeliter absorpsit? Quot regiones & civitates ingenti labore, & industriâ ædificatas irreparabili inundatione aut omninò sustulit, aut infructuosas, & inutiles reddidit? Quoties importunè nos de cælo vexat? quot res nostras humiditate suâ & penetrabili madore corrumpit, & infrigidat? Quot monstra in perditionem nostram sinu suo alit, & fovet? Qualiter incautos illam siti sedandæ ebibentes, cruditate, & humore salso mille infirmitatibus, & doloribus afficit, & tandem morte enecat? Quantæ denique sunt aquæ quæ crystallino & limpido sinu venena tegunt? In Arcadia referunt gravissimi auctores, fontem adeò venenosum reperiri, ut nullum vas, licèt aureum, argenteum, vel crystallinum ejus violentiæ resistere possit quàm ungula equi aut muli; & multi affirmant, hac aquâ Alexandro Magno venenum porrectum fuisse.

Plin. lib. 12. cap. 103. *Fontes venenosi.*

15. Plinius refert alium fontem tali veneno infectum reperiri, ut nullum contra illud remedium reperiri possit. Alium insuper esse asserit, qui gustatus ab homine vel animali subitò illi mortem infert: de quo Aristoteles in cap. 26. de admirandis auditionibus. Relinquendo etiam illos qui mentem evertunt, & bibentes stolidos reddunt, quorum duo reperiuntur in Paphlagonia teste Plinio; alium adducit memoriam omninò tollentem. In Italia insuper existunt, qui omnia in illis projecta, in saxa convertunt, ita ut res ante utiles & salutiferæ inutiles, & infructuosæ reddantur. Quid mirum tamen aquam maxima causare damna illam bibentibus; si aspersa solùm quandoque talem vim habuerit, ut vitam auferre possit? Simile quid accidisse legitur celebri & docto viro Petro Crinito, qui joci causa ab amicis aquâ aspersus, non amabiliter ab aqua exceptus fuit, cùm illum vitâ privaverit?

Plin. ubi suprà.

Damna ab aëre illata.

16. Ab aëre fortassis adeò dulci, & benigno, ut omnibus cedat, & locum exhibeat, ac sensus nostros quasi effugiat: damna aliqua expectanda sunt? Nescio tamen quomodo illa ut damna nobis inferat, se adeò condensat, ut furiâ infernali invehi videatur, cuncta ad terram dejiciendo, arbores evellendo, domos evertendo, naves demergendo, & mare, ac mundum totum perturbando. Damna

na hujus referat S. Propheta Job, cui decem filii mortui fuerunt, dum in domo fratris sui primogeniti comedentes à furiosis ventis domo eversa occubuerunt. Enarrent pericula ejus Tartari, in quorum regione tantâ vehementiâ ventus dominatur, ut æstatis tempore neminem peditem vel equitem, aperto campo iter agere permittat. Etenim si quispiam ausus fuerit equo incedere, ex illo in terram dejicitur. Incommoda ejus exponant Chinenses, qui vento Tiphone vocato, mare ingredientes, manifestissimo se submersionis exponunt periculo; ita ut vix umquam evadant teste patre Organtino Societatis Jesu anno 1568. de Goa scribente.

Job 1.

Silva var. lect. par. 4. cap. 23.

Damna ventorum.

17. Idem attestari poterunt insularum Hispanicarum habitatores, ubi impetuosi, ac furentes adeò spirant venti, ut quoque homines, arbores, & ædificia transferant: teste Ovetano. Ne autem putetur nos fabulas, aut testimonia regionum longè dissitarum referre; in Italia & hîc quandoque in Belgio venti adeò vehementes spirarunt ut domos, arbores, turres, dejecerint: referente Palmero, & Simone Maiolo; & nostra ætate compertum est; & experti sumus. Qualitates inordinatas, & mixturas diversarum temperierum, caloris, & frigoris omitto, ad quas evadendas, nec domus, nec turres, nec arma, nec vestes sufficiunt, sed undique subtilitate penetrantes maximè nos affligunt. In insula Ormus ne à calidis ventis, & nimio ardore suffocentur homines, in aquis piscium instar vivere coguntur. Quid de damnis infecti aëris, peste, vel pravo humore referam? Pestes illæ adeò metuendæ, quæ civitates habitatoribus spoliant, & regiones devastant: nónne originem ab aëre infecto ordinariè trahunt, qui corda hominum ad refrigerandum deceptrix præoccupans, illos veneno inficit, & interficit. E regione insulæ Taprobanæ loca aliquot inhabitabilia sunt, propter aërem violentum, & pestilentem homines circumdantem, & enecantem. Aër quoque absque aliqua causa extrinseca naturâ suâ frigidissimus ut hieme dum à sole non calefit experimur. Ut talis etiam omnia exsiccat, congelat, & perimit. Si quoque damnis ejus calore solis non fuisset præventum, nihil ferè in vita remanere posset.

Ovetanus lib. 3. c. 3.

Mariol. colloq. 1. dier. canic.

Aër pestilens occidit.

Meland. lib. 3. c. 4.

18. Quid de igne proferam? An violentius quidpiam in mundo repertum, quod minus cohiberi nequeat? An damnum quidpiam, quod ab illo expectare non possimus? Quantum plus devorat, tantò avidior, nec umquam satiatus, nec ulla ei inimici,

Damna ignis.

inimici, aut amici diversitas, aut respectus, omnia æquè comburit, in cineres redigit, & consumit. Quot opulentos subitò ad paupertatem reduxit? Quot palatia & ædificia ad ultimam redegit ruinam, in cineresque convertit? Quot civitates ac homines desolatos reddidit? Quantos indicibili tormento morte affecit? Perilli ingenium, nec Busiridis crudelitas, atrocius tormentum quàm ignis reperire nequivit, quo in æneo Tauro, priùs coquebantur homines quàm interficiebantur. Nullum impietatis suæ opportunius instrumentum quo patriam suam Nero Imperator crudelissimus devastare constituerat, quàm ignis. De quatuordecim regionibus in quibus Roma distincta erat, vix quatuor ab incendio liberę remanserunt. Non semper ignis alium cibum sibi parantem expectat, non semper alterius crudelitatis minister; sed seipso domos penetrans, maximæ sæpe ruinæ causa existit. Francoburgum anno 1476. totaliter igne consumptum absque ulla cognitione originis, aut causæ. Delphis in Hollandia 1086. plures mille, & ducentæ domus inopinato incẽdio consumptæ. In Suetia anno 1407. Ignis à fulgure principaliori pago immissus, illum penitus absumpsit, ac mille sexcentos homines interemit. Quasi etiam ignis cum aqua conspirasset dum remanentes per mare incendium navibus evadere festinant nimio depressæ onere, omnes submersæ fuerunt.

Ignis crudeliter cuncta devastat.

19. Tali violentiæ quâ major esse non possit, ignis astutiam connectere novit. Non solùm quia aliquoties intra vestes, aut ligna aut in angulis domorum se abscondit, & dum minùs cogitamus de repentè prosiliens omnia devastat, & maxima inopinatè damna infert; verùm etiam, quia absque splendore, aut aliorum conspectu omnia intus comburit, & consumit. Notabile hujus rei exemplum refert Fulgosus, quod Carolo Burgundiæ duce Geldriæ civitatem occupante, ignis sub terra accensus est, nec ullâ apparente flammâ omnes arboris radices & herbæ concrematæ fuerunt: quod incendium in Burgundiam ferè transivit; cùm nec aquarum abundantiâ, nec fossis aut cuniculis subterraneis effossis minimè extingui potuerit.

Ignis subterraneus.

Fulgosus lib. 1.

20. Bombardas, tormenta bellica, aliaque instrumenta internecioni hominum reperta, & ab igne vigorem, ac fortitudinem recipientia, lubens omitto. Ad cælum ergò transire cupio, quod licèt à nobis multum distet; ideoque nec damna inferre timendum: si tamen illud bene consideremus, nullum crudeliorem

Damna quæ cælum infert.

deliorem tenemus inimicum, à quo ſiquidem vita noſtra magis infeſtatur, conſumitur, ac morti in prædam datur, quàm à tempore? Contra cuncta alia remedium adhiberi poteſt, contra tempus verò nullum. Hoc juventuté tollit, ſenectutem adducit, ad ſepulchrum conducit, ac omnia irreparabiliter devorat. Sed quid hoc tempus, cujus filius, quis illud in mundum introduxit? quis ſuſtinet? Cælum perpetuo ſuo motu illud generat, & ſuſtinet, nec aliud eſt quàm cæleſtis motus menſura; ita ut omnia damna temporis cælo adſcribenda ſint. Malignos omitto influxus ab eo deſcendentes, ſtationum intemperiem, exceſſus caloris, inſupportabile frigus, continuos imbres, cadentia fulgura, frequentes grandines, tonitrua & tempeſtates ac alios indignantis cæli effectus.

Quæ mala ſol cauſat.

21. Notandum hîc tamen eſt quod à paucis ni fallor obſervatum, ſolem nempe erga nos omni alio planeta benigniorem, aliquibus in locis adeò ferventes emittere radios, ut ignem accendat, quo plurima loca combuſta fuerunt. Sic in Guaſconia an. 1540. in Anglia 1556. pagos & campos combuſtos ſcriptores iſtarum regionum commemorant. Idem 1526. in Muſcovia accidiſſe ferunt, adjungentes inſuper ex fumo incendii iſtius multos fuiſſe excæcatos. Tale fortè incendium occaſionem Poëtis dedit fingendi Phaëtontem non valentem currum ſolis conducere, nimio ardore mundum concremaſſe. Sive ergò vicinus, vel remotus ſol fuerit, ſemper nobis obeſt; vicinus nos adurit; remotus exceſſivo frigore nos cruciat, pauci verò illi ſunt dies, quibus temperies nobis favorabilis adeſt. Nec minora mala luna nobis ſuperfluâ humiditate variiſque influentiis cauſat. Aliæ quoque ſtellæ malignis ſuis influxibus multum nocent, in quibus nimiùm me diſtendere nolo.

Bod. lib. 5. reip. cap. 1.

Simon. Marol. colloq. 17.

Quantum animalia noceant?

22. Nec in nocumentis à beſtiis illatis me detinere cupio. Quis enim ignorat, quanti à ſerpentibus veneno infecti; quanti ab Urſis lacerati; quanti à Lupis devorati; quanti à Leonibus diſcerpti? Ad minima uſque animalia ut muſcæ, culices, & pulices plurimis modis nocent; moleſtant, & conturbant; pellem transfigunt, ſanguinem exſugunt, cibos contaminant, oculis, auribus, naribus, ac ſenſibus omnibus nauſeam adferunt. Licet quoque parvæ frequentiâ tamen parvitatem, & exiguitatem recompenſant magis hæc animalcula quandoque obſunt, majoriſque nocumenti ſunt cauſa quàm alia multò majora; ita ut quandoque integræ regiones illa oppugnantes, nequidem reſiſtere

stere sufficiant; sed proprias relinquendo ædes & civitates aliò commigrare coguntur. Refert Plinius ex Varone, de civitate quadam Hispaniæ cuniculos habitatores fugasse. Muscæ in Græcia ex civitate Megara incolas excedere compulerunt referente Eliano. Thessaliæ civitas à Talpis depopulata remansit. In Francia cuidam civitati idem præstiterunt Ranæ. Alia à Locustis infestata & habitatoribus viduata in Africa teste Plinio: qui unam ex Ecladibus insulis à Talpis devastatam asserit. Idem in Italia aliquos populos passos fuisse refert Elianus. Nec ab his solùm animalculis imbecillibus vexatur homo; verùm etiam maximè à domesticis & charioribus. Bartholus insignis legis doctor, & scriptor cum caniculo suo jocando, ipso labii ejus parte mordente, rabie inde correptus miserè obiit: aliis à felibus idem evenit. Verum ergò est à nullis nos animalibus securos esse, sed ab omnibus tribulationem, & mortem posse recipere.

Plin. lib. 8. cap. 29.

Elian. lib. 11. hist. anim. c. 28.

Plin. lib. 15. cap. 26.

Elian. lib. 17. cap. 38.

Tormentum Attilii.

23. Quid ergò de homine in medio tantorum inimicorum posito futurum erit? Quomodo pacem acquirere, & absque tribulatione vivere poterit? Occurrit menti acerbius tormentum, quod Carthaginenses Attilio Regulo intulerunt? Vas quoddam acutis clavis undique transfixum confecerunt, in cujus medio præcisis palpebris, Attilium ardenti soli exposuerunt; ita ut nec oculos claudere nec se aliquam in partem movere posset. Sed lentâ, ac crudeli morte vitam finire cogeretur. Huic non dissimilis hominis status apparet: ut vas ingens hic mundus videtur, in quo homo constitutus ab omni parte clavos, & offendicula reperit illum transfigentes, & pungentes: nec aliqua in parte requiem sperare potest. Id experientiâ se competisse refert Salomon qui omnia in mundo hoc reperta probasse testatus est, dicens: *Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Quasi diceret, in quamcumque partem oculos deflexi, pungentes assiduò clavos, & tribulationes reperi, configentes cor meum. Oculi quoque nostri, palpebris privati existunt, ita ut claudi non possint; continua nempe videndi curiositate, & semper nova & illicita sæpius indagandi, occupati; quæ à Salomone occupatio pessima dicta his verbis: *Proposui in animo meo quærere, & investigare sapienter de omnibus; Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.*

Valer. Max. lib. 9. cap. 2.

Homo undique afflictus.

Ecclesi. 2. 11.

Ecclesi. 1. 13

Omnes creaturæ sagittæ Dei sunt.

24. Parum dixi, non solùm quippe creaturæ omnes sunt clavi fixi, ut nisi accedas non

lædant; sed sagittæ quæ ad vulnerationem, & afflictionem tuam emittuntur. Sicut etiam Dux militibus quandoque signum aliquod aut scopum proponit, ac omnes in illum collimare efficit, ut se rectè exerceant: ita Deus omnium creaturarum Dux, videtur hominem pro scopo aut signo exposuisse ad quem omnia tela sua dirigeret. Hoc de seipso testabatur Jeremias Propheta, dicens: *Posuit me quasi signum ad sagittam.* Tale signum S. Propheta Job fuit, qui à cælo ab elementis, & omnibus creaturis afflictus dicebat: *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Si tamen à creaturis afflictus erat cur à sagittis Domini se transfixum dixit? quia vulnera militum, duci adscribuntur; sic omnes creaturæ quasi Dei milites, sagittas suas ad destinatum scopum emittebant. Idem quoque intellexit impius Cain, ideoque à præsentia Dei ejectus, dixit: *Ecce ejicis me à facie tua; omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* Quasi diceret, me ex aula tua ejicis, unde non tantùm licitum erit unicuique me injuriis afficere, verùm etiam gratum præstare arbitrabitur, mihi vitam eripere. Sed quis tunc in mundo erat? Non alius quàm pater & mater Cain; ab ipsis ergò occidi timebat? Non credo ita illos timuisse, quàm alias creaturas, utpote Dei milites cui ille rebellis erat. Notanda insuper sunt verba illa: *Ejicis me à facie tua*: quasi diceret, me expellis à fortissimo propugnaculo ubi ab inimicis undique defensus eram; talem quippe Dei faciem esse, testatur Psalmista dicens: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ.* Quod meo judicio, ni fallor, erit in oculis Dei, postea siquidem dixit: *Qui tetigerit vos tangit pupillam oculi mei.* Oculi quoque dicuntur partes magis absconditæ divinæ faciei, cùm enim sole sint clariores; *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem*; ab illa sublimi luce omnes mortalium oculi scintillant, ideoque cooperti, & absconditi nuncupantur.

Thren. 3. 12. Job 6. 4. Gen. 4. 14. Psal. 30. 21. Zach. 2. 8. Eccli. 23. 28

Homo flos est omnibus injuriis expositus.

25. Dices à creaturis ergò affligi, effectus proprius peccatorum est, & Deo rebellibus solùm competit. Quin imò dico ego est homini connaturale, & consequenter omnibus commune. Flos vix è terra erumpit, quin subitò omnes creaturæ in illum conspirasse videntur. Sol exsiccat, ventus foliis privat, aqua languidum efficit, tempus consumit, homines avellere certant, bestiæ conculcant, nec debilius quidquam aut minus defensioni inimicorum aptum, quàm flos. Talis rectè est homo; *Qui quasi flos egreditur*; inquit S. Job, ne tamen credamus ob

Job 14. 2.

ob pulchritudinem, aut aliam conditionem flori assimulatum putemus, adjungit; *Et conteritur.* Ad idem intentum Isaias Pro-
Isa. 46. pheta ait: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos fœni*; homo solis caloribus exuritur, frigore nocturno lunæ affligitur, nisi à Deo particulariter illi di-
Psal. 120. 6. catur; *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem*; ventis conti-
Marc. 6. 48 nuò movetur; *Erat ventus contrarius eis*, & est arundo ventis agitata tempestate submergitur;
Psal. 68. 2. *Intraverunt aquæ usque ad animam meam*; à tempore consumitur;
Thren. 1. 15 *Vocavit adversum me tempus*: ab
Matt. 10. 36 hominibus affligitur; *Inimici hominis domestici ejus*, à bestiis lace-
Sap. 16. 24. ratur; *Mittam in vos bestias agri*; & ab omnibus creaturis affligitur: *Creatura enim exardescit in tormentum adversus injustos.*

Divitiæ affligunt hominem.

26. Non solùm ergò ab hominibus & animalibus, affligitur homo, verùm etiam à rebus ipsi maximè charis. Quid ab ipso magis amatum, quàm divitiæ? Ideoque non tantùm sunt spinæ, teste Salvatore, quæ corda lacerant, verùm etiam laquei, & compedes nos stringentes, & mancipia diaboli efficientes di-
1. ad Tim. 6. 9. cente Apostolo: *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli.* Nec ligatus solùm, verùm etiam aggravatus divitiis suis, & miserè oppressus; ut eloquenter
S. Petrus Chrysol. serm. 29. discurrit S. Petrus Chrysologus: *Aurum naturâ grave, gravius fit avaritiâ, hinc est quod plus habentem deprimit, quàm ferentem: vehementiùs aggravat corda, quàm corpora. Nascitur in terra profunda, & dum suam repetit naturam, cælestes animos ad inferna deponit.* Nec minùs eleganter S. Cyprianus loquendo de divite; *Suspirat*, inquit, *in convivio, vigilat in pluma, nec intelligit miser, speciosa esse sibi supplicia, auro se illigatum teneri, & possideri magis, quàm possidere divitias.* S. Cypr. epist. ad Donatum.

Homo divitiarum idololatra.

27. Nec divitiarum solummodo servus, verùm etiam idololatra, teste Apostolo; & Osee Propheta ait: *Dives effectus sum, inveni idolum mihi*; nec animæ Osee 12. 8. solùm verùm etiam corpori frequenter divitiæ lædunt, & multis sunt causa mortis; uti temporibus Sillæ refert Plutarchus, divitiis abundantiores, morti condemnatos fuisse. Quid charius homini pulchritudine? Illa tamen plurimorum damnorum, & afflictionum causa, Lucretiæ, Virgineæ, aliisque causa interitus fuit. Quid sapientiâ, & prudentiâ honorabilius, & sublimius, Socrati tamen aliisque violentæ mortis occasio fuit; unde Brutus, & David ne occiderentur, stultos se finxerunt.

Fortitudo viri periculosa.

28. Fortitudine quid securius, & minus periculosum? Sampson tamen, Milo, aliique ob fortitudinem occisi fuerunt. Nisi Sampson adeò fuisset fortis, templum Dagon corruere

non effecisset, cujus ruinâ ipse pariter oppressus fuit. Milo si fortitudini suæ non ita confidisset, non ausus fuisset ingentem divellere arborem, quæ vindictam exequi, & temeritatem ejus castigare cupiens adeò manum constrinxit, ut feris se lacerandũ exposuerit. Goliath quoque immanis ille gigas, & carnea moles, fortitudini suæ, & viribus nimiùm confisus, à juvene Davide occisus fuit. Notandum autem est quòd scriptura sacra occisionem ejus referens dicat:
1. Reg. 17. 51. *Cucurrit & stetit super Philistæum, & tulit gladium ejus, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum.* Si tamen Davidi opus erat gladium Goliath evaginare & ipse ad pugnandum processerat in campum, & viderat Davidem arma sua tenentem, quomodo nondum gladium arripuit? Quid agere putabat? Abulensis, & Liranus respondent, lanceam manu tenuisse, quâ primò confligere intendebat, juxta morem militarem. Hæc tamen responsio improbabilis videtur; in duellis quippe pedites pugnantes, non lanceâ sed gladiis utuntur. Magis ergò mihi sententia aliorum dicentium arridet, Goliath non apposuisse manum gladio, quia tantum in fortitudine sua confidebat, ut unico flatu Davidem ad terram prosternere cogitaret, eique vitam eripere, absque eo quòd manum ferro admoveret. Hæc nimia confidentia ex fortitudine ejus orta, occasio fuit, ut inimicum despiciens, ab ipso vinceretur, & cum dedecore vitam finiret. Regna quoque & Imperia, quæ perfectissima videntur bona, quæ in hac vita homo possidere possit, quis nescit plena periculis & tribulationibus esse? Unde Antigonus regiam dignitatem, nobilem, & splendidam servitutem appellabat. Seleucus coronam regalem aspiciens, dixit: ô corona, qui sciret quid sub te lateat, in terra jacentem non elevaret, nec ullo intuitu dignam judicaret.

Goliath in fortitudine deceptus.

Bona temporalia semper affligunt.

29. In his autem malis illud pessimum esse censeo, quòd sicut alia mala præsentia solùm torquent; & jam præterita consolationem potiùs adferunt, juxta illud Psalmistæ: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Psal. 89. 15. Hæc tamen quæ falsò vocantur bona temporalia, & præsentia, & præterita, & futura semper nauseam adferunt, & dolorem. Optimè hoc advertit S. Augustinus dicens: *Temporalia non cessant nos inflammare, ventura corrumpere venientia, torquere transeuntia. Nónne ipsa sunt, quæ concupita inardescunt, adepta vilescunt, & amissa evanescunt.* S. August. serm. 23. de tempore. Quis umquam hospitem crudeliorem, aut molestiorem conspexit? Antequam possidentur, desiderio suo

suo nos cruciant, & siti adeò vehementi exagitant, ut dicatur; *Concupita inardescunt.* His plurimæ aliæ afflictiones, & calamitates associatæ veniunt; dicente siquidem Apostolo; *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Sitis hæc adeò vehemens est, ut numquam extinguatur, imò magis crescit, quantò plus bibitur. Quando Joseph invitaverat patrem, & fratres suos ad habitandum in Ægypto, inter cætera significavit eis hæc: *Properate quantociùs venientes, nec dimittatis quidquam de supellectili vestra, quia omnes opes Ægypti vestræ erunt.* Insolitus certè loquendi modus, quid magis inconveniens quàm talem rationem prætendere? Si omnes divitiæ Ægypti illorum esse debebant, congruum erat illis intimare adferte solùm ea vobiscum, quæ vobis in itinere necessaria sint futura, cùm enim huc perveneritis nihil vobis deerit. Sapienter tamen dixit: nostra siquidem natura aut à corde nostro, aut à bonis mundanis sic stimulata, quantò plura possidet, tantò magis habere desiderat. Meritò ergò illis dicitur, quandoquidem Ægypti divitias possidere debeant, non deserant possessas; cumque plurimas acquirere oporteat, exiguas ne spernant; quantò magis siquidem habebant tantò magis habere desiderabant. Optimè ergò dixit S. Augustinus; *Concupita inardescunt.*

1. ad Tim. 6. 10.

Gen. 45. 19

30. Hoc malum pejus sequitur; quod *Adepta vilescunt*; dum ergo credimus illa lætitiam & gaudium allatura, ut ex vehementi desiderio sperabatur; afflictionem afferunt & tormentum cùm nullum in eis speratum bonum reperiatur; sed cor nostrum illâ exultatione, & lætitia quam optaverat, frustratum maneat. Ingens quoque & notabilis hæc nostra miseria, ut rem siquidem aliàs pretiosam, vilem, & nullius pretii, efficiamus, à nobis possideri sufficit: ex quo plurimi mirabiles cernuntur effectus. Talis fuit repentinus transitus in corde primogeniti Davidis, nempe Ammonis de immenso amore, quo Thamar sororem suam amabat, ad multò majus odium. Ille adeò fuit ingens, ut ipsum paulatim consumeret, ac in facie ejus tandem appareret, unde quadam die unus ex amicis ejus illi dicebat; *Quare sic attenuaris macie fili Regis?* Quasi diceret, es primogenitus regis filius cui nihil deest, cui omnes servire cupiunt, & tantâ mœstitiâ suffunderis, ut indies consumaris? quid sibi hoc vult, & quæ causa ejus? Morior, inquit, præ amore pulchritudinis Thamar sororis meę, quia verò consanguinitas non permittit, ut illâ frui possim, quasi

Bona adepta afflictionem pariunt.

2. Reg. 13. 4

In Ammone id clarè patet.

quaſi deſpero, & minus æſtimo malum mori, quàm ſine illa vivere. Tantò ergò pulchritudo Thamar æſtimata, ut propter illam vilipendatur juventus, vita, & regnum tanti principis? Quin imò dixit amicus, animo valete, modum inveniemus, quo objecto deſiderato frui valeas. Infirmum te ſimula, & obſecra, ut ſoror tua Thamar cibum tibi præparet, & deferat, pater ſiquidem vobis hoc negare non poterit; tali porrò occaſione intentum veſtrum perficere valebis. Ita dictum factum: ſed quid evenit? Mirabile quid quia amor ille immenſus, in odium verſus eſt, & adeò eam ſprevit ut
2. Reg. 13. 15. ſcriptura ſacra dicat: *Exoſam illam habuit, odio magno nimis; ita ut majus eſſet odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat.* Sed quæ hujus odii cauſa? Fortè Thamar deformis reddita? An non amplius juvenis, aut filia Regis erat? An aliquid ex illis perdiderat, quæ illam adeò reddebant amabilem? minimè, nam prædicta omnia retinebat. Quomodo ergò modò deſpecta, ante adeò dilecta? Quia teſte S.
S. Auguſt. ubi ſuprà. Auguſtino; *Concupita inardeſcunt, adepta vileſcunt.* Ammon jam deſideratum obtinuerat effectum, & concupiſcentiam expleverat, ideò illam contemptibilem, & reputatione indignam judicabat.

31. Eadem ratio magnam vim habuit, in corde Aman, qui vice quadam honores ſuos & dignitates referens; poſtquam ſe ſupra omnes principes elatos aſſeruiſſet; & Regem Aſſuerum ipſi plurimas divitias contuliſſe jactaſſet, nec filii pro tantis theſauris deeſſent, à regina quoque adeò honoratum fuiſſe, ut ipſum ſolum cum rege ad convivium invitaſſet; nihil tamen ſe aſſecutum putabat, quamdiu à Mardochæo non adoraretur: *Experientiâ patuit in Aman.*
Cùm hæc omnia habeam, inquit, *nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias.* Cor meum, inquit, plus æſtimat adorationem Mardochæi, quàm omnes divitias, honores, & bona quæ poſſideo; dum verò illam non obtineo deſpero. Summoperè hoc mirandum; tantúmne ergò valet adoratio ſeu inclinatio hominis vilis, & adeò parvi fiunt divitiæ, theſauri, ac præcipuæ dignitates regni? ita eſt; quia, *Concupita inardeſcunt, & adepta vileſcunt*: omnia prædicta poſſidebat Aman; *Cum hæc omnia habeam*, ideoque vilipendebat; cum autem inclinationem Mardochæi obtinere non poterat, tanti illam æſtimabat, ut reliqua nihili faceret. Eſther. 5.13

32. Nec hîc ſe ſiſtunt calamitates bonorum temporalium, quia citò; *Amiſſa evaneſcunt, & tranſeuntia torquent.* Quando illa poſſidere arbitramur, fugiunt *Bona adepta citò evaneſcunt.*

&

& evanescunt, & possessores suos afflictos, & miseros derelinquunt. Nullam siquidem stabilitatem, & firmitatem hæc terrena obtinent, sed in Deo sola pax invenienda. Deus Moysi loquens dixit: *Ego sum qui sum*, quid magni hoc est? Nónne unusquisque de se dicere potest, ego sum qui sum? Nónne de quavis creatura dici potest, illam esse quæ est? Terra siquidem nónne terra est, aqua, aqua; homo, homo? oppositum dicere contradictionem implicat. Quomodo ergò Deus ait illi proprium esse, *Ego sum qui sum*? Considerate bene quid postmodum Moysi dixit: & intelligetis. Dicit illi Deus; *Quid est quod tenes in manu tua?* respondit illi, *Virga*, ait illi rursum Deus, *Projice eam in terram; projecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses.* Quare fugis Moyses? quia virga in serpentem versa est? Inquit rursum Deus, accipe illam per caudam; accepit, & in virgam rursum rediit. Denuò illi Deus injunxit, ut manum in sinum poneret, fecit id Moyses, & leprosam retraxit: reponas iterum inquit Deus, illamque reponens sanam retraxit. Ita ergò facies coram populo inquit Deus, si hoc quoque non sufficiat, aquam de flumine hauriens in sanguinem convertetur.

Exod. 3. 14

Exod. 4. 3.

33. Vide ergò verum non esse, creaturas esse quod sunt: virgâ siquidem extra manum Moysis non virga, sed serpens est: & serpens in manu ejus virga est. Aqua, non aqua, sed sanguis est, sanitas quoque infirmitas est: solus verò Deus est qui est. Ita ergò bona temporalia; *Amissa evanescunt*, quæ enim in manu tua viles erant Virgæ, extra manum tuam serpentes sunt, qui cor & viscera transfigunt, eò quòd nimirum illa perdideris. Quando te manum sanam habere credes, infirmam reperies; cumque aquam siti concupiscentiæ extinguendæ commodam invenisse te credideris, sanguinem reperies, horrorem nempe, & afflictionem. Hinc oritur neminem suo statu contentum, ac varietatem summoperè placere, in omni siquidem negotio dolor invenitur; cùm autem dolor præsens major videatur, illum fugere desideramus, licèt de alio securi simus. In vanum ergò hac in vita quietem concupiscimus, stultus quoque esset qui se hîc beatum fore crederet. Addiscamus igitur impossibile esse sine tribulatione vivere, cùm ab omni parte illâ cingamur; quæ doctrina utilissima in hac secunda parte nobis tradenda erit, interim largâ eleemosynâ illam assequi conamini.

Creatura non sunt quod sunt.

Nemo sua sorte beatus.

SE-

SECVNDA PARS.

An plura bona quàm mala à creaturis recipiamus.

34. Plurima nos beneficia, ac damna à creaturis recipere, indubitatum est, ut ex prædictis patet. Licet dubitari possit, an beneficia, damna superent, vel econtrà. Nec proposito meo multum conduceret, sententiam in favorem bonorum, vel malorum dari; non enim nos probare intendimus tantum mala à creaturis provenire, aut majora mala, quàm bona; sed solùm illas quoque ad tribulationem nostram concurrere; licèt alioquin plurimorum bonorum causę sint; prout supra conclusimus Deum tribulationũ nostrarum auctorem esse, licèt pater multarum consolationum existat. Non ergò ut causæ meæ faveam, sed ut simpliciter veritatem asseram, ultrà procedo, & affirmò non tantùm plures esse tribulationes quas à creaturis irrationabilibus recipimus, quàm beneficia; verum quoque est, quod eadem beneficia potiùs merentur nomen offensionis, & damni quàm beneficii.

Terra noverca nobis est.

35. Quid dicitis terram benignam nostram matrem esse? Imò noverca est, cùm origo nostra non ab ipsa sed à cælo
2. Machab. 7. 11. sit: *E cælo ista possideo*; meritò dicebat unus ex Machabæis juvenibus. Optimè quoque apparet quantò liberalior, & benignior erga arbores, & herbas sit, quàm erga homines; illis namque omnia sine labore, aut cooperatione, necessaria abundè ministrat. Homo verò maximo labore, continuò eam vomere perscindendo, ligonibus evertendo, omnique industria præparando, ac semen bonum immittendo, vix tandem victum acquirere potest. Ita hoc S. Bernardo attestante perspicuum redditur: *Terra ipsa quæ debuerat nobis esse germanior, non nisi in sudore vultus nostri, panem nobis ministrat; imò & cùm coluerimus eam, spinas & tribulos germinat nobis.* Concedamus tamen matrem esse, scitis verò qualis sit? adeò crudelis, & immanis est, sicut illæ, quæ ne quidquam paterentur famis, filios potiùs suos occidere, coquere, & comedere volebant. Ita de terra promissionis inter cæteras magis æstimata dicitur: *Devorabat habitatores suos:* Quod de quavis terra affirmari potest; illa siquidem nos denuò recipiens, totum corpus ac viscera consumens ossa quoque in cinerem convertit.

S. Bernard. serm. de fallacia hujus vitæ.

Num. 13. 33.

Aqua mala nutrix.

36. Quid dicitis aquam nutricem nostram esse? Concedamus, sed nónne percipitis lac ejus potiùs amarum, quàm dulce esse? De hoc dictum fuit: *Inundationes maris quasi lac sugent.* Deut. 33. 19
Quin imò nullum lac dulce; aqua nempe fontis tunc est perfectior, quò magis insipida. Nec

sapore

ſapore tantùm, ſed quaſi ſubſtantiâ privata eſt: cùm purum elementum, nullum det nutrimentum. Si aliunde ergo nobis victum non procuremus, hæc nutrix citò nos fame perire ſineret. Licet inſuper bona nutrix dici poſſet, tot habet proprios filios alendos, quales ſunt omnes maris piſces, ut nimio erga illos affectu directo, homo vix quidpiam ſperare poſſit. Quid dicitis aquam ſicut terram non maledictam? Verum eſt, & S. Auguſtinus duas inſignes aſſignat rationes; una eſt, quia non peccavit Adam ex fructibus maris comedendo, ſed de fructibus terrenis; alia verò eſt, quia aqua inſtrumentum benedictionis, & renovationis in baptiſmo eſſe debebat. Effectu quoque idipſum patet, ſicut enim terra maledictione divinâ ſterilis reddita, ut nil boni de ſe producat, ſed homo continuò labore eam excolere oportet. Aqua primam fœcunditatem Dei benedictione obtentam; hucuſque retinet, ut ſine ullo noſtro labore, vel adjutorio, ſemper, & ubique abundanter piſcibus ſcateat. Sed in propoſito noſtro, aqua maledictione non eguit, cùm naturæ noſtræ ſit contraria, ad quod qualitates connaturales ſufficiebant. Licèt quoque piſces ſint benedictionis divinæ effectus, multi tamen ex illis nobis inimici, & nocivi exiſtunt.

Cur aqua non maledicta?

37. Quid dicitis, aërem nobis eſſe continuum, & intimum amicum? Sed comes infidelis, & proditor; interiora ſiquidem noſtra penetrando, intus latentia, & ſecreta noſtra odore ſuo quem defert omnibus patefacit. Quod verò pejus eſt, ſæpius ſe inimico noſtro crudeliſſimo ſocians, januam cordis noſtri aperiens illum intromittit; cumque amicum nos receꝑiſſe putemus, ab inimico nos aggreſſos, & morti addictos comperimus. Quid dicitis, ignem ſe medicum, & coquum nobis exhibere? Verum eſt, ſed coquus adeò guloſus & vorax eſt, ut niſi diligenter attendas, non tantùm præparatos cibos, ſed culinam, & dominum quoque devoret. Medicus quidem eſt, ſed alio inſpectore ſolerti indiget, qui illum cautè retineat, alioquin non infirmitatem tantùm, ſed infirmum conſumet, & deſtruet. Multoties quoque non vocatus adeſt, non ut ſalutem conferat, ſed ut vitam nos perdere cogat. Ubicumque vel minimum rei noſtræ arripere poteſt in ſe convertit nobiſque quandoque invitis, cuncta ſubripit. Quid dicitis, cælum magiſtrum noſtrum eſſe? Non hoc vobis nego, ſed talis ut virgam potiùs quàm linguam adoperetur; ſurdus ad interrogationes noſtras, ænigmaticè, & parabolicè

Aër infidelis amicus.

Ignis coquus guloſus, & vorax.

rabolicè nos docens: unde plurimi exorsi errores.

Animalia coacta mancipia.

38. Quid dicitis, animalia, aliasque creaturas, nostra esse mancipia? Verum est, sed nescitis nil pejus esse, quàm servos habere involuntarios, non amore, sed vi ad servitium coactos? Omnia siquidem pessimè perficiunt. Talia sunt animalia, & creaturæ: teste S. Paulo Apostolo: *Vanitati subjecta est creatura non volens.* Sed quæ vanitas ista, cui creaturæ involuntariè subditæ? Propheta regius nobis illud insinuat dicens: *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.* Homini verò omnia subjecta esse idem nobis testatur dicens: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Si creaturæ ergò universæ homini subjectæ sint, & homo sit vanitas; clarum est tantum esse dicere creaturam vanitati involuntariè subditam esse, quàm dicere illibenter homini deservire, ideoque semper recalcitrare, quantum potest; ac rarissimè beneplacito ejus inservire. Meritò proinde S. Bernardus admirando dixit: *Miror quomodo omnia data memores, quibus ferè nulla famulantur ad votum; servire nobis videntur aliqua, sed cum labore nostro, nec nisi prius servierimus eis. Iumenta ipsa nisi à nobis fuerint nutrita, nisi domita, nisi pabulo sustentata, non adjuvant.*

ad Rom. 8. 20.

Psal. 38. 6.

Psal. 8. 8.

S. Bernard. serm. de fallacia hujus vitæ.

39. Quid dicitis creaturas nobis plurima commoda, & delicias exhibere? Verum est, sed in perditionem nostram. Plutarchus de principibus sui temporis loquens insignem protulit sententiam; numquam videlicet, æquiores & justiores esse, quàm dum simul præliarentur. Tunc siquidem quales erant, se exhibebant: dum verò in pace persisterent, amici exteriùs, interiùs inimici erant, ut ad se accedentes faciliùs decipere possent. Ita creaturæ semper sunt inimicæ, sed tunc minus, quando apertè persequuntur, quàm dum blandiuntur. In hoc siquidem quales sint se exhibent, in illo autem insidias tendunt, & fraudes. Eruditè Sapiens hoc declarat dicens: *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in muscipulam pedibus insipientium. In odium sunt*, dum se inimicos apertè exhibent, *in muscipulam* dum se amicos fingunt, & delitias exhibent. Ita ut bonis suis nos decipiant, & malis affligant, & tam hæc quàm illa, nobis summoperè nocent.

Creaturæ nos bonis suis decipiunt.

Sap. 14. 11.

40. Ut tamen boni aliquid ex ipsis hauriamus, quæ documenta more solito ex illis colligere poterimus. Primum erit ut discamus cum hominibus patienter agere: in hoc etenim mundo, ut in magna schola sumus in qua ab omnibus creaturis exercemur, & instruimur ad tolerantiam, cùm omnes, ut diximus,

Cum hominibus patienter agendum.

I. Docum.

diximus, nos affligant, & excrucient. Summo igitur nobis erit dedecori, in ea tamdiu commorari, absque eo quòd doctrinam universalem, addiscamus, sed adeò maneamus inexperti, ac si primo die intraremus. Diogenes Cinicus quandoque à statuis marmoreis eleemosynam exigebat, cùm tamen nec manum extendere ad porrigendum, nec linguam ad consolandum, nec aures ad percipiendum aperire possent. Aliquibus verò dicentibus, quid agis Diogenes, non advertis te tempus inutiliter perdere, & alloqui non audientes? Stolidum te cuncti æstimabunt. Non inquit tempus inutiliter perdo, sed patientiam exerceo, assuefaciens me quippe ab his statuis petendo, à quibus nil expecto, vel recipio; non adirascar postmodum dum ab hominibus surdis, & immisericordibus aliquid petiero.

Exemplis idem docetur.

41. Cerealis Romanorum dux apud Tacitum hanc doctrinam rectè intellexit, qui aliquibus de alieno imperio impatienter loquentibus ait: *Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita luxum vel avaritiam, dominantium tolerate?* Si nimirum terræ sterilitatem, & cæli inclementias patienter toleratis, non vobis extraneum videatur, sterilem avaritiam, & supra abundantes principum delitias tolerare. Monachus quidam hoc studio optimè se exercere noverat; cùm enim confratres suos patienter sufferre non posset, ad eremum contendere deliberavit; majorem ibi pacem se reperturum confidens. Quam dum adipisci se sperat, ecce turbatio; hauriens quippe vase aquam, illoque plus quàm semel everso, adeò impatienter sustulit, ut vase, quod nullam habebat culpam, ad terram illiso, in se reversus, insipientiam agnoverit quòd creaturis insensatis indignatus fuisset; unde tolerantiam quoque cum hominibus exercere didicit, & à se, non ab aliis defectum impatientiæ prodire comperit.

Tacit. lib 4. Histor.

Insipientia est non sufferre injurias.

42. Si nos quoque nullam injuriam aut offensionem recipere cupimus, cur non in cælum, & terram insurgimus? Cur non imitamur Xerxem, qui mare percuti jussit, & in illud vincula, & compedes injicere, quia contra voluntatem suam tempestuosè intumuerat. Cur non sequamur Gothos, qui fulminante, & tonante cælo vindicando quasi sagittas in illud jacebant. Dices maximam fuisse stultitiam; insipientiam quoque tuam esse dico, quòd ab omnibus hominibus revereri cupias, nec aliquem te tangere, aut injuriæ quidpiam inferri velis.

4. Secundum documentum

 est,

Deum in omnibus timere oportet.
2. Docum.

est, ut discamus timere Deum, cujus omnes creaturæ sunt milites ad pugnandum promptissimi, & invadendum omnes, contra Deum insurgere volentes. Favorinus Philosophus Adrianum Imperatorem alloquens, ab eo reprehensus fuit, quia mali quidpiam dixisset; cui contradicere non fuit ausus; unde discipuli ejus admirati, dolentes, se non defendisse, & rationem dicti sui allegasse; respondit, non vultis me cedere ei, cui triginta militum legiones obediunt? Ostendens non esse securum cum eo contendere, qui ipso tantò potentior, & fortior erat. Quantò magis ergò nos cum Deo contendere recusabimus, qui omnes creaturas sibi obedientes, & obsequentes habet? Meritò ergò inquit Apostolus, *Humiliamini sub potenti manu Dei*; quasi diceret, advertite bene non vos difficiles exhibere ut coram Deo humiliemini, quia adeò est potens, ut vos humiliari coget.

Musca Dei vindex.

44. Sed quid dico omnes creaturas milites suos esse, quasi copioso indigeret exercitu ut vinceret? Cùm sola musca, vel minimum animalculum nos confundere, & atterere possit. Ad hoc probandum pulcherrimum mihi subvenit exemplum, quidam ludendo ingentem amiserat pecuniæ summam, unde blasphemans, contra Deum insurgere cœpit; & à capite ad pedes usque armatus lanceam manu gestans, in campum prodiit: effutire incipiens nullam esse Dei providentiam, seque id armis defendere velle, contra quemcumque resistentem, & reclamantem; nullo autem ad pugnam apparente, insipientem eum æstimantes; ecce musca volando, cassidem penetrans, & aculeo circa oculum pungens, tanto eum dolore affecit, ut lanceam abjicere, & arma deponere coactus fuerit. Nec hoc contenta, eousque eum equumque ejus pungendo persecutus est, ut ex equo descendens, se in terram projecerit, tandemq; divinam potentiam, & providentiam recognoscens debilitatem suam nec muscæ quidem resistere valentem, agnoscere debuit. Talem nos vellem consequentiam formare posse; cumque à creaturis insensatis afflicti, & tribulati essemus, ad minus illos Dei milites, & defensores esse, nobisque debilitatem nostram, & impotentiam exhibere, ac Deo rebelles non esse debere docentes; etenim si cum parvo instrumento nos adeò excruciat, quid efficiet, dum omnipotentiâ suâ adversum nos insurgere cupiet?

In rebus terrenis non confidendum.
3. Docum.

45. Tertium documentum est, quod quandoquidem ab omnibus mundi creaturis undique affligamur, nec in ulla requiem

requiem invenire nequeamus, non confidamus illis; nec in illis spem, & felicitatem nostram constituamus. Populus Samaritanus sub nomine Ephraim reprehensus fuit, quasi stultus, & simplex instar columbæ esset, propter hanc credo rationem, quòd columba in domo vel turri aliqua nidum figens, licèt quotidiè ab incolis injuriâ afficiatur, nunc pulli, nunc ova auferantur, numquam tamen eò venire, & nidum figere desinit

Osee 7. 11. teste Osee Propheta; *Ephraim columba seducta, non habens cor*: id est audaciam, & judicium. Non aliter nos agimus, continuò, inventiones nostræ dissipatæ sunt, afflicti, & derelicti sumus, ac rebus charioribus privati, nec tamen à mundo nos separare novimus, illic semper nidum figimus, illic requiem nostram ac felicitatem constituimus.

Deus permittit nos exteriùs affligi, ut pace interna fruamur.

46. Quando Deus filios Israël de Ægypto liberare voluit, permisit eos malè ab Ægyptiis excipi. Nihilominus in deserto existentes, illuc revertere cupiebant; quid igitur egissent, si illic bene excepti fuissent. Ita Deus permittit, ut in hujus mundi Ægypto ex omni parte tribulationes reperiamus, ut tandem aliquando mundum cum omnibus suis oblectationibus despiciamus, & ad Deum totò corde recurramus. Hoc præclarè noverat Eliphas Themanites ideoque amico suo Job dicebat; *Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.* Job 5. 23. In hunc locum acutè commentatur S. Gregorius Papa, non dici, *Bestiæ terræ, erunt paratæ tibi,* sed *pacificæ*, pacem videlicet tibi procurabunt, inquit enim; *Inde cum Deo pax robustior oritur, unde nobis ab adversariis durior pugna generatur.* In tribulatione ergò pax causatur. In historiis Romanis legitur, frequenter seditionem Romæ ortam fuisse, inter populum & senatum; subitò tamen ac bellum externum contra eos ortum esset seditiones cessabant, ita ut bella extrinseca internam pacem generabant. Pari modo nobiscum agitur, cùm enim bellum vehemens nobis incumbat, quia; *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* ad Gallat. 5. 17. Quid nobis remedii nisi bellum extrinsecum? Optimè hoc novit Deus, ideoque nos extrinsecè tribulari sinit, ut pacem habeamus internam; pacem inter voluntatem, & intellectum; inter corpus & spiritum; quodque magis refert, & unicè expetendum, inter animam & Deum: quod divina majestas piissimâ suâ interventione nobis concedere dignetur. Amen.

DISCVRSVS XXVII.

Vtrum singuli sibi ipsi tribulationis sint causa, & de insigni arte alleviandi, & expellendi proprias afflictiones.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Quomodo extra nos quæramus, quæ intra nos sunt. num. 1. 2. 3.

Nos ipsos persequi non possumus.nu. 4. 5. 6. 7.

Nobis ipsis tribulationem causamus. *à num.* 8. *usque ad* 14.

Quomodo sensus mala nobis adducant? à num. 15. *usque ad* 20.

Quæ damna ex pravis appetitibus? à num. 21. *usque ad* 25.

Quæ damna ab intellectu, & voluntate? à num. 26. *usque ad* 33.

Argumenta contraria refelluntur. à num. 34. *usque ad* 39.

Qualiter tribulationes propriæ expellendæ, & alleviandæ? à num. 40. *usque ad finem.*

Mens humana cæca libidine agitur.

1.  Ens humana vitio peccatorum corrupta, adeò cæca, & veri luminis expers effecta, ut effrenatâ potiùs libidine, quàm rectâ ratione se duci sinat: & sæpissimè extra se longiùs divagando illa ubique quærat, quæ prope, vel intra se reperire posset. Ex quo rursum accidit, non inutilem tantùm & vanum hunc laborem esse; verùm etiam desiderato fini appropinquare se putans, longiùs ab illo recedat; quantoque in quærendo se magis exercet, tantò majores difficultates in reperiendo se offerunt. Hunc nostrum errorem rectè Poëtæ gentiles cognoscere valuerunt, ideoque finxerunt, patrem insignis & dilectę nymphæ Jo, se filiam perdidisse conspiciens, per montes, & valles, per sylvas, camporumque deserta, per notas, ignotasque regiones, frustra illam quæsiisse; cùm licèt aliâ formâ indutam, vicinam haberet. Nec fictè sed verè de gentilibus dixit S. Paulus, quod Deum in cælo, terra, aliisque creaturis quærentes, invenire non poterant, cùm vicinum tamen, & intra se illum haberent. *Quærere Deum, si fortè inveniant eum, aut attrectent.* Ad instar cæcorum ambulantes, qui manus extendentes, palpando reperire

Dum intra nos latentem, extra quærimus.

Act. 17, 27.

Ibid. reperire tentant, quæ oculis videre nequeunt *Quamvis non longè sit ab unoquoque nostrûm, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Similem committebant errorem Judæi tempore Salvatoris, quem ubique, per deserta & invia requirentes, in medio illorum esse non advertebant; *Medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis.* Pariter Saulem à Deo ad populum suum regendum electum, per omnes partes quæsierunt, nec invenire valuerunt, cùm tamen divino consulto oraculo, domi absconditum esse intellexerint. Adeò stolidi & insipientes quandoque sumus, ut quæ intra nos sunt foris ubique quæramus.

Joan, 1, 26.

Sponsa extra se quærebat, qui intùs latebat.

2. In eundem quoque errorem sponsa cælestis incidisse videbatur, dilectum quærens; *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam.* Quâ interrogatione sponsus quasi indignatus sinistrè satis respondit: *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Notandum autem hîc est sponsam loci ignorantiam adferentem, ubi sponsus quiesceret; ipse ignorantiam propriam illi objicit. Quasi diceret, quid me alibi ubique quæris, cùm intra te me habeas? An teipsam ignoras? Pulcherrima es, unde conspectum proprium horrere non debes, sed in speculo, vel fonte, te intuere. Si verò te cognoscas, quomodo locum non cognoscis, ubi requiescam, qui in corde tuo est? Quod si hic me non invenis vade potiùs gregem pascere, non enim cohabitatione meâ digna es.

Cant. 1. 6.

Ibid. 7.

An quisque sibi tribulationis causa?

3. Sed quis ignorat idem fortè nobis non evenisse, ac eumdem nos errorem commisisse? Usque modo tribulationis nostræ causas undequaque perscrutati sumus. In cælo, utrum Deus vel Angeli; in inferno utrum diabolus; utrum stellæ, vel planetæ; si fatum; in Diis gentilibus, si fortuna; in Philosophia, si natura; in Theologia, si peccatum, aut virtus; circa nos ipsos, si vir, aut mulier; in mundo universo, si omnes creaturæ? Sed in nobis, in voluntate nostra, in corde nostro perscrutatíne sumus? Nequaquam, vel parum admodum. Quis certè scire potest, utrum ibi vera origo, & causa præcipua non lateat abscondita? Hodie ergo punctum illud investigemus, & perscrutetur unisquisque utrum tribulationis propriæ causa, sibi ipsi non existat.

Amans non potest offendere.

4. Licèt modò timeam hanc meam interrogationem multis videri vanam, ac superfluam, ne dicam stolidam. Dicere siquidem poterunt, quis sibi ipsi tribulationem asciscere vellet? Ubi tantus amor, & nulla læsio esse

esse potest. Joseph in Ægypto sollicitatus ut injuriam, aut dedecus domino suo inferret, à quo tot beneficiis affectus fuerat; prudenter respondit: *Quomodo possum malum hoc facere?* Amor nudus, & infans depingitur, potentissimus tamen est; sed cur illi scutum, aut loricam non attribuunt? Quia illis non indiget, ubi siquidem amor est, nulla læsio esse potest. Ideoque rectè S. Paulus aiebat: *Plenitudo legis est dilectio,* In amore tota legis adimpletio consistit. Sed nónne alia sunt præcepta, *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies?* Verum est, sed in amore omnia continentur; qui enim amat, impossibile est ut occidat, damna inferat, aut lædat; ubi ergò amor est læsio esse non potest. Quis verò major est amor quàm unusquisque ad seipsum habeat? Omnis alius amor deficere potest, hic nullo modo potest.

Gen. 39.9.

ad Rom. 13.10.

Exod. 20.13

Amor non permittit odium.

5. Magnus ille Atheniensium legislator Solon, unicuique delicto propriam imposuerat pœnam, parricidio excepto, interrogatus autem cur illi nil imposuisset, respondit; se non arbitrari possibile fore, ut quis ei vitam eripiat, à quo illam accepit. Hæc tamen responsio pia potiùs quàm vera fuit; cùm plurimi eò pervenerint, adeoque scelerata conditione prędi ti fuerint, ut impias manus propriis parentibus injicere non dubitaverint. Prudenter ergò alii Legislatores pœnas in eos sanxerunt: nullum siquidem adeò immane scelus, cui auctor non tribuatur, ideoque singulis pœnæ sunt imponendæ. Unicum tamen ab omnibus derelictum reperio, quod nullo fortè remedio vel punitione dignum censuerunt, vel impossibile judicarunt, suiipsius odium & vitæ ereptio. Poterit homo patrem, matrem, uxorem, filios, odio habere, seipsu[m] verò numquam; ideoque nec divinæ, nec humanæ leges, de eo nil statuere decreverunt. Quinimò ab ipsis ut primum principium supponitur. In lege naturæ dicitur; *Diliges proximum tuum sicut te ipsum,* & in lege scripta habetur; *Diliges amicum tuum sicut teipsum;* unde inferre possumus hunc esse majorem amorem. Dicunt Philosophi: *Primum in unoquoque genere est causa cæterorum.* Primum videlicet locum obtinens in aliquo genere, est causa exemplaris, & mensura, quà alia dirigi debent. Ita motus cælorum, quia primus est omnium, mensura aliorum motuum est. Primum quoque tempus à primo mobili causatum, mensura est omnium aliorum temporum. Primus calor qui in igne est, mensura est aliorum. Si proprius igitur amor aliorum mensura est, dicere oportebit, illum

Matt. 22.39

Levit. 19. 18.

Proprius amor perfectissimus.

illum inter omnes alios amores, primum obtinere locum. Si mihi quis objiciat, illum amoris divini mensuram non esse; non enim dicitur: *Diliges Deum tuum sicut teipsum*; Respondeo hoc inde provenire, quia amor divinus omnem excedit mensuram, juxta dictum S. Bernardi; *Modus diligendi Deum, est sine modo.* Proprius ergò amor adeò excellens, & firmiter radicatus, ut nullo modo evelli possit; & tu suspicaberis propriæ tribulationis illum esse causam? Quin imò ut effugiat præstabit quidquid poterit testante S. Propheta Job: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua.* Nec solùm omni vi tribulationes à se repellere nititur; verùm etiam omni industriâ commoditates, & voluptates sibi asciscere procurat; quia, *Omnis homo naturaliter beatus esse cupit.*

S. Bernard, tract. de diligendo Deo.

Job 2. 2.

Nullus potest seipsum persequi.

6. Dico insuper si quoque vellet, non posset; voluntas siquidem nostra palati instar est, quod eo delectatur, quod non solùm in se est bonum, verùm etiam, quod dispositioni ejus proportionatum. Plurimis dulcia insipida sunt, nec placent, sed acerba, & amara delectant, quia tali palati dispositione præditi sunt. Capræ salices placent, quæ nobis amaræ, & insipidæ, unde quidam emblema formans capram salicem comedentem effinxit, hoc dicto addito; *Mihi dulce*: ut se gustu ab aliis differentem exhiberet. Talem dicamus voluntatem nostram esse, non tantum bono, quantum desiderato frui cupiens licèt malum foret; unde de quibusdam Sapiens inquit; *Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Si homo tribulationem sibi procuraret, illi dulcis, & amabilis esset, utpotè ab illo desiderata, & appetitui suo conformis; ac consequenter non tribulatio, sed consolatio foret, & licèt falsa, & amara instar maris esset, ut lac tamen dulcis videretur. *Inundationes maris quasi lac sugent.* Licèt insuper pungentes viderentur spinæ, delicatus tamen lectus apparerent. *Esse sub sentibus delitias computabant.* Licèt ut fel amara esset, palato melle dulcior videretur. Ideo *Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.*

Prov. 2.14.

Deut. 33.19.

Job 30.7.

Prov. 27.7.

Elementa sibi ipsi non gravant.

7. In elementis quoque idem suo modo apparet, unum siquidem elementum licèt gravissimum, sibi ipsi pondus esse non potest; sicut enim in bilance justa, una pars alteri descensum causare non potest; ita cùm unaquæque res à seipsa pondus diversum habere non possit; nec etiam sibi ipsi gravior, aut levior esse potest. Hinc plurimi opinantur, elementa in proprio loco sive centro, non gravare,

vel ponderare. Bene quoque asserunt, intelligendo unam illorum partem alteri gravitatem non causare; non tamen intelligendo illa respectu aliorum gravia non esse. Sicut ergò unum elementum sibi ipsi grave esse non potest; pari modo, nec homo sibi ipsi. Apostolus Paulus hortabatur quidem, nos alios sufferre debere, sed numquam
1. Petr. 4. 9. nos ipsos; *Hospitales invicem*, inquit, *sine murmuratione*: & *Alter*
ad Gal. 6. 2 *alterius onera portate.* Licèt quoque Job conquereretur; *Factus sum mihimetipsi gravis*; non tamen sibi ipsi hoc procuraverat, sed ab aliis illi allatum fuerat, ideo-
Job 7. 20. que dicit *Factus sum*, & non *feci meipsum gravem*. Eodem modo quo ingens portans pondus diceret sibimet grave esse, & nimis magnum se sustinere pondus. Si hoc ita non esset, sequeretur Deum contraria ordinasse, & præcepisse. Legislatores summopere præcavent, ne in lege contraria, aut contradictoria reperiantur. Sed ecce in lege divina, nisi sit sicut ego dico, præcepit Deus ne proximum
Psal. 104. 15 læderemus; *Nolite tangere Christos meos*; ex alia quoque parte, voluit illos ut nosipsos amari;
Matt 22. 39 *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Sed si ego mihi ipsi causa sum tribulationis, & proximum ut meipsum diligere debeam, conqueri non poterit, si à me affligetur, quod est contra prædictum præceptum divinum.

8. His tamen non obstantibus, contrariam opinionem verissimam esse arbitror, præcipuam nimirum tribulationum nostrarum causam, nosipsos esse. *Nobisipsis tribulationis causa sumus.* Probationem certissimam percipite: magnam vim habet insertio; quod enim impossibile videbatur naturâ, possibile redditur per insertionem, quod nimirum arbor primò fructum silvestrem, & inutilem ferens, postmodum utilem, & domesticum producat. Homo ut sæpius intellexisse vos credo, est arbor inversa; naturaliter optimos fructus producens, modò spinis, & infructuosis operibus se plenum videns, quæ erit causa? Non alia quàm insertio quædam; quis illa inseruit? Sibiipsi illa inseruisse dicendum, ramusculo ex cupiditatis arbore accepto. Audite S. Paulum idem mecum affirmantem; *Radix omnium malorum est cupiditas, quam* 1. ad Tim. 6. 10.
quidem appetentes, inseruerunt se doloribus multis. Juvenis ille primò lætus & hilaris, in amorem cujusdam filiæ pulcherrimæ exarsit, illam cordi suo inseruit; & subitò suspirans, afflictus, instar mortui pallescit; effectus vani istius desiderii fuit. Alius propriis bonis commodè sub proprio tecto degebat ambitione stimulante, honorari cupit, & exaltari ad aulam se conferens, plures recipit injurias, &

affli-

afflictiones quàm beneficia; quis causa fuit illum inter suspiciones sinistras ita degere? Insertio illius ramusculi ambitionis. Alius hilariter bonis suis cum amicis fruebatur; unde ab omnibus benignè exceptus & honoratus, illum cupiditas invadit, bona sua augmentandi, & multiplicandi: non dormit, non comedit, non bibit, tota die in hoc laborat. Quid illum exagitat? Importuna avaritiæ insertio.

Insertio cupiditatis hominem transmutat.

9. An videre cupis totū hoc ab insertione provenire? Certam vobis adducam probationem; pulchra est differentia, inter arborem insertam, & non insertam, hæc unam speciem fructus producit, illa verò multas fructuum species; unde in eadem arbore quandoque poma, & pyra cernens, dices subitò, ecce insignis insertionis effectus. Afflictiones quas patimur, diversæ sunt corporis & animæ, paupertatis, infirmitatis, calumniæ & persecutionis, verum ergò est totum ab insertione procedere; *Inseruerunt se doloribus multis.* Exigua est insertio, sed majorem habet virtutem, quàm truncus, quia omnia in naturam suam transformat. Quid minus cogitatiuncula, aut affectu aliquo exiguo? Si tamen cordi nostro inseritur, totum hominem in se convertit, exiguus dolor efficit ne magnum gaudium sentiatur. Dum crevit insertio à naturali trunco vix cognoscitur, & dum passio aliqua excrevit, ab inclinatione naturali vix distinguitur.

ubi suprà.

Tribulationis spinas nobiscum portamus.

10. De sua igitur tribulatione lamentantibus, responderi potest, quod ab Oratore ariditatem, & inelegantiam orationis suæ excusantem dictum fuit; *Necesse est me per spinosum locum ambulantem, suspensos habere pedes*, ad quod auditorum quipiam replicabat; *Non me hercule, tui pedes spinas calcant, sed habent*; non reperis spinas in materia dicendi, aut difficultates, sed tecum affers. Pariter conquerentibus respondere possemus, non spinas vos calcatis sed vobiscum portatis; non sunt membra vestra à rebus externis confixa, sed vosipsi spinas producitis quæ vos configunt. Meritò ergò ait Sapiens: *Iter pigrorum, quasi sepes spinarum; via justorum absque offendiculo,* non illa vel illa via spinis consita, etenim si per illam justus transit, non sentiet spinas; sed impius secum defert quocumque eat, & in domibus ejus orientur teste Isaia: *Orientur in domibus ejus spinæ, & urticæ*: In lecto quoque illum comitabuntur; *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*, non alium ergò, sed seipsum accusare debet. Prov. 15. 19. Isa. 34. 13.

Nostra culpa tribulationes adductæ.

11. Adolescens absque parentum aut amicorum consilio

uxorem ducens, si malè succedat, & in afflictione vitam ducat, quandoquidem cohabitare mulieri nequam, pejus sit quàm cum Dracone commorari cui imputabit? non alteri, quàm sibiipsi. Quæ verò mulier deformior, aut inhumanior morte, hanc tamen homo sibi elegit in sponsam, & amicam. Deus illi vitam, & mortem
Eccli. 15. 18 proposuit; *Ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit dabitur ei*: vita pulchra adolescens jucunda, gratiosa, nobilis, & optimis dotata bonis: mors deformis, vetula, indotata, nuda, ignobilis; quis umquam credidisset, illum primam relicturum, & hanc deformem amplexurum; ita tamen effectum, & tanto in eam amore exarsit, ut illam precaretur, invitaret, dotibus ad se alliceret, & mille ipsi videbantur anni, ut illi conjungeretur, si mihi in hoc non credatis, au-
Sap. 1. 13. dite Sapientem dicentem; *Deus mortem non fecit*; non ipse mortem hunc in mundum introduxit, nec homini desponsavit;
Ibid. 16. *Impii autem, manibus, & verbis accersierunt illam*; sed homines erga seipsos crudeles amorosè
Ibid. invitarunt: *Et æstimantes illam amicam, defluxerunt & sponsiones posuerunt ad illam.* Domum tandem conduxerunt, quam numerosa parentum turba secuta est, dolores nimirum, afflictiones, & tormenta. Si modò ergo conquerantur, non aliis sed sibi imputent.

Fabula de arboribus.

12. Nec sapiens tantùm lumine divino illustratus, verùm etiam gentiles solo naturæ lumine, hanc veritatem cognoverunt, & eleganti discursu eam illustrarunt. Finxerunt arbores consilium iniisse, deque ingentibus à securibus perpessis damnis conquerentes, quæ modò ramos amputabant, modò truncum findebant; inquirebant quomodo huic malo succurrerent, & à crudelissimo inimico se eriperent? quædam illas rumpendas dixit, alia auferendas, & abscondendas, & variæ erant sententiæ: ulmus tandem antiqua suam opinionem proferens, dixit non aliis damna, sed sibiipsis imputanda, manubrium quippe securis ex qua materia est? non ex alia quàm ex ligno, quod à nobis haberi debet. Nulla ergò lignum ad hoc porrigat, & securis scindere non poterit, nosque quietè vivemus. Quid hac fabulâ indicare volebant? Non aliud quàm omne malum à nobis derivari, arbores quippe nos sumus; *Video homines velut arbores ambulantes*; securis autem est tribulatio, & divina castigatio; *Securis ad radicem arboris posita est*, inquit S. Præcursor, sed manubrium ligneum, quis illi tribuit? Non alii quàm nosipsi,

Ex nobis tribulatio provenit.

Marc. 8. 24.

Matt. 3. 10.

con-

consuetudo olim vigebat, ut aliquo ad suspendium condemnato, non publico appenderetur patibulo cùm non exstaret, sed ad domum ejus properabant, indeque ligno aliquo accepto, in illo condemnatum affigebant. Ita hoc clarè testatur

1. Esdræ 6. 11. Esdras, dicens: *Omnis homo, qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & cōfigatur in eo.* De Aman quoque legitur, ipsum appensum fuisse Cruci, quam in domo sua Mardochæo erexerat. Sed quid referebat, de domo sua, vel aliena esse? An regi ligna deesse poterant? Non, sed ut intelligeremus ipsum securi manubrium adjunxisse: & proprii mali causam extitisse. Idem Sa-

Eccli. 7. 1. piens apertè ait: *Noli facere mala, & non te apprehendent*: quasi dicat, noli securim perficere, & non illâ percutieris.

A nobis ipsis maximè timendum.

13. Nulla denique persona est, de qua magis nobis timendum, quàm de nobis ipsis. Inimicos summoperè timere solemus; *Libera me de inimicis meis Deus meus*, cantat Ecclesia in precibus suis. Magis tamen à fictis amicis metuendum; ab inimicis siquidem mihi cavere possum, sed à fictis amicis Deus nos liberare dignetur. Cùm Julio Cæsari dictum esset, ut sibi ab amicis quibusdam caveret, respondit se ita ab amicis, quàm inimicis custodire. Inter fictos quoque amicos illi periculosiores sunt, qui magis sunt intrinseci, sed quis nobis magis intrinsecus, quàm nosipsi? Si quoque malum à nobis provenit, quis ita erit cautus, & prudens, qui custodire se possit? S. Paulus mortem, diabolum, famem, angustias, tribulationes, & principatus ad pugnam provocaverat; de seipso tamen diffidebat, dicebatque; *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quis nimirum me liberabit à meipso, qui instrumentum, & corpus mortis sum? ad Rom. 7. 24.

Nobis ipsis plura damna inferimus.

14. Dico insuper neminem nobis damna inferre, nisi nosipsi. Hoc egregiè aureo suo loquendi modo probavit S. Joannes Chrysostomus particulari tractatu, quem hac de re edidit in quo fusissimè probat, quod nemo læditur nisi à seipso. Idem Gentiles quoque intellexerunt, ideò Socrates capitalis delicti accusatus, liberè judicibus inimicis suis dicebat: *Interficere me Anytus & Melissus possunt*, (erant hi Judices) *nocere mihi non possunt.* Plutarchus insuper in libello de tranquillitate animi, admonet omnes iisdem verbis contra fortunam utendum. Nolo tamen modò probare alios nos non offendere, sed sufficiet ostendere, omnes à seipsis offendi. Dices tamen quibus armis? quomodo? Hoc malum etiam

adauget, hominem nullo instrumento indigere quo se lædat, quàm propriâ personâ, cùm nihil in eo sit, quod huic intento non deserviat. Intellectus, voluntas, memoria, appetitus, sensus ipsi, & loquela; ut verbo dicam, cuncta ad malum prona. A sensibus igitur probare inchoemus.

Sensus malorum nostrorum causa. 15. De turture refertur, quòd proprii mali causa sit, ex suis quippe excrementis viscus formatur, quo capitur. Melius tamen de homine id affirmari potest ratione sensuum. Dæmon continuò nos perscrutatur, & observat, ut devoret: 1. Petr. 5.8. *Circuit quærens quem devoret.* Sed quo instrumento nos capit? Visco ex sensibus nostris confecto; id apertè exemplo Dinæ filiæ Jacob vobis exhibebo; exit illa curiositatis gratiâ domo paternâ, ut videat mulieres regionis illius; obviat illi Sichem filius Hemor loci illius princeps, qui illâ conspectâ tali affectu subitò adhæsit, ut seipsum, omnesque subditos in ultimam adduxerit ruinam. Sic illud refert Sacer textus; Gen. 34.3. *Quam cùm vidisset Sichem, filius Hemor, adamavit eam, & conglutinata est anima ejus cum ea.* Nota illud *conglutinata est*: per oculos ita cor affixum remansit, ut ampliùs divelli non potuerit, oculi ergò viscus erant, quo cor & animus amato objecto conglutinabatur. Clariùs idem in Holoferne patet, de quo sacra scriptura refert, quod videns Judith; *Captus est in oculis suis.* Judith 16.17. Non in oculis Judith captus est, sed in propriis. Non mirum ergò si dicat Propheta Baruch: *Agglutinata sunt nobis mala*; Baruch 3.4. quia sensus nostri ut visco omnia attrahunt.

16. Nec sine mysterio de oculis suis conquerendo dixit Propheta regius: *Anticipaverunt vigilias oculi mei.* Psal. 76.5. *Oculi sunt viscus quo capimur.* Non sufficiebat dicere prævenerunt solem, vel Auroram, quod melius intellectum foret; sed dixit *vigilias* quod intellectu difficile. Quid enim aliud significat vigilia quàm privatio somni? Quis verò ignorat primò nos à somno exsurgere, & postmodum aperire oculos? Oculi ergò sequuntur vigiliam, & non præveniunt; licet quoque prævenire vellent, non possunt; non enim sunt aperti, nec vident dormiendo. De quibus ergò oculis David loquitur? qui præveniunt vigilias, & consequenter videbant, dormiendo? Respondent aliqui hoc loquendi modo Prophetam manifestare voluisse, dexteritatem aliquam, & promptitudinem oculorum suorum quasi inadvertenter antequam evigilaret aperti fuissent. Eo modo prout dicere solemus alicui, antequam loquaris scio quid dicere velis, & jam intellexi. Alii melius has vigilias explicant,

plicant, de militibus in nocturnis vigiliis excubantibus, & civitatem vigilando circumeuntibus: de quibus sponsa in Canticis: *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.* Ad has quoque Salvator respexit dicens: *Si in secunda vigilia & in tertia vigilia venerit:* in secunda nimirum vel tertia mutatione militum; quatuor nempe vicibus de nocte milites mutabant; tempus autem quod à prima ad secundam mutationem erat, vocabatur prima vigilia; quod à secunda ad tertiam, secunda vigilia; quod à tertia ad quartam, tertia vigilia; quod verò à quarta ad diem usque, quarta vigilia. Salvator tamen nullam mentionem primæ vel quartæ vigiliæ fecit; cùm enim illæ sint principium, & finis noctis, non mirum si aliqui tunc vigilent. Sed quod in secunda & tertia quæ media nocte veniunt, aliquis vigilet, hoc æstimandum. Pari modo facillimum præsupponebat, hominem in pueritia, & senectute mori paratum, quod primæ & ultimæ vigiliæ correspondet: in illa conscientiam peccatis aggravatam non habet, in hac verò quia pœnitentiâ præterita delevit, & mortem continuò præstolatur. Hos ergò milites de nocte surgentes, & excubantes vigilias vocat, dicitque se diligentiorem illis esse in vigilando; qui sensus litteralis rectè explicatur.

Cant. 3. 3.

Luc. 12. 38.

Quid per vigilias intelligitur.

17. Moralis tamen sensus melior est, nobisque convenientior; quo David nos docet, duobus modis oculos operationes suas exercere; primò modo antequam evigilemus, secundo modo non dormiendo sed vigilando; in illo dormiendo videmus, dum ratione præ negligentia mortifero somno sopitâ, sine fræno discurrunt, & vident, quæ videre non debebent: tunc dicuntur *anticipare vigilias*; præveniunt siquidem rationis usum, & discursum. Altero modo lumine divinæ gratiæ illustrati, & naturali ratione directi; illa conspiciunt, quæ debent, & quomodo debent: tuncque vigilando vident. Si enim per vigilantiam Salvator nil aliud intelligeret, quàm carentiam somni materialis, non adeò instanter illam nobis commendasset, nec beatum illum vocaret servum vigilantem; corporeâ siquidem vigilantiâ multa committi possunt peccata, castigatione digna, quæ hominem miserum, & infelicem reddere possunt.

Quomodo oculi dormiendo vigilant?

18. Clariùs hi duo videndi modi, in primis nostris parentibus apparent. Licèt enim ante comestionem pomi vetiti, rectè viderent; post comestionem tamen, & peccati commissionem dicitur; *Aperti sunt oculi amborum*, incipiebant nimirum videre;

Gen. 3. 7.

dere, prout oportebat. Sed si modò aperti fuerunt, anteáne clausi erant? Si verò clausi quomodo pomum videre potuerunt, quod comestum tanta mala attulit? Viderunt quidem, sed oculis & ratione somno oppressis; non enim considerabant quantum malum comedendo illud committebant. Postmodum verò; *Aperti sunt oculi amborum*, & videndo clarè mala perpetrata, verecundiâ, & pudore suffisi fuerunt. Ad hanc videndi distinctionem, allusisse videtur S. Ambrosius dicens: *Videat oculus, & suo fungatur munere, non lubricæ mentis imperio dirigatur, ad lapsum, & vitium referat pro officio.* S. Jeronymus quoque locum illum Apostoli explicans; *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*: hoc præceptum ad oculum retulit dicens: *Vt oculus qui ante videbat ad concupiscendum, nunc videat ad vestiendum pauperem*: quasi diceret, quod primò videbat dormiendo, modò discusso somno, vigilando videre deberet.

S. Ambros. lib. de fuga sæculi c. 4.

ad Rom. 6. 19.

Oculus major inimicus.

19. Cur ergò oculis quasi dormientibus videndo, plurima sequuntur mala? David lamentabatur dicens: *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus*: non expectaverunt oculi mei, ut à ratione excitarentur, & luce divinæ gratiæ illustrarentur, quam per Angelicos spiritus animam meam custodientes & vigilantes recipere soleo; ideóque tanta mentis turbatio mihi obvenit, ut verbis explicare non possim. S. Jeronymus hanc explicationem mirabiliter fovet, quia hunc locum Davidicum ita transtulit; *Anticipaverunt vigilias omnes inimici mei*; non enim majores habemus inimicos quàm oculos nostros, qui ut modò diximus, etiam dormiendo, se exercitio suo impendunt. Hoc optimè intellexit, B. Petrus Clarævallensis Abbas, monoculus dictus; qui cùm infirmitate oculum amiserat, dixit, ab uno inimico meo liberatus sum; plus autem me terret remanens quàm perditio alterius. S. Antonius Abbas Didymum consolans, cæcum effectum, sed in scripturis summè versatum, dixit: *Multò melius est spiritu videre, quàm carne, & illos oculos possidere, in quos festuca peccati non possit incidere, quàm illos qui solo visu per concupiscentiam possunt homines in interitum gehennæ mittere.* Philosophi quoque magna ex parte damna oculorum perceperunt, de quibus aliqui, ut meliùs contemplationi vacare possint, sibiipsi eruerunt. Multò tamen melius damna illorum penetrarunt, & remedia adhibuerunt aliqui sancti, qui à Deo precibus

Psal. 76. 5.

bus cæcitatem impetraverunt: ut inter alios S. Audomarus, & S. Aquilinus fecisse leguntur.

Sensus fratres, & inimici sunt animæ.

20. Non tamen illi soli nostri inimici sunt, sed idē de omnibus sensibus dici potest, de quibus sponsa in Canticis aiebat: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Qui enim sunt fratres animæ, nisi sensus uno partu cum anima in conceptione hominis editi; sed à diverso patre, cùm illa à Deo sit, & sensus corporei ab homine? Illi ergò qui adjuvare, & servire animæ deberent, illi rebellant, & in servitutem redigentes miserabiliter torquent; ita ut in vinea illorum secum laborare cogant, procurando nimirum bona delectabilia, ipsisque placentia, vineam autem boni honesti, animæ propriam derelinquere cogunt. Quis verò declarare poterit, tribulationes, dolores, angustias, aliaque mala à sensibus nostris provenientia, maximè verò à gustu? *Vnde podagræ*, inquit Chrysostomus, *unde capitis dolores? Vnde corruptorum humorum abundantia? Vnde innumeri alii morbi? Nónne ex intemperantia?* S. Jeronymus quoque auctoritate Galeni idem affirmat, & Philo Hebræus exemplo Cai Imperatoris idem declarat dicens: quod antequam Imperator esset, illum sanum & robustum fuisse, quia parcè vivebat, sed imperio adepto, & gulæ deditus, variis morbis & gravibus infirmitatibus divexatus fuit. Nec morbi tantùm, verùm etiam repentinæ mortes, hinc derivantur ut Poëta Latinus testatur:

Cant. 1.5.

S. Chrysost. Homil. 10. in Gen.

S. Jeron. lib. 2. advers. Jovinia.

Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.

21. De animi porrò virtutibus loqui, non opus est, omnes siquidem à crapula & intemperantia destruuntur, ut notat S. Gregorius Papa, quod Nabuzardan Coquorum princeps, muros Jerusalem destruxit: *Princeps Coquorum*, inquit, *venter est, cui magna cura obsequium à Coquis impenditur, muri autem Ierusalem, virtutes sunt animæ, ad desiderium supernæ patriæ elevatæ. Coquorum igitur princeps, muros Ierusalem dejicit, quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.* Cùm autem hic Sanctus mentionem luxuriæ faciat; quis ignorat quot mala, quot bella, quot mortes, quot ruinæ, & desolationes, non civitatum tantùm, sed regionum & provinciarum, ab hac plaga provenerint? Diluvium universale, incendium Sodomæ, & Gomorrhæ, destructio Trojæ, occisio integræ quasi tribus Benjamin, interceptio Hispaniæ per Mauros, aliaque infinita mala ab hac vitiata radice prodierunt. Nec alii insuper malo

S. Gregor. 3. part. Pastoral. admonit. 20.

Luxuria præcipua malorum causa.

puto incendium universale mundi attribuendum ante ultimum diem judicii quam huic, Salvator noster adventum suum
Matt.24.37 diluvio assimulans dicit : *Sicut factum est in diebus Noë, ita erit in diebus filii hominis. Edebant, & bibebant, & uxores ducebant, & venit diluvium, & perdidit omnes.* Licèt quippe præcipua Salvatoris intentio hoc loco sit docere finẽ mundi inopinatè adfuturum, quando minus homines cogitabunt, ut in diluvio advenit; radix tamen tantæ insipientiæ detegitur, quod tot signa judicium universale præcedentia conspicientes, non tamen se emendare studebunt, sed crapula, & libido, ut in diebus Noë vigebit; intendebant siquidem comessationibus, & nuptiis, non advertentes Noë fabricæ Arcæ continuò intentum. Quia insuper propter peccata illorum, luxuriæ potissimùm, & libidinis, debebat diluvium inundare, Salvator similitudinem inter diluvium & finem mundi assignans; relinquit nobis alias causas indagare, inter quas utriusque potissima causa libido est. Idem deduci potest ex altero exemplo Sodomæ, & Gomorrhæ, quod Salvator eodem loco adducit, prout etiã Theophylactus in hunc locum S. Lucæ advertisse videtur, dicens: *Insinuatur per exempla diluvii, & Sodomitici incendii, quod cùm venerit Anti-Christus illicitæ voluptates in hominibus increscent, & dissoluti erunt delitiis vacantes.*

22. Quid de effrænatis appetitibus, & passionibus dicam? De Acteone venatore fingunt Poëtæ illum venando in cervum mutatum, & à canibus suis laceratum. Licet autem hoc fabulosum sit, nimis tamen verum est, quod sub velamine ejus contegitur; dum nimirum ad venationem objectorum amatorum procedimus, passiones nostræ, & appetitus qui canes venatici sunt, contra nos se vertunt, & insurgunt, & propter inflammata desideria quasi cervi sitibundi effecti, in mille partes nos lacerant. Hoc S. Petrus clarè nos edocet dicens: *Fratres, obsecro vos, abstinere à carnalibus desideriis quæ militant adversus animam.* Ecce quomodo in animam insurgentes, illam oppugnant, eamque vincentes in plurimas partes discerpunt. Dices tamen nónne omnia illa ad delicias conquirendas directa? Quomodo ergò dolores, & tormenta causant? Si quis vobis diceret gravitatem lapidis causam ascensus illius esse, & propensionem quam versus centrum habet illum violenter versus cælum impellere, nónne mirum & extraneum videretur? Certè ita, verissimum tamen est, tantum siquidem impetum à gravi-

Quædam-na ex pravis appetitibus?

1. Petr.2.11

Quomodo deliciæ dolores causant?

gravitate descensus acquirit, ut rei duræ impingens, in altum resultet. Sed quæ causa istius resultus? Gravitas, sed illa nónne causa descensus? Omninò; sed tanto movetur impetu, ut oppositionem duriorem reperiens, in se impetum illum reflectat, & in altum resilire cogatur. Pari modo dicendum est passionibus & appetitibus nostris evenire, deliciis quippe & voluptatibus inclinati, tanto impetu moventur, ut impedimentum reperientes resultent, & in contrariam partem se reflectant, ac causæ dolorum & afflictionum fiant. Hoc Rachel experta, quæ ardenti liberorum desiderio inflammata, dixit marito suo; *Da mihi liberos alioquin moriar.* Quasi diceret, tanto impetu movet me appetitus generandi filios, ut si quidpiam reperiat impedimenti, resiliet & morte me afficiet. Universaliter quoque Salomon dicit: *Extrema gaudii luctus occupat*; quasi diceret, lætitia non rectè motum suum peragit, nam in fine resultat, & tristitiam causat. S. Paulus idcircò nos prudenter admonet dicens; *Desideria carnis non perficietis*: quasi diceret, impetum carnis vestræ retinete, alioquin causa majoris mali erit.

Gen. 30. 1.

Prov. 14. 13

ad Gal. 5. 16.

Quæ damna ab appetitu irascibili?

23. Quod si à nostro appetitu concupiscibili, qui natura dulcis est & pro objecto bonum aliquod habet, tot dolores, & afflictiones proveniant: quid ab appetitu irascibili expectandum, qui pro objecto malum habet, & ex natura crudelis, acerbus, & dolorosus est? unde ab Apostolo radix amaritudinis vocatus, his verbis: *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.* Quantò certè majus est damnum quod iracundus inimico inferre cogitat, tantò majus est vulnus, quod sibiipsi causat. David inimicos suos prudenter arcui curvo, & fallaci assimulabat dicens: *Conversi sunt in arcum pravum*: & S. Jeronymus rationem reddens ait: *Arcus pravus est, qui dum contra inimicos sagittas putatur jacere, sauciat tenentem.* Tales sunt iracundi, qui proximo nocere credentes, sibiipsi damna inferunt. Alibi quoque S. Jeronymus idem de invidia, & odio asserit: *Suum rodit auctorem, & dum æmulum lædere nititur, in se ipsum proprio furore bacchatur.* S. Joannes Chrysostomus sæpius hoc argumentum assumit particulariter homilia 15. in Actus Apostolorum dicens: *Qui contumeliâ afficitur non patitur, sed qui contumeliâ afficit.* Idem auctoritate Philosophorum approbatur qui affectus iræ, & vindictæ passiones appellant, non actiones; illi quippe in quibus reperiuntur, potiùs patiuntur quàm operantur in alios.

Hebr. 12. 15

Psal. 77. 57.

S. Jeron. epist. 27. ad Eustach.

ſuntque tormenta magis, quàm tortores.

Mali bonis perſequendo inſerviunt. 24. Ut mihi videtur, poſſunt hi aſſimulari Clibano in quo panes coquuntur; ſicut enim hic repletur igne, ut panis coquatur, ſed nullum pani damnum infert; imò ſapidiorem & pulchriorem reddit, & ipſe ſordidus & denigratus remanet; ita iſti indignationis igne pleni, animas ſuas denigrant, & ſibiipſi damna inferunt; juſtis autem quos perſequuntur, non parum utilitatis afferunt, & ornamenti. Hac ſimilitudine S. Auguſtinus uſus eſt dicens: *Mali ſerviunt bonis, non obſequendo, ſed perſequendo, quomodo perſecutores martyribus: quomodo limæ auro, quomodo molæ tritico, quomodo panibus fornalia, ut illi coquantur, hæc conſumantur.* Pſalmiſta quoque idem diu antè affirmavit, dicens: *Pones eos ut clibanum ignis.* Si alicui quoque damnum inferunt; multò majus ſibiipſis cauſant. Apis quempiam aculeo pungens, plus ſibi, quàm aliis nocet, cùm relinquendo aculeum, vitam quoque amittat: teſtante Poëta Virgilio.

S. Auguſt. ſerm. 78. de tempor.

Pſal. 20, 10

—— Spicula cæca relinquunt,
Affixa in venis, animaſque in vulnere ponunt.

Meritò quoque ſub nomine Apum perſecutores Salvatoris, in verbis Pſalmiſtæ expreſſi ſunt: *Circumdederunt me ſicut Apes.* Caſſiodorus hujus rei rationem reddens ait: *Sicut Apes pungendo ſe eviſcerant, ita Iudæi Chriſtum occidendo perierunt.*

Pſal. 117. 12.

Maledicus ſibi ipſi nocet. 25. Ut verum tamen dicam, non ſummoperè mirum, quod aliquis quærens Deum, aut proximum offendere, ſibi ipſi noceat: ſed maximâ admiratione dignum, quod quis maledicendo diabolo capitali inimico Dei, graviſſimis æterniſque pœnis digno, majus ſibi damnum impatientiâ ſuâ inferat, quàm ipſi diabolo. Id apertè teſtatur Sapiens: *Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipſe animam ſuam.* Non ſolùm quia diabolo in malitia ſimilis, verùm etiam per impatientiam maledicendo ut ſæpius accidere ſolet, ob nimiam iram, ſibi ipſis malefaciant, & per indignationem conſcientiam maculant. S. Judas Thadæus notat quod S. Michaele cum diabolo contendente pro corpore Moyſe; *Non eſt auſus inferre judicium blaſphemiæ, ſed dixit imperet tibi Dominus.* Communiſſima denique ſententia eſt, in ſacra ſcriptura, iracundos alios lædere volentes, ſeipſos offendere; clarè hoc oſtendit Pſalmiſta dicens: *In laqueo iſto quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.* Idemque ait: *Gladius eorum, intret in corda ipſorum.* Sapiens quoque idipſum affirmat; *Qui fodit foveam, incidet in eam, & qui volvit lapidem, revertetur ad eum. Qui diſſi-*

Eccli. 21. 30

Epiſt. Judæ 9.

Pſal. 9. 16.

Pſal. 36. 15.

Prov. 26. 27

pat sepem, mordebit eum coluber,
Ecclef.10.8 inquit Ecclesiastes. *Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet,* &. *Qui statuit lapidem proximo, offendet in eo.* Et alibi sæpius.
Eccli. 27. 28.

Quæ mala ab intellectu? 26. Si dicamus quoque ab intellectu omnia nostra mala provenire, non malè dictum arbitror: auferas siquidem ab aliquo intellectum, subitò lætus, & ab omni mala cogitatione alienus efficietur. *Cor stultorum ubi lætitia*, dixit Sapiens: *Risus abundat in ore stultorum*, juxta commune Proverbium; *Qui addit scientiam, addit laborem*, dixit omnium sapientissimus. De stulto sapiente effecto dicitur quod sibi ipsi maximè fuisset offensus, quia cum stultitia omnem felicitatem ablegarat. Nulla pejor in mundo vita, quàm zelotypi, ita ut infernalis pœna videatur, juxta dictum Cantici; *Dura sicut infernus æmulatio.* In testamento veteri ubi securus virginitatis portus ignorabatur, Deus semper ad miracula promptus erat, ut personis adeò afflictis subveniret. Etenim si quispiam zelotypus de uxoris fidelitate certificari volebat, ipsam ad Sacerdotem ducebat; cui quadam aquâ conjuratâ porrectâ, & ab ipsa epotatâ, cognoscebatur si marito fidelis esset an non; si fidelis nullum ipsi nocumentum adferebat, si non, ventrem adeò inflabat, ut mori illam cogeret, quod sine miraculo esse non poterat. Quid autem sibi vult Deum idem non exhibuisse miraculum, in suspicione latronis, furis, aut sacrilegi? Respondeo, quantumvis hæc enormia essent peccata, non tantam tamen proximo afferebant pœnam, ut necesse fuerit, Deum patrare miracula, ad consolationem ejus; alium autem in zelotypia degere, nimia erat afflictio, & species inferni. Deus insuper nolebat, ut altero vivente, & cœlum sibi conquirere volenti, pœna infernalis illi inflicta fuisset. Affirmat S. Augustinus tales, licèt uxores falsò accusassent, non tamen mortis sententiam subiisse, ut calumniatores; vel quia putabant, majorem morte pœnam esse cohabitare uxori, quam falsò accusaverant; vel quia zelotypiam tantum esse malum credebant, ut aliqua ex parte hominem illum excusare possent, qui ut tantam afflictionem effugeret, propriam uxorem in mortis periculum adduxerat. Pari modo leges civiles non condemnant maritum, uxorem suam in adulterio repertam occidentem.

Ecclef.7.3.
Ecclef.1.18
Cant. 8. 6.
Zelotypia ingens malum.

27. Quid modò putatis esse hominem industrium, & excellenti ingenio præditum? non aliud quàm zelosum, & zelotypum; plura sciens, plura cogitat, plura suspicatur, plura metuit, *Ingeniosus zelotypus est.*

metuit, easdem afflictiones patitur zelosus. Non mea hæc inventio, sed sapientis per spiritum S. loquentis: *Zelus*, inquit, *& iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus.* (Eccli. 30. 26.) Eumdem nempe effectum idemque malum homini causat cogitatio, & zelotypia iracundiæ & indignationi conjuncta, sicque una & altera mortem infert; si enim zelotypia mater timoris, & cogitationum dicitur; *Cogitationes mortalium timidæ*, (Sap. 9. 14.) zelosus continuò suspicatur insidias; & de cogitabundo S. Job ait; *Cùm pax sit, semper insidias suspicatur.* (Iob 15, 21.) Si zelosus Tantali instar non fruitur amato & vicino bono; sic Sapiens quantumvis plurima sciat, non tamen videtur amatâ frui scientiâ, sed semper se plura ignorare cogitat; unde sapientissimus omnium dicebat, *Stultissimus sum virorum*; (Prov. 30. 2.) alius insuper inter gentiles ob sapientiam plurimum celebratus profitebatur se nil scire: *Hoc unum scio, quod nihil scio.*

Intellectus multiplicat mala.

28. Dico insuper minimam displicentiam, aut tribulationem, ab intellectu nostro maximam æstimari. Numquam advertistis, quid in aqua agatur? Lapillus in eam injectus quantumvis minimus, illam movet, & movetur, ad fundum verò descendens, cùm requiescere deberet, gyrando, ac circulos uno altero majore perficiendo, ad littus se sistit. Pari modo nobis evenit, omnes ut aqua instabiles sumus; *Omnes quasi aquæ dilabimur*, (2. Reg. 14. 14.) si injuriâ, aut damno affecti, subitò hoc transit; sed quid agitur? Intellectus noster dum quiescere deberet, considerationes supra illa multiplicat, & amplificat mala, multò majora reddens, quàm in se fuerint. Nunc nobis exhibet dicens: quomodo potuit talis me tantâ injuriâ & dedecore afficere, qui talem mereor honorem? Ecce gyrus unus, & turbatio; nónne plurima illi beneficia contuli? Ecce alia turbatio; Quid esset sine me, nónne utilitatem suam agnoscit? Ecce alia turbatio; nec dicere potest casu aut inadvertenter factum; ecce altera turbatio; sicque se multoties conturbat, & dolores multiplicat. Audite Sapientem idipsum mecum affirmantem; *Vir in multis expertus, cogitabit multa; qui non est expertus, pauca recognoscit, qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam.* (Eccli. 34. 10.) Tribulationes nempe & afflictiones, nam in hoc significato sæpè accipitur *malitia*, prout in illo dicto Salvatoris; *Sufficit diei malitia sua*, (Matt. 6. 34.) sua calamitas, seu tribulatio. Hæc ergo ita multiplicat intellectus & offensiones amplificat, ut mare videantur, & de eis dici possit; *Magna est velut mare contritio tua.* (Thren. 2. 13)

Idem

Idem Salomon rectè intellige- Eccles. 1. 18 bat dicens: *Qui addit scientiam, addit & laborem.* Sic Saul audiens Davidem à puellis lauda- 1. Reg. 18. 7 ri; *Percussit Saul mille, & David decem millia*, quod parvi æstimandum erat, consideratione suâ tantopere amplificavit, totque inde traxit consequentias, ut de regno metuere inciperet: Ibid. *Quid ei superest nisi solum regnum*: Sed quis umquam vidit inermes, & simplices puellas, regnum ab uno abstulisse, & alteri tribuisse? Quomodo Saul sic argumentatur Davidi regnum tribuendum? Fuit ingens considerationis circulus, & turbatio intellectus, juxta magnitudinem sui status.

Memoria tribulationes multiplicat. 29. Filia aut soror intellectus, memoria est, quæ sicut intellectus tribulationes homini multiplicat. Sed quomodo? Diversa accidunt homini, quædam delectant, quædam displicent. Quid illa facit? delectationum subitò obliviscitur, sed injuriarum semper reminiscitur. Est instar cribri granum purgantis, à quo granum purgatum aufertur, & pulvere plenum relinquitur. Hac similitudine Sapiens Eccli. 27. 5. quoque utitur dicens: *Sicut in percussura cribri remanet pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius.* Patriarcha Jacob de ætate suâ Gen. 47. 9. interrogatus, respondit: *Dies peregrinationis meæ parvi & mali*; sed quomodo mali, id est afflictionibus pleni? Nónne magna tibi exultatio videre cælum apertum, à Deo, & maximè ab Angelo fuisse benedictum? nuptias cum dilecta Rachele celebrasse? Filiis & divitiis te taliter vidisse dotatum? Quomodo di[illegible]rum bonorum non meministi? non hoc mirandum, memoria instar cribri est, bonorum citò oblita, malorum tantum reminiscens.

30. Ab intellectu ad voluntatis considerationem pergamus; *Voluntas insatiabilis.* quis mala à voluntate provenientia considerare poterit? Si inferni pœna ab illa proveniat, teste S. Bernardo: *Cesset propria voluntas, & non erit infernus*? In hac vita nostra; nullus insipientior, aut stolidior, nostrâ voluntate; nec pœna crudelior, quàm quæ ab illa proveniat. In hoc nobis evenire videtur, sicut Racheli evenit, quæ consumebatur amore procreandi liberos, unde marito suo dixit: *Da mihi liberos alioquin* Gen. 30. 1. *moriar.* Sed quid inde secutum? Filium insignem peperit Josephum nomine, quod incrementum significat; dixitque: *Addat* Gen. 30. 24. *mihi Dominus filium alterum.* Partus dolores non sufficiebant, ut ardens filiorum desiderium reprimerent, non præsens lætitia videndo se matrem; quin subitò desiderio alium habendi inflammata fuerit. Non aliter nobis accidere credo; vix uno beneficio

neficio potiti, illo non contenti, aliud jam expetimus. Ambitiosus uno adepto honore, alium inquirit; avarus uno lucro acquisito, pro alio laborat; nec quisquam sua sorte contentus.

31. Sed quid tanto desiderio accidit? Quod Racheli evenit. Parturit Rachel secundum filium, quomodo illum vocat? *Benoni, filius nempe doloris mei*: videbatur dicere debuisse, filius desiderii mei, cùm adeò illum expetierat, sed illo obtento non desiderii sed doloris memor fuit, ex quo mortem consecuta est. Pari modo nobis evenit, cùm aliquid summopere desideratum obtinemus, lætitiam desiderio conformem concipere deberemus, sed contrarium sæpè accidit; loco gaudii, dolores sentimus; sicque objectum adeò speratum, filius doloris dicitur. Desiderium quod sæpè ad mala impellit, pœnam pariter infligit: Nec pejus animæ accidere potest, quàm in prædam suarum cupiditatum tradi. Hoc verum esse probari clarè potest; maximum est idololatriæ peccatum, quali pœnâ Deus illud castigare solet? Hominem proprio desiderio tradendo, & concupiscentiis relinquendo. Ita S. Paulus de idololatris scribit; *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Nota *propter quod*, quia erant idololatræ, & rebelles, effecit illos habere, quantum volebant, & quod illis videbatur esse summa felicitas, in magnam pœnam, conversum est.

Gen. 35.18. *Propriam sibi acquirit pœnam.*

Rom. 1.24.

32. Quilibet ergò afflictus, ni fallor, sibi appropriare potest hoc emblema, à paupere & infelice confectum, in quo capsula igniarii; in qua ferrum, silex, & esca igni destinata posita, hoc addito dicto; *Heu ex me prodiit*, quasi diceret, ex flammis à me accensis prodiit mea combustio. Ego principium incendii dedi, quod me ad miserum deduxit finem; intra viscera mea, hunc crudelem nutrivi inimicum, qui me consumit, & devorat. Vel aliud illud excellentis ingenii; in quo sub vase aquâ pleno flammæ videbantur, quæ aquam calore suo ebullire cogebant, ac causæ erant, quod aqua effervens extra vas effusa flammas extingueret, hoc dicto subjuncto, *Proprii mali, causa existo.* Emblematis hujus auctor fortè ad ollam ebullientem respexit, significans punitionem, & flagellum civitati Jerosolymitanæ imminens, à Jeremia Propheta prædictum, cùm sicut nos legimus. *Ollam succensam ego video*, ex Hebræo *ollam ebullientem* transferre poterat. Ab illo quoque igne ebullire credo, de quo idem Propheta ait: *Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem.*

Proprii mali unusquisque causa.

Ierem. 1.13.

Ierem. 7.18

Ex

Ex peccatis videlicet ipsorum.

Non conquerendum, sed miserendum. 33. De quo ergò cōquerimini ô afflicti, si vobis ipsis omnis tribulationis sitis occasio? Unde remedia, aut consolationem malorum vestrorum quæritis; si totum à vobis dependeat? Quid vobis dicere possum, nisi exhortari, ut vestri misereamini. Dicam ergò cum Sapiente; *Miserere animæ tuæ placens Deo*; noli permittere sensus tuos viscum esse tenacem, ut illaqueent te. Noli affectuum tuorum canes solvere, ne contra te insurgant, teque dilacerent. Noli cogitationibus tuis multiplicare ærumnas tuas: nec memoriam crebri instar habeas, in qua indignationis, & iræ pulvis solùm remaneat; nec tandem propriâ voluntate te damnari sinas. (Eccli. 30, 24.)

SECVNDA PARS.

Qualiter nos ipsos oportet amare? 34. A Deò sumus proprii amatores, & mala nostra excusare assueti, ut quantumvis rationes adductæ sint validissimæ, nos ipsos nimirum tribulationum nostrarum causas esse: non tamen id omnes confiteri vellent, sed potiùs rationibus in contrarium adductis inniti cuperent, ideoque ad solvendum illas nos accingemus. Quid dicebatur ergò in prima ratione; amantem lædere non posse, nec hominem seipsum summè amantem, sibi tanti mali causam non posse asciscere? Respondeo seipsum sanctè, & rationabiliter amans, nullum potest sibi malum inferre; ab amore tamen irregulato, & vano, omne malum profluit. De illo Apostolus loquens aiebat: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Diversæ ergò sunt species amoris, particulariter autem concupiscentiæ, & amicitiæ; ille pro objecto habet delectationem propriam, hic verò bonum amici. De illo dici potest, Lupum etiam amare pecus, amat enim ut sibi bonum & comestibile; talis est amor mundanorum, qui potiùs odium dici potest; de hoc aiebat Apostolus radicem omnium malorum esse. Amor amicitiæ, ut plurimum bonus est, verùm etiam malus esse potest, quando non observatur debitus modus, & ordo, ut dum ne amicum offendam, Deum potiùs offendo; ab hoc quoque damna, & offensiones procedere possunt, licèt sit extra intentionem amici. Qualis ergò est amor, quem homo erga seipsum gerit? Non omnis ejusdem speciei, & mensuræ, sed supra omnes irregularis, & periculosior. (1. ad Tim. 6. 10.) (*Duplex amor.*)

Amor proprius ventus turbinis. 35. Qui mare navigarunt, sciunt nullum periculosiorem ventum, quàm turbinem esse qui navem undique invertit; alii siquidem venti, vel prosperi in puppim flabunt, vel adversi proram adorientur, & progres-

ſum impedient, vel à latere inſurgentes navem conquaſſabunt. Dum autem turbo inſurgit, navem circumagendo, in profundum demergit. Ventus animam noſtram dirigens, ventus amoris eſt; ideo tertia in Trinitate perſona, qui amor eſt, ſpiritus, id eſt ventus vocatur. Ventus proſper, eſt amor divinus, directè nos ad portum dirigens: ventus adverſus amor rerum terrenarum, progreſſum in cælum impediens. Ventus lateralis, amor proximi, quo deflectendo, & conquaſſando procedimus: dum verò non nimiùm deflectimus, iter ſecurum eſt. Sed quis ventus turbinis? Amor proprius, quia gyrum quaſi perficit, redeundo, unde exierit, & hic omnium periculoſiſſimus. Ecce S. Paulus nauclerus expertiſſimus; qui cælum intuens, ingentem prædicit tempeſtatem; *Inſtabunt*, inquit, *tempora periculoſa*; tempeſtates nempe perſecutionum, fulgura caſtigationum; ingentes tribulationum fluctus; quid poſtea: *Erunt homines ſeipſos amantes*: erit ventus turbo, quo nullus periculoſior hoc in mundi pelago navigantibus. Ampliùs dico quod ſit amor concupiſcentiæ, qui non aliud quàm voluptates, & delicias attendit; fortiſſimus inſuper eſt, unde nil aliud quàm ruina, & interitus expectandus. Seneca licèt fidei

2. ad Tim. 3. 1.

Amor proprius amor concupiſcentia.

lumine orbatus, mala ab amore proprio provenientia, optimè cognoſcere videbatur, dū dixit: *Si vis eſſe felix, Deos roga, ne quid tibi ex his quæ optantur eveniant*: ratio autem hujus dicti eſt; quia hæc deſideria ſunt amoris proprii filii, cùm ex ipſo proveniāt.

Seneca epiſtola 31.

36. Quid dicitis, nullum legiſlatorem circa odium aut amorem ſuiipſius legem tuliſſe? Quin imò dico ego omnes leges circa hoc verſantur; illud enim præceptum; *Non concupiſces*, toties in decalogo replicatum, quid aliud agit, quàm frenum feroci amori proprio injiciens? Imò circa odium ſuiipſius legem ſanxerunt, ut ſeipſum interficiens, ſepulturâ indignus judicetur. Quid dicitis, hominem ſibi ſemper delicias quærere? Propter hoc rectè ſibi dolores infert; qui mel comedere delectatur, quandoque tantum comedit, ut ſtomachum conturbans, illi nauſeam pareat, & reddere cogatur, quantum primò acceperat. Tales ſunt mundi delitiæ, ut mel dulces, ſed cave ne nimiùm arripias, dolores ſiquidem tibi afferent; & multo cum labore reddere cogent, quod ſuperfluâ ingluvie ſumpſeras. Idem Sapiens indicare volebat dicens: *Mel inveniſti? Comede quod ſufficit, ne fortè ſatiatus, evomas illud*: & S. Leo Papa, *Quod futurum eſt oneri, ſubtrahat voluptati.*

Delitiis, & melle cautè utendum.

Prov. 25. 16

37. Quid

37. Quid dicitis, voluntatem omni desiderato frui, ideoque sibi ipsi malum, aut afflictionem conquirere non posse? Verum est, dum tamen sub illo desiderio aliud non absconderetur, quod non vellet. Quid postea objectum, voluntatem palato similem? Sed nónne experiris quoties palatum decipitur, ita ut amaritudinem, & afflictionem reperiat, ubi se gaudium & voluptatem reperire sperabat? Accurrit piscis, ut escam palato suo accommodam recipiat, sub illa tamen hamum latentem reperit, se transfigentem nec dolorem tantùm, verùm etiam carcerem, & mortem afferentem. Non aliter homini accidit, accurrit deliciis & voluptatibus, non advertens sub his sæpissimè doloris hamum latere, à quo incautus transfixus remanet, teste Sapiente; *Sicut pisces capiuntur hamo, ita homines in tempore malo.* Quid diceretis si agricola, post seminatum agrum; & diligentissimè excultum, ut fructum afferat, grano jam quasi maturo, Deum precaretur, ut furiosam immitteret tempestatem, totumq; disperderet. Nónne diceretis illum proprium quærere malum, ac insipientem esse? Hoc tamen sępius homines efficiunt; bonus Propheta Samuel populo Hæbreo hoc rectè exhibuit. Cupiebat hic populus regem sibi constitui, dixitque illis Samuel, advertite bene perditionem vestram quæritis; liberi estis absque jugo vultísne vos iterum jugo servitutis subdere? vestris bonis in pace fruimini, vultísne occasionem quęrere illa perdendi? Rerum vestrarum, domini estis, & petitis aliquem, qui vos illis spoliet? Responderunt dicentes, quomodocumq; sit, regem nobis constitui volumus. Cùm igitur aiebat Samuel regẽ postulatis, Deus illum constituet; sed clariùs exhibere cupit, quod petiistis. Tempus modò est metendi grana, volo rogare Deum, ut pluvias vobis, & tonitrua mittat; quasi diceret, quod grano maturo causat pluvia, & tempestas; vobis efficiet rex quem petiistis.

Voluntas in bonis sæpe decipitur.

Eccles. 9.12

1. Reg. 8.

38. Quid insuper dicam, voluntatem nostram res quandoque contrarias expetere, ut voluptates, honores, divitias, & otium, ut sibi aliisque satisfaciat? Ingens reputatur tormentum, in quatuor partes vivus dilacerari: pariter cordi nostro evenit, variis desideriis fluctuanti, & appetitibus effervescenti, quod, *Quasi equus impetu vadẽs ad prælium.* De hoc plurimum S. Job dolebat dicens: *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum*; in varias quippe partes cor meum distraxerunt. Septuaginta Interpretes legunt; *Rupti sunt articuli cordis mei*; S. Augustinus

Voluntas sæpe contraria appetit.

Jerem. 8.6.

Job 17.11.

stinus legit; *Ruptæ sunt compages cordis mei.* Non aliter cordi meo evenit, ac illis qui quatuor equis distracti, nervos, juncturas, & membra singula disrupta habent. Idem humillima cælorum Regina affirmabat in Cantico suo; *Dispersit superbos mente cordis sui.* Propheta David hanc cordis sui divisionem expertus fuerat, unde precabatur Deum, ut denuò cor suum uniret: *Vni Domine cor meum, ut timeat nomen tuum;* habet textus Hebræus, ubi nos legimus; *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.*

Lucæ 1. 51.

Psal. 85. 11.

Qualiter proximus amandus!

39. Quid denique dicebatur, alioquin oppositionem in lege divina reperiri? quæ præcipit, proximum ut nos ipsos amandum? Respondeo legem divinam, de vero & sancto amore loqui, quem erga nos gerere debemus, non verò de irregulato, vel iniquo. Adjungebatur quoque neminem sibi tribulationem ultro asciscere; in quo proximo nostro etiam satis fieri potest, quod numquam videlicet intentionem illum affligendi habere velimus; quod autem quandoque contra intentum nostrum evenit, nostrum non est impedire, nec quidem possumus. Sed quid? An ideò contristandum, quia tribulationum nostrarum causa simus? Minimè, quin imò inde consolatio acquirenda, quia nostrum quoque erit, ab illa liberari, aut ad minus alleviari, sensus nostros bene dirigendo, aut voluntatem ad minus, & intellectum juxta rationem componendo. Cum intellectu nobis agendum, ut cum Siluro, inquit Plinius, quod parvum est animal, paulò majus mure; sed valde sagax, ac prudens, cùm in caverna sua duas conficiat portas, ad Austrum unam, ad Aquilonem alteram; flante Austro, Aquilonarem aperit, flante Aquilone, Australem: unde vento quocumque flante, in pace semper quiescit.

Non semper dolendum, nec lætandum.

40. Pari modo nobis agendum; in medio sumus duorum ventorum, Aquilonis tribulationum, & Austri prosperitatum; modò unus, modò alter sufflat; fortunæ quippe rota semper volvitur, unde nec prosperitate, nec tribulatione semper fruimur. Sed quomodo in his agendum? Quidam afflicti portam Aquilonarem aperiunt, & Australem claudunt; nil videlicet quod consolationem illis afferre queat, sed quod afflictionem addat cogitant. v. g. Persona sana, dives, honorata, lite aliquâ commovetur, & affligitur, aut accusata falsò dolebit, quid efficiet illa? Non aliud quàm conqueri, & tristari de sua lite, aut accusatione, ubi verò alias prosperitates reliquit? Nullam illi consolationem afferunt, quia cor afflictionibus illis

lis omninò replevit. Quando verò felicitatis flat Auster, & cuncta desiderata habere cogitas; tunc porta Aquilonis aperienda; miseriæ, calamitates, & pericula perpendenda, quibus suppositus; & quàm instabilis & fragilis sit vita nostra, & hæc bona terrena, quàm incerta. Hoc modo nec prosperis efferreris, nec adversis deprimeris. Hoc remedio Epicurus uti noverat, dum enim in lecto doloribus undique afflictus, ipsa quoque morte premeretur, hilarem se exhibebat, interrogatus autem, cur tantam exhiberet lætitiam, illo tempore adeò molesto; respondit non tempus hoc intueor, sed gloriam quam inventione meâ Philosophicâ acquisitus sum. Ecce quomodo portam Aquilonarem claudens, Australem aperiebat. Multò tamen felicius, S. Thomas Aquinas fuit, cùm enim ex ordinatione medicorum cauterium illi adhibendum esset; cælestia contemplari aggressus est, eoque modo portam Aquilonarem claudens, sine ulla molestia, combustionem ignis accepit. Id denique Sapiens persuadebat dicens: *In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum ne immemor sis bonorum.* Quasi diceret, in die tribulationis dum Aquilo sufflat, bonorum recordare, & portam Australem aperi; econtrà verò in die bonorum Austro flante, portam Aquilonarem aperire, & malorum reminisci debes.

Tristitia lætis miscenda.

Eccli. 11. 27

41. Quantum ad voluntatem denique attinet, appone frænum appetitui tuo, & parvo sis contentus, & à tribulationibus facillimè liberaberis. Qui minus expertus in jaculãdo, si scopum exiguum altè collocet, absque dubio non colliniabit; si verò inferius, & vicinius collocet, facillimè in illum jaciet. Tribulationes nostræ, unde pleræque oriuntur? Ex eo quod scopum nobis præfigentes, illum attingere non possimus. Cupiebas juvenem illam nobilem, divitem, & pulchram in uxorem ducere; alius prævenit illamque duxit: modò cruciaris, & affligeris. Alius dignitatem prætendebat, nec obtinere poterat, unde semper inquietus. Vis ergò non ampliùs affligi? Humiliter te gere, & scopum tibi proportionatum constitue; noli desiderare quod non licet acquirere; & continuâ pace frueris. Hoc Sapiens nos clarè edocebat dicens: *Melius est videre quod cupias, quàm desiderare quod nescias.* Sed quis desiderare potest, quod nõ cognoscit? Desiderium præsupponit cognitionem, incognitum, concupisci non potest. Volebat Sapiens dicere, nihil appetendum, quod vires intellectus tui superat; ut alibi dixit: *Ne erigas oculos tuos*

Desideria refrænanda.

Eccles. 6. 9.

Prov. 23. 5.

ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cælum. Alius quoque dixit: si quod cupis habere non possis; desidera illud quod habere potes. Ad idem attendendo Seneca inquiebat: *Qui desideria sua clausit, cum Iove de felicitate contendit:* & alibi; *ut felices simus, non est voluptati adjiciendum, sed cupiditati detrahendum.*

Amor proprius compescendus.

42. Spirituales verò personæ, & veri Dei servi, ulteriùs procedunt, nec sufficit illis appetitus refrænare, & proprium amorem, omnium malorum radicem compescere; verùm etiam odio sancto seipsos persequuntur, propriam carnem affligunt, persecutionibus obviant, omniaque à sensibus expetita, divertunt: unde iis qui oculis humanæ sapientiæ universa conspiciunt, crudeles, & propriæ carnis tortores apparent. Hæc tamen misericors, & pia est crudelitas, & justitia recta; quia justitiæ, & pietati divinæ conformis, quæ nostræ præferri debet juxta mentem Apostoli; *Vt inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ ex fide est Christi.* Sed quæ sunt justitiæ, quæ sibi invicem contrariæ videntur? Si una veritas alteri opponi non potest, quomodo una justitia, erit alteri contraria? Quomodo aliqua justitia non bona reperietur, quam melius est non habere? Proprium est justitiæ tribuere unicuique quod suum est, tantam habens vim, ut etiam charitati præferatur; non enim mihi licet eleemosynam dare, ex bonis alterius. Quomodo ergò cupit Apostolus unam justitiæ speciem in se non reperiri? *Vt inveniar in illo, non habens meam justitiam.* S. Augustinus per hanc justitiam, respectum illum intelligit, quem unusquisque erga se habet; procurando sibi bonum, & malum fugiendo, quantumque enim teste S. Thoma, & Aristotele, nullus propriè dici possit, justitiam erga se habere; metaphoricè tamen, & similitudine quadam justitiæ dici potest nos debitam sustentationem, & nutrimentum corpori tribuere, nec injuriam ullam inferre debere. De hac justitia S. Augustinus inquit; *Iustitia tua est, quâ tibi consulis, ne torquearis,* Hanc justitiam, noluit Apostolus in se reperiri; sed illam quæ ex fide Christi derivatur. Cùm hæc siquidem tormenta ejus, & nostra peccata repræsentet, efficit nos sanctum quoddam odium in nosipsos concipere, ut affligamus sensus nostros; negando ipsis desiderata, & beneplacita, & cogendo sustinere quæ non placent.

ad Philip. 3. 9.

Odium sanctum in nobis concipiendum.

S. August. cap. 8. de spiritu & littera.

43. Hæc justitia licet contraria videatur justitiæ, quam impropriè nobisipsis debemus; recta tamen, & bona est, de qua Sapiens

Sapiens juxta expositionem S.
Eccli.42.14 Bonaventuræ ait; *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*: melior videlicet est injustitia viri, quàm bonitas mulieris, qui vir, inquit S. Doctor, est spiritus, & mulier caro; & multò melius est, quòd spiritus persequatur, & affligat carnem etiam absque ratione, quàm quòd caro blandiatur spiritui; quandoquidem juxta mentem
ad Rom.8.13. Apostoli; *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Unde sapienter dixit S. Bernardus, quod peccatum amantes, non tantùm animam, sed & carnem odio habent; *Qui diligit iniquitatem odit animam suam,* dixerat Psalmista; *Ego autem dico,* subjungit S. Bernardus,
S. Bernard. serm. de corde c. 4. *odit & carnem.* Quandoquidem licèt in hac vita delectationem aliquam procuret, in altera tamen vita æternam causat domi-
Caro omninò domanda. nationem. Qui verò propriam carnem hîc odio habent, verè illam diligunt; licet etiam illam mortificare, & licita negare contra justitiam videantur, quam impropriè nobis debemus; illa tamen actio justitiæ divinæ maximè conformis. Id autem facientibus, quàm sancta pax, quàm tranquilla vita, quantæ consolationes in hac tribuuntur. Sicut enim; *Qui amat animam suam, perdet eam,* sic, *Qui odit animam suam in vitam æternam custodit eam.* Joan.12.25. Sed ubi modò reperitur odium suiipsius? Sanctum odium quo recessisti? Heu me! totaliter periit, nec semen quidem ejus reperitur. Quis enim contemni cupit? Quis famem, & sitim perpeti? Quis malè excipi, & injuriis affici desiderat? Quis affligi & calumniari vult? precemur, & supplicemus dominum Salvatorem nostrum ut venenosam amoris proprii herbam, ex corde nostro evellere dignetur, in eoque herbam sancti odii, erga nosipsos inserere velit, & nullam habebimus tribulationem, vel saltem non ita sentiemus; sed ad cælestem patriam, perpetuò regnaturi, & gavisuri properabimus. Quod Deus nobis omnibus benignè largiri dignetur. Amen.

FINIS.

ELENCHVS
PRIMI TOMI
Materias singulas hoc opere contentas problematicè exhibens.

VARIA DOCVMENTA,

Et remedia afflictos consolandi ad majorem commoditatem ex primo Tomo hîc in unum collecta.

Pro tribulatione in genere.


Ptima consolatio de tribulatione frequenter audire, & colloqui, quia gloriosum est pati cum Christo, ut variis probatur rationibus & exemplis, d. 1. p. 17. n. 27. & seq.

Ex hac miseriarum valle ad cælestem patriam tribulatione carentem aspirandum, & consolatio S. Spiritus non humana imploranda, ut variis probatur rationibus & S. Scripturæ testimoniis. d. 2. p. 39. n. 32. & seq.

Quomodo nobisipsis in tribulatione prodesse possimus, variis probatur rationibus. d. 5. p. 111. n. 38.

Unicuique in tribulatione timendum, & ritè certandum, sicque lætitiam percipere poterunt, ut variis probatur rationibus, & exemplis. d. 11. p. 262. n. 33.

Qui tribulationem sponsam ducunt, hîc lætitiam, & regnum cæleste post mortem hæreditabunt. ut variis probatur rationibus. d. 12. p. 289. n. 39. & seq.

Nulla alia ad cælum via, quàm tribulationis, quæ alacriter ineunda, ut variis probatur rationibus, & exemplis. d. 13. p. 317. n. 37. & seq.

Tribulatio in mundo necessaria, quia utilissima. ut variis probatur rationibus, & exemplis. d. 15. p. 367. n. 45. & seq.

Nemo de tribulatione sua dolere, aut conqueri potest cū sit census unicuiq; à Deo impositus, ut variis probatur rationibus, & exemplis. d. 17. p. 417. n. 35. & seq.

Quantus ex tribulatione fructus colligendus, fusiùs probatur. d. 10. p. 229. n. 18. & seq.

Devotio erga B. V. Mariam particulare in tribulatione præbet auxilium, facillimeque adimpleri potest, ut clarissimis probatur rationibus, & exemplis. d. 24. p. 599. n. 41. & seq.

Pro justè afflictis.

SI justè affligimur patienter ferendum, ut malam tribulationem bonam reddamus, ut probatur S. Scripturæ testimoniis, & exemplis. d. 10. p. 240. n. 36. & seq.

Pro quotidiana & communi.

COmmunis tribulatio est consolatio, ut SS. PP. sententiis, & rationibus probatur. d. 3. p. 61. n. 37. & seq.

Neminem umquam tribulatione caruisse probatur variis exemplis, & sacræ scripturæ testimoniis. d. 3. p. 62. n. 39. & seq.

Cùm tribulationes ubique adsint, prævidendo, & æstimando minùs nocebunt, si tamen ad divinum confugeris auxilium. d. 4. p. 86. n. 41. & seq.

Pro divinam providentiam negantibus

DEus in tribulatione timendus, quia suo tempore punire novit rebelles,

rebelles. ut variis probatur rationibus & exemplis.d.26.p.652.n.43. & seq.

Vt simus ab omni tribulatione liberi

IN nostra potestate est nullam tribulationem habere, sed continuum gaudium, si divinæ voluntati nos conformemus, ut probatur variis rationibus, & exemplis. d. 6. p. 129. n. 28. & seq.

Pro refrænando appetitu

COgita quanta mala ex illicito appetitu proveniant, & illum facilè superabis, ut variis probatur rationibus & exemplis. d. 27. p. 677. n. 41. & seq.

Pro temerè judicantibus.

CVm aliquem miseriis & calamitatibus afflictum conspicimus, non temerè judicandum, non enim ob peccata hæc semper accidunt, ut variis probatur exēplis, & S.Scripturę testimoniis.d.19.p.449.n.36& seq.

Pro innocenter afflictis.

SIne causa affligi utilissimum, cum Christo siquidem in cruce manemus, ut probatur variis rationibus, & exemplis.d.10.p.240.n.35.& seq.

Meliùs innocenter hîc pati, quia pignus æternæ gloriæ adipiscimur, ut variis probatur rationibus. d. 20. p. 497. n.36.

Pro hypocritis.

VIrtus non propter lucrum sectanda, aut apertè exhibenda, quia merces deperditur. d. 19. p. 472. n. 36.

Pro animabus afflictis in Purgatorio.

QVomodo bona opera nostra illis applicanda, ut nobis postea prodesse possint, probatur variis rationibus, & exemplis. d. 4. p. 111. n. 39. & seq.

Pro mala conscientia.

QVantum bona conscientia æstimanda, & retinenda? illâ quippe ritè dispositâ, nulla nocebit afflictio. d. 7. p. 156. n. 37. & seq.

Optimum malæ conscientiæ, & afflictionis remedium peccatorum vera confessio, & digna Eucharistiæ sumptio. d. 7.p. 156. n. 38. & seq.& d. 9 p. 215. n. 48. & seq.

Pro diabolicis tentationibus aliisque vitiis.

VOluptates, aliaque malorum incentiva à tergo arripienda & consideranda. d. 8.p.181.n. 30.& seq.

Ne diaboli tentationibus consentiamus patientes esse oportet. d. 16. p.390. n. 40.

In diaboli tentatione lætandum, quia cum Dei inimico confligimus, unde ipse nobis præbebit auxilium. ibid. n. 42. & seq.

Pro ingratis.

QVantas Deo pro beneficiis quotidianis gratias agere oporteat, exemplis gentilium, aliorumque probatur. d. 21. p. 520. n. 42. & seq.

Pro tribulatione peccatorum.

IVstè contra illud insurgendum, & condemnandum. d.18. p. 442.n. 32. & seq.

Peccato non confidendum, nec ejus blanditiis consentiendum, sed omnis occasio, & radix auferenda ne erumpat. ibid. n. 34. & seq.

Deus hominem peccatis inhærentem aut alteri nimiùm confidentem propriis armis oppugnat ut variis probatur rationibus, & exemplis. d. 23.p. 568.

568. numer. 34. & seq.

Sanctum odium in nobis erga peccata concipiendum, ut illa vitemus, ut variis probatur argumentis. d. 27. p. 678. n. 42. & seq.

Pro iracundis & impatientibus.

IRa ex contemptu, & impatientia ex debilitate virium nascitur; considerando ergo Deum nos affligere, nec iracundi, nec impatientes esse debemus, quia à Deo affligi honorificum, cùm non patietur tentari ultra vires, quod fusè explicatur. d. 14. p. 341. n. 34. & seq.

In hoc mundo cum hominibus patienter agendum quia hîc ut in schola patientiæ exercemur, ut variis probatur rationibus, & exemplis. d. 26. p. 650. n. 40. & seq.

Pro curiosis & futura indagantibus.

DEi secreta, aût futura indagare, magna temeritas, unde sæpissimè severè puniuntur, ut variis probatur rationibus, & exemplis. d. 22. p. 545. n. 39. & seq.

Pro persecutione inimicorum.

VAnum est contra inimicos irasci, quia instrumentum Dei sunt. d. 14. p. 340. n. 31.

Inimico persequenti compatiendum, quia diabolo instigante id peragit. d. 16. p. 393. n. 44.

Pro divitibus.

NE nimium prosperitate efferantur, vel adversitate deprimantur, quia mundi bona instabilia, ut variis probatur rationibus, & exemplis. d. 27. p. 676. n. 49.

Ut tribulationes actuales ad habituales reducant, & exemplo S. Job cogitent se à Deo cuncta habere. d. 4. p. 84. n. 38.

In prosperitate maximè timendum, ne mali quidpiam accidat. d. 11. p. 262. num. 33.

Pro pauperibus.

PAuperes minoribus tribulationibus, quàm divites afflicti, ideoq; magis gaudendum. d. 3. p. 54. n. 23. & seq.

Pauperibus lætandum quia hîc non fruantur bonis, sed futura expectent, ut variis probatur rationibus & exemplis. d. 11. p. 263. n. 35. & seq.

Pro quiete conscientiæ.

HOminum consortia omninò fugienda, & in cordis secretò Deo hærendum: quod variis probatur rationibus & exemplis, d. 23. p. 570. n. 37. & seq.

Pro obloquentibus.

ANgeli tribulationes nobis deferunt, unde benignè recipiendæ, nec indignandum, aût obloquendum. d. 15. p. 368. n. 46. & seq.

Sicut nemo conqueritur se hominem esse, sic nemo conqueri potest se afflictum esse, cùm sit census communis unicuique à Deo impositus, unde alacriter sustinenda. d. 17. p. 417. n. 35.

Pro desperantibus aut diffidentibus.

A Deo cuncta bene ordinata sunt, cùm ab ipso nil nisi bonum procedat; unde in ipso continuò confidendum. d. 14. p. 342. n. 36. & seq.

Pro infirmitate, & cæcitate.

LIcet nil de facto commisimus pro quo à Deo puniri mereamur; radicem tamen malorum omnium ex ventre matris contulimus, cùm simus homines miseriis subjecti. d. 4. p. 85. n. 40. & d. 14. p. 342. n. 36. & seq.

SE-

SERIES LOCORVM
S. SCRIPTVRÆ
Quæ in hoc primo Tomo explicantur aut elucidantur.

D. Discursum. P. Paginam, N. Numerum paragraphicum indicat.

10. Sol

Ex Libro Psalmorum.

Ex Libro Proverbiorum.

16. Casos

FINIS.



INDEX RERUM

Omnium in hoc primo Tomo explicatarum singulæ suis locis accuratè digestæ.

D. Discursum. P. Paginam, N. Numerum paragraphicum indicat.

Thro-

Iustus

Diabolus.

Cur

Inter-

E.

F.

Honor.

Humilitas.

S. Ioannes

I.

Iechonias.

Ignis,

Imaginatio.

Infans.

Infernus.

Infirmitas.

Ingratitudo.

Inimicus.

 ferre

Iustus

N.

Nabuchodonosor.

O.

Obedientia.

Oculus.

Orare, Oratio.

Os, oris.

P.

Panis.

Patientia.

Pati.

Tri-

Numquam

V.

Venefici.

Veritas.

Vestis.

Vinum.

Virtus.

Virtus

F I N I S.

FACVLTAS ORDINIS

FRater Ioannes Antonius Philippinus S. T. Magist. nec non humilis Prior Generalis Ordinis Fratrum B. V. Mariæ de monte Carmeli antiquæ obſervantiæ Regularis &c.

Quâ fungimur authoritate harum ſerie tibi R. Patri Petro VVemmers noſtræ Provinciæ Belgicæ profeſſo Sacerdoti, ac Theologo facultatem facimus ut typis mandare poſſis, in lucemque edere duos Tomos Perilluſtris & Reverendiſs. D. D. Pauli Areſii Epiſcopi Dertonenſis, à te latinitate donatos, quibus eſt titulus *De mundi Tribulatione ejuſque remediis*. Dummodo tamen prælecti approbentur à Theologo noſtri Sacri Ordinis; ſerventurque aliàs de Iure ſervanda. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 20. Iulii Anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi noni.

Fr. Ioan. ANTONIVS PHILIPPINVS
Generalis Carmelitarum.

APPROBATIO

OPus hoc in duos Tomos distinctum, intitulatum *De mundi Tribulatione*, absque tribulatione aut tædio, sed non sine ingenti consolatione ac gaudio ex commissione R. P. N. Prioris Generalis perlegi. Cùm autem ex ipso operis subjecto (Tribulationem, inquam) plurima ad Christiani hominis mores optimè efformandos, admodum conducentia, provenire noscantur, ut carnem mortificare, calorem concupiscentiæ extinguere, virtutibus animam corroborare, occasiones malè agendi tollere, ad bene agendum calcaria addere, à peccatis purgare, merita augere, temperantiâ, fortitudine, ac omni denique virtutum genere hominem replere: Immò etiam ipsum salutis nostræ fundamentum fidem, inquam, ex ea in nobis accrescere, & conservari, luce meridianâ clarius patet, nihil fidei aut bonis moribus offensivum in isto opere contineri. Quare jure meritò in fidei morúmque Christianorum majorem utilitatem, ex Italico idiomate in Latinum translatum, ut plurium manibus amplectendum, ac prælo judicavi dignissimum. Actum in Carmelo nostro Antuerpiensi die 22. Decembris Anni labentis Iubilæi 1650.

Fr. ANGELVS MICHAELIS *S. T. quondam Professor. FF. B. V. Mariæ de Monte Carmelo Prior Antverpiæ, nec non Provinciæ nostræ Belgicæ primus Diffinitor.*


Biblioteka Jagiellońska
stdr0029648

